

1647

VII

3

15





CASPARI

HOFMANNI
PRO VERITATE
OPELLÆ TRES.

ISOCRATES.

Ἐαὶ ἔσῃ φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud CASPARVM METVRAS, viâ Iacobæâ, ſub ſigno SS. Trinitatis, prope Maturinenſes.

M. DC. XLVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.







PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO VIRO,

D. GVIDONI PATINO, BELLOVACO, DOCTORI MEDICO PARISIENSI,

AMICO MEO CARISSIMO ET OBSERVANDISSIMO,



S. P. D.



ON *mirabor, præstantissime* PATINE, *si vel primo aspectu huius Inscriptionis, nauseabundus dixisti, Ehódum*, HOFMANNE, *ánnon sub mentem Tibi fuit, memorabile Sapientis cuiusdam Recentioris dicterium*,

Qui VERITATEM persequitur, incedit per ignes
Suppositos cineri doloso. *vt ille* ex Horatio *pingit.*

Ita est: sed fuit simul illud aliûs ex hoc ordine, A malis hic metus est, quorum voces οὐ περαιτέρω τῆς ἀκοῆς ἀφικνοῦνται, *ceu Æschines loquitur. Vt enim de me dicam, Iacta mihi iamdudum est alea, qui ex Cicerone didici*, hanc Diuam non opus habere præsidio humano, sed tutam esse à seipsa. *Quamobrem*,

Cùm otioſò mihi ſub manus venirent omnes hi memorati Aucto-res, intrepidè conſignaui προφθέγματα illorum, vt conſtet V E R I-T A T I *ſuus honos, etiam apud eos qui deſpectui habent illam. De ipſis Auctoribus hoc mihi perſuaſum eſt, quidquid accidit illis ſiniſtri, à conditione humana eſſe, quod eſt, vt Archigenes apud Galenum 2. κατὰ τόπ. loquitur,* Difficile eſſe, vt qui homo ſit, non in multis peccet, quædam penitus ignorando, quædam malè iudicando, quædam negligentiùs ſcribendo. *Addo ego,* Voluptatum & diuitiarum ſtudium, *multum temporis nobis adimere. A quibus beſtiis quia ego alienus ſum, video aliquando ad quod illi caligant. Quidquid ſit, tria iſthæc Opuſcula pro* V E R I T A T E *ſcripta ecce Tibi mitto. Faxit* I L L E D E V S, *vt bene ambulent. Ego interim in hac affecta ætate, quantum humanitus potero, laborabo vt vinea Domini ſit quàm cultiſſima. Quem finem vtinam ſibi proponerent omnes qui libros hodie ſcribunt! Faxo, & minùs litium ſit, & Veritatis ſemita expeditior! Huius rei contrarium exemplum propono Tibi in Æmilio Pariſano, quem refuto in his pagellis, & cum Eo, aliquot alios illuſtres Viros, qui publicè proſtant, non quod ſapiam plus aliis, ſed quod nolim* MENDACIVM *veteraſcere, idque in opprobrium* V E R I T A T I S. *Pariſanus quidem inuenit egregium remuneratorem: ſed qui cæcus iudicauit de colore. Dicendum enim eſt quod res eſt, quamuis dolorem pariturum ſit.* Reuera tot alapas meruit, quot verſus ſcripſit. *De aliis, quos illi comites eſſe volui, ita ſentio: in eodem quidem reatu eſſe, ſed veniâ dignos, quod non peccârint ἐκ προαιρέσεως. Debui tamen & illos, & qui ipſos auſcultant,* M O N E R E, *parciùs agant, nec vlteriùs collutulent* V E R I T A-T E M. *An in omnibus ſcopum tetigerim, tui eſto iudicij. At ſi qui ſurrexerint obtrectatores, non ego tantum Tibi oneris impono, vt cum his litiges, (quis enim id auſit?) ſed vt latiùs explices quod ego fortaſſis intricatiùs. Sed hoc ipſum onus eſt valde moleſtum? Non eſt, ſi rectè Te noui. Nihil enim in vita iu-*

cundius est quàm patrocinari illi Deæ, quæ est, vt versus vulgaris habet, σύμφυτος Θεῷ, connaturata Deo, *vt ego vellem vertere. Interea bene & feliciter vale, amicorum suauissime. Scribo Altorfij, quod in Norico est, Cal. Febr. 1646.*

Tuus ex animo

CASP. HOFMAN.

AVCTORI SACRVM.

Ἀρχιερεὺς ὁ Φάρου πέλεται ἐκ σαπφήρου ἄγαλμα
(Ἧς δὴ ΑΛΗΘΕΙΑΣ τοῦτο ἄγαλμα) φέρειν.
Νῦν ποῦ ἐπιχθονίων; εἴσῃ ὡς ἄξιοι ΑΓΤΗ,
ΑΞΙΟΣ ΕΣΤΙ ΦΕΡΕΙΝ ΑΓΛΙΚΟΣ ΗΜΕ-
ΤΕΡΟΣ.

Signum è ſapphiro tulit olim è gente Sacerdos
Supremus Phariâ. Numinis illud erat,
Cui VERI nomen. Quis erit, qui nunc feret illud?
HOFMANNVS, VERO IVDICE, FERRE
POTEST.

Adfini obſeruandiſſ. ſ.

CHRISTOPHORVS ADAMVS
Rupertus, Hiſt. PP. Altorf.

LECTORI SALVTEM.



LLE EGO, qui pro VERITATE hactenus multa perpessus sum aduersa, prodeo iterum in publicum. Propulit autem me tantùm non cum pipulo exemplum & vox magni cuiusdam sæculi huius Musagetæ. *Vt magnum rectæ indolis argumentum est*, inquit, *& animi verè generosi, amor* VERITATIS: *ita abiecti & seruilis est ingenij* MENDACIVM *fouere, siue studio, siue fortuitò. Illud faciunt, qui nunquam & nuspiam cedere volunt: hoc, quibus dedecus esse videtur, mutâsse sententiam.* Hæc geminas in me excitârunt cogitationes, quarum hæ quidem ex Mythologicis veterum sunt: illæ autem ex moribus omnium penè sæculorum. De vtrisque si pauca dixero, feréśne tantisper, ô Lector, oratorem ineptum? Ne te frustra morer, Finxit sapiens vetustas Deam quandam, quam ADRASTEAM, siue NEMESIN vocabat. Hæc, Oceano & Nocte prognata, dicitur à Ioue hoc imperium nacta esse in homines, ne quis eorum impunè esset malus. Malitia cùm consistat, tam in dictis, quàm in factis, libet mihi considerare illam tantùm officij diuini partem, quæ in dictis consistit, vnde eadem VERITAS vocatur. Hæc cur patrem habet Oceanum, matrem Noctem? Oceanus est pater rerum omnium, de quibus fas est vnumquemque loqui, vt se habent in naturâ. Hoc assequi cùm non detur omnibus, per Noctem ambulare necesse est illos, qui vestigia eius odorantur. Eadem alata fingitur, ne quis sit ἀναπόδρασος, vt ex Arist. *de Mundo* loqui licet. Eidem coronam imponit VICTORIA, qualis in Romanorum numismatis, quia tandem vincit. Manibus frenum gestat, normámque fabrilem, quia cogit etiam inuitos, vt sequantur VERITATEM, deserto Mendacio. Ceruos habet comites, quia viuacissima. Æthiopas, quia ad vltimos terræ fines se penetrat. Est Iouis, non minorum gentium Dei alicuius perpetua comes. Hinc versus nescio cuius:

Εἷς Θεός ἐστι· Θεοῦ δ' ἓν σύμφυτον ΑΛΗΘΕΙΑ:

Vnus est DEVS: *vnum autem* DEO *connaturatum est*, VERITAS.

Hoc, ni fallor, ex Arist. manauit, cuius, 1. *Prior.* hæc sunt verba: τῷ μὲν Θεῷ συνεχὴς καὶ ἀδιάληπτος ἡ τῆς ἀληθείας θεωρία ἐστι. Quod rectè intellectum, de Adrastea, inquam, dabit nobis sensum illum, quem 6. *Vs. part.* 12. ex ipso Gal. exsculpsi: *In Natura tam bene apta sunt omnia suis causis, vt is, qui studiosè premere velit* VERITATEM, *non possit idem facere perpetuò, sed tandem fateri, quod res est.* Hoc nimirum est officium Deæ nostræ, ab Arist. etiam tactum non vno loco, cùm ait, Quosdam ἀναγκασθέντας, ἢ βιαζομένους ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας, Veritatem cum Mendacio cõmutare. Ecquæ tanta huius rei necessitas est, dicebat olim peregrinator quidam, vt cogar consentire cum eo, à quo separo me studio? Nulla est; inquam ego, siquidem lux & tenebræ idem sunt! siqui-

dem idem eſt Deo ſeruire & diabolo! Hui, infit alter, ex muſca, elephantem! Ita quidem tibi videtur, aiebam, qui & præconceptis opinionibus ebrius es, & piger, quem diſcere piget. Aliter iudicabat ſapiens vetuſtas: aliter hodiéque, quibus mens non læua. Ergóne pro ſtulto me habes? E T T E, & O M N E S, qui tecum faciunt. Debes etiam interpretari ſtultitiam, non Politicè, ſed Theologicè, vt ſenſus fiat Syracidis, *Reſponde improbo ſecundum improbitatem ſuam, ne videatur ſibi probus.* Et improbus non ſit, qui cum Titanibus Cælum oppugnat? Hoc ſi graue tibi auditu eſt, I R E licet. Sin erudiri vis, non deero tibi. Non incommodè loqueris, dicebat ille: audiam. Tum ego. *Longè fugit, qui ſe fugit,* Varronis ſatyra fuit, hoc eſt, vt ego iudico, Qui non nouit ſeipſum, nec metitur vires ſuas, iniuſtus eſt erga ſeipſum. At quæ maior iniuſtitia eſt, quàm ſeipſum iugulare? Quid non aliud eſt, quam ſi (quod Græci dicunt,) ὁ δυσάνδρες ζῶ καλῶς, ζῇ κακῶς? Viuit autem bene, qui cum V I R T V T E ambulat: malè, qui cum V I T I O. Scio equidem, verè dixiſſe τὸν θαυμασιώτατον L I P S I V M, *Tam perditos eſſe quoſdam, vt ipſa infamia ſit ipſis voluptas.* Et quod ad rem noſtram, audiui adoleſcens à quodam magno I. C. cùm vrgeretur, quod contrarium alio tempore ſtatueret, *Ego,* inquit, *libentius* F A L S A *defendo quàm* V E R A. Sed enim cum huc uſque te deſcendiſſe hactenus credere nolim, repono tibi Socratis illud, in Gorgia, *Præſtare, ab aliquo diſſentire multos, quàm aliquem à ſeipſo.* Hoc explico è ſuperioribus. Quibus hæc gratia cælitus contigit, vt ſani ſint corpore & animo, illi cælum cogitare debent, hoc eſt, D E I veſtigiis inſiſtere, qui eſt ἡ αὐτοαλήθεια, & tantum abeſt à F A L S O quantum à D I A B O L O. Hoc verò expecto, non ab eo, qui in angulo aliquo ſedens meditetur ſecum, quid facto opus ſit: ſed qui agat, hoc eſt, qui rebus ſuis intentus, *præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit,* quod Saluſtij verbum eſt. At verò, ſubdidit ille, tunc tibi paratæ erunt inimicitiæ, cum quibus incommoda multa. Non refert: à malis enim hoc metuendum mihi fuerit, non à bonis. Et ſunt illi quidem crabrones, ſed inermes, quibus præter ſonum nihil ſupereſt. Hos quò minus cures, boni facient, qui ab alterâ parte ſurgentes, repellent iniuſta arma. Fortaſſis, ne quidem opus erit hoc præſidio. Verum enim eſt Apuleij illud in Apol. *Bonus & innoxius rudes & imparatas habet aures ad malè audiendum.* Illud etiam eiuſdem, *Prudentis animi eſt & verecundi vel falsâ accuſatione grauari:* Non oportet manum ſub pallio habere, ſed male dicentibus os obturare. Et tantò quidem audentius, quò verius eſt Demoſthenis illud, *Culpam in accuſatoribus reſidere, qui neceſſitatem imponunt nobis reſpondendi.* De Catone ſcribitur, amplius quadragies fuiſſe accuſatum coram publico iudicio, ſed ſemper abſolutum. Quò minus mireris, ſcripſiſſe orationes de ſuis laudibus! *Non enim eſt virtutem curantis,* inquit D. Chryſoſtomus, *non habere multos inimicos.* Hi enim cùm ſentiant in ſe defectum virtutis quam tacitè in aliis mirantur, audaciâ compenſant odium. Tum alter, *Carpunt in te illud quoque, quod toties ſcribas de re eâdem.* Facio non iam Socratis exemplo, ſed D. Pauli, qui Timotheum ſuum iubet vrgere verbum εὐκαίρως, ἀκαίρως. Vtrobique enim eſt V E R I T A S, quæ latere non vult. Id ipſum confirmo Platonis auctoritate, qui ait, τὰ πολλάκις λεγόμενα, καὶ πολλὰ ἔτι ἀκουόμενα, μόγις ὥσπερ χρυσὸς ἐκκαθαίρεται μετὰ πολλῆς πραγματείας, *hoc eſt, quæ ſæpe dicuntur,*

suntur, & per multos annos inculcantur, vix tandem cum multo ſtudio, velut aurum, expurgantur. Quamobrem, ita puto, operæ pretium eſſe variis vti occaſionibus ad dilatanda Veritatis pomœria, vel ideo, vt ad multos, & in multis regionibus ſitos bonos, ſapientéſque, res perueniat. Huius facti mei cauſam habeo duplicem. Alteram, quod in vaſtis iſtis Germaniæ iam penè vaſtæ turbis, videam nihilominus florere bonas literas, cùm interea temporis tot egregij prodierint libri, quot vix numerare ſit. Sic enim cogito, hem, quantò contentiùs hoc agit Satanas, vt introducat barbariem ſuam, vſus quibuſdam hominibus, non vllâ è tellure, ſed è medio mari proſilientibus: tantò ſolicitius DEVS quaſi cælitus extrudit in meſſem ſuam viros cordatos, qui tueantur Muſas. Hoc meum gaudium ſubinde euadit ſolidius, cum contendo inter ſe vtriuſque facti duces. Quid enim ὁ πονηρὸς poſſit, cùm habet contrà ſtantem DEVM, in confeſſo eſt apud malos quoque. Nimirum, vt DEVS ſolium ſuum tuetur ab omnibus gigantibus ὑψηλήταις: ita adminiſtros, VERITATIS cultores, validiſſimè defendit, excitatis Muſagetis, quibus hoc muneris dat, vt bonos auctores, gratiâ ſuâ hactenus ſuperſtites, concinnent, & καλλιδωάμιν poliant. Vt enim verba Flori, paucis immutatis, mea faciam, *Cauſa calamitatis omnis eadem*, NIMIA FELICITAS. Vt igitur, cum pace frueremur, torpuimus: ita cùm bellis premimur, meritò erigimur ad altiora, de poſteris cogitantes. Et hæc prima cauſa eſt. Altera eſt, quod DEVS Opt. Max. præter ſpem votúmque, in hac prouectâ ætate, morborumque agmine, vires mihi benignè ſuppeditat tam corporis, quàm animi, vt meditari poſſim aliquid, quod vtile futurum ſit illis, qui poſt me hoc æquor arabunt. Qui enim ab ineunte ætate laboribus aſſueui, ne nunc quidem quieſcere poſſum bonâ cum conſcientiâ. Facio autem, non vt olim inſtitueram, ſub aliâ perſona, ſed propriâ, vt obtrectatores mei intelligant, quàm non curem magna illorum nomina. Sum enim etiamnum ἀκυρόσπονδος, nec facilè vana pro ſeriis amplector, vt neque falſa pro veris. Hi qui ob id dolent, illi murmure ſuo fateri videntur, ſe tactos, adeóque hoc ipſo reos ſe conſtituunt. Quid dico autem, *ſolus Galenus* pro ſcopo mihi eſt, cùm *Adraſtean* illi obloquentem introduco. Sed ſatis verborum de illâ: *Exercitationibus* cauſam dederunt Æmilij Pariſani *Exercitationes nobiles*, ſeu *de Subtilitate*, Venetiis 1623. in quibus cùm nihil tale offenderem, *Iuueniles* vocare volui. Quibus abſolutis, cùm agminatim ſub manus venirent alij, medelâ quoquo modo egentes, volui otio indulgere & ingenio, itaque factum eſt, quod in domo ſurgente, cum, ſubinde ſuccedentibus ſibi aliis atque aliis operariis, ſenſim illa abſoluitur. Factum autem eſt, quidquid huius eſt, nullo alio fine, quàm vt VERITAS *vno ore loquatur vnum*. Hoc fiet in poſterum, benedicente DEO, ſi & qui ſcribunt & qui legunt, ea adiumenta attulerint, quæ Natura benigna rectè natis elargita eſt, quæque illi ſtudio & induſtriâ diligenter excoluerunt, *Ingenium* dico acre, cum *Iudicio* non diſtorto, ne falſa pro veris amplectantur; ne communes ſententias pro analyticè demonſtratis; ne παρεσπαρμένα καὶ αἱρετικὰ loco τῶν εἰλικρινῶν, καὶ ἀμαιάτων; ne obuia quæque eaque κίβδηλα pro ἐπισήμοις καὶ χρηστοῖς; quod (vno verbo) nihil interſit, quid ſen-

tias. Ego hactenus potiſſimam cauſam diſſonantiarum vidi, neglectum principiorum, quò fit vt huc illuc temerè lapſent, nec vni VERITATI ſe applicent. Cuius ſtudio vt boni, ſapienteſque ſeriò deinceps incumbant, per honorem Dei, rogo & obteſtor omnes. Huius laboris initium eſſe factum ſciant, ipſo die Brumæ 1644.





CASPARI HOFMANNI PRO VERITATE OPELLÆ TRES.

I.

ADRASTEAS GALENI

CAPVT I.

Animam Medico, quà Medicus, incognitam esse.

1. TRIPLICITATEM Animæ Galenicam subitò inclamat Adrastea, perlato libro, *Quod Animæ mores sequantur Temperamentum.* Facit id etiam Ill. Salmasius, *Com. in Epict. fol. 164.* Facio ego, omnibus locis illis, quibus negat Animam sibi esse cognitam. Imò exsculpo inde hoc axioma defensorium.

2. Quod qui negant, μετάβασιν faciunt εἰς ἄλλο γένος. Quæ enim necessitas est, Medicum semper loqui cum Physico, siquidem vsus, à quo pendet ars nostra, aliud velit, vel certè permittat? Quod enim ibi VERITAS est, heic VTILITAS est.

3. Vult verbi gratiâ, cùm, quæ reuerà gradibus differunt, specie differre ait Medicus, vt, Leucophlegmatia à Cachexia pituitosa, Apoplexia fortis à Caro quodam, Stranguria ab Ischuriâ. Aliæ enim sunt, aut certè non eædem prorsus indicationes, alia etiam πρόγνωσις. Ita vrinæ, pulsúsque differentiæ in Physicis bonitate & malitiâ tantùm à se inuicem distant: in Medicinâ, specie.

4. Permittit, in hoc ipso negotio. Cùm enim viuentium tres sint ordines;

& homo nobis propositus habeat tres illas facultates: vtique tria etiam erunt temperamenta. Vt explicem. *In plantis* cùm vna sit facultas, vnum etiam erit temperamentum, vna forma, vna anima, sed inferior, *Vegetatiua*, seu *Nutritiua* simpliciter dicta. In animalibus, cùm eadem quidem sit Anima, sed *Exaltata*, vt Interpretes loquuntur: mutabit illa quoque facultas nomen, & *Sensitiua* dicetur, à formâ scilicet superiori. In homine cùm accedit Ratio, mutabit iterum nomen, & *Rationalis* dicetur, itaque constituet *Formam supremam*.

5. Iam, quia Anima ipsa tam *Sensitiua*, quam *Rationalis*, est inalterabilis; alteratur autem ratione materiæ seu subiecti, forma quippe ἐνυλος: quidni liceat Medico materiam illam sic temperatam vocare *Animam*? habitu, inquam, Medico, non Physico? Tractat enim illam materiam sic temperatam, &, seruato temperamento illo, seruat Animam. Quare concludo, qui hinc impietatem exstruunt, in albo spatio vident albam lineam. Hinc pendet excusatio Gal. qui multis locis dicit, *Substantiam seu essentiam Animæ sibi incognitam esse*. Interim in libris περὶ δογμάτων, *de Sententiis*, (vt Scaliger vertit) fingere potest *Animam triplicem, substantiâ & locis differentem*. Et erat hæc veterum quorundam sententia, vt patet ex Arist. *1. de Animâ vlt.* quibus *t. 90.* obiicit, τί οὖν δή ποτε συνέχει τὴν ψυχήν, εἰ μεριστή ἐστι; *Si Anima diuisibilis est, quid vnit illam?* Idem facit Plato *in Theat.* Aliud de Hippocr. probari non potest: imò verò, loquitur ipse quoque cum Medicis, cum *Calidum natiuum* vocat *Animam*, *5. in 6. Epid. 5.* Quò minus cum vllo prætextu Galenus præscribere potest operi suo vel Hippocr. nomen vel Plat. vel vtrumque. Hoc igitur vt à propriâ libidine est, ita illud ab Adrastea. Vide Salmasium *dicto loco*.

CAPVT II.

In facultatum nominibus faciles esse nos debere.

1. IN significationibus τῆς φύσεως videtur deficere Foësius, cum non affert illam Stoïcam, *lib. de Form. fœt. 3.* quâ pro *Animâ* φυτικῇ ἢ θρεπτικῇ accipitur, quam Arist. etiam ψυχὴν, sed cum additione vocat. Hac occasione vsus Gal. φύσιν quidem vocat hanc ipsam Animam, facultatem autem, φυσικὴν, vt est *1. Fac. nat. 1.* Hâc in re laude an vituperio sit dignus, nescio: certè distinctis rebus debentur distincta nomina. Neque verò Adrasteas hoc interest, quid de nominibus statuatur.

2. Moneo ego tantùm, vt boni sciant, vnde sit hæc nominis mutatio. Idem Gal. Facultates *vitales* introduxit, scilicet, postquam Cordi ademit *Nutricem*. Hâc in re valdè operosa fuit Adrastea, ceu dicetur, cùm ad Respirationem & Pulsum ventum fuerit. Ego hac distinctione vtor, siquidem χαρίεντες esse volent nostri, hoc est Philosophiæ & Medicinæ doctores, abstineant: sin contenti esse possunt nomine τῶν εἰσαγομένων, iam in Parnasso illis hoc concessum est, idque sub sigillo Apollinis.

CAPVT III.

MATERIA NVTRITIONIS.

1. OMNES sani vident, loqui me de sanguineis. In his quia vnum est *Cor*, debet etiam sanguis esse *vnus*. Et est apud omnes, qui cum Democrito in puteum Veritatis descendunt: sed ita, vt vnus quidem sit ratione finis, in quo perfectio, quæ est NVTRITIO: duplex autem ratione originis. Vt enim Gal. inquit *6. Sent. Hipp. 6.* Nullum perfectum & magnum opus repentè, vnáque aggressione fit, totamque suam perfectionem ab vno instrumento acquirere potest. Tale opus est, inquam ego, SANGVIS, quippe qui fit à duobus instrumentis, Hepate & Corde: qui factus, per duos canales, tanquam *Aquæductus* (*Venas* & *Arterias*) in vniuersum corpus diditur: qui canales in itinere per mutuas ἀναστομώσεις inuicem aperiuntur, vt sanguis arteriosus, in Corde factus, tribuat sanguini venoso, in Hepate facto, perfectionem suam: qui sanguis tandem, per vasa capillaria partibus nutriendis allapsus verè nutrit, hoc est substantificè auget.

2. Heic subitò obstrepit nobis Gal. *loc. cit.* Si ita est, inquit obnuptâ fronte, ostendite mihi vas aliud, quod è Corde sanguinem absolutè perfectum, vt Arteria spiritum, in totum corpus dispenset. GALENE, collige sensus, & dic, quod scis in conscientiâ tuâ, non autem dissimula per malitiam, quod omnes sciunt. OSTENDO tibi ARTERIAM MAGNAM. Hò, inquis, illa πνεῦμα, *spiritum* vehit, non sanguinem. Collige sensus, dico iterum. Ergóne iam Erasistrateus es, & negas, quod peculiari libro solidè probâsti, *Sanguinem in arteriis* NATVRA *contineri?* Non nego, inquis, continetur: sed alium habet vsum. Ignosce, sodes, quomodo hæ duæ assertiones simul consistunt? *Continetur, Non continetur?* Videris mihi σκοτοδίνῳ laborare, adeo non intelligere vis, quæ Margita etiam intelligit! An hæc non est ἀῤῥωστία τῆς δυνάμεως?

3. Sed non sit: quis est ille alius vsus? *Vitæ*, non *Nutritioni*. Atqui *vita* & *nutritio* non differunt, nec apud Aristotelem, neque apud Theophrastum. Quid verò? Annon hac ratione fit λογομαχία? Sed non fiat: quâ in re consistit *vita illa tua?* In refrigeratione calidi natiui, hinc quidem per respirationem, illinc autem per pulsum. Væ mihi, lapides loqueris! Abi ad Aristot. vt melius instituaris. Mihi enim incumbit necessitas probandi, TE IPSVM, ab Adrastea compulsum, non vno loco scripsisse, *Nutritionis materiam ire, tam in arteriis, quàm in venis*, atque adeo nutritionem fieri vtroque sanguine inter se commisto.

4. Hâc in re vtar consultò his ambagibus. Vt certum est apud Aristotelem axioma, *Ex quibus constamus, ex iis nutrimur*; constamus autem ex sanguine, 1. *Gen.* 2. 20. & 21. 2. *eiusdem Operis*, 4. ita incertum facit Gal. 2. *Sem.* 16. *extr.* 1. *Nat. hum.* 27. cum certò affirmârit 2. *Fac. nat.* 3. & 2. *Elem.* 2. 8. *Sent. Hipp.* 4. *Form. fœt.* 2. 3. *Vs. part.* 10. Neque hilum valet ἔνστασις, quam vbique crepat, *At sanguis ille constat ex quatuor humoribus*, quod Hippocrates docuit περὶ φύ-

σεως ἀνθρώπου. Dico διαῤῥήδην, *Et falſiſſimum hoc eſt in homine ſano : & Hippocrates* (magnus ille) *nunquam docuit.*

5. Sed vt ex diuerticulo redeam in viam, clariſſima ſunt verba ipſius Gal. *6. Vſ.p.* 17. Tam ἀναστομώσεων mutuarum inter venas & arterias, quàm quod ipſa vaſa ſanguiflua ſunt duplicia, cauſam eſſe, quod diuerſo opus ſit alimento pro nutritione tam diuerſarum partium. Hic locus cùm Sole meridiano clarior ſit, acquieſco in illo: cæteros iubeo τοῖς φιλομαθέσι petere ex diſputatione problematis, *Cur Natura fecerit duo vaſa ſanguiflua?* Vide etiam *3. Gen. hom.* 17.

CAPVT IV.

RESPIRATIO.

1. TAM præſidens eſt Gal. in ſuo dogmate, *Reſpirationem eſſe actionem animalem*, vt 1. *Diff. reſp.* 2. & 2. *Diff. reſp.* 2. & 5. imperitos vocet, adeóque ſophiſtas, qui diſſentiant.

2. Tu verò ſcito, neque animalem eſſe, neque naturalem, ſi ſimpliciter loquare: ſed οὐχ ἑκούσιον, vt Ariſtoteles, *non voluntarium*, hoc eſt miſtam actionem eſſe ex animali & naturali. Et *naturalem* quidem, quatenus ignis motus ſurſum præualet, vnde etiam meritò *Naturalis* dicitur, ab eo ſcilicet quod dominium habet: *animalem* autem, quatenus muſculi concurrunt tam thoracis, quàm abdominis. Sed cur talem eſſe oportuit? *Naturalem* quidem vt ſit, hoc eſt vt ventilet Calidum natiuum Cordis: *animalem* autem, vt modulari poſſimus, ceu loquitur Cæſalpinus, hoc eſt vt in noſtra poteſtate ſit intendere & remittere vocem, ſermonem continuare & interrumpere. Hoc quia demonſtraui *Com. 2. de Thor.* 18. licet mihi iam quieto eſſe.

CAPVT V.

PVLSVS.

1. QVIA Gal. tot locis, quot produxi *Com. 2. de Thor.* 17. fortaſſis etiam pluribus, tribuit facultati *naturali*, non *vitali*, neſcio, an quiſquam dubitare poſſit de imperio Adraſtéas. Hoc autem addo, quod alibi quoque, Tam reſpirationem, quam pulſum eſſe potius ab actu ipſo *Animæ*, quàm ab vlla facultate.

CAPVT VI.

CONVVLSIO.

1. QVI multis locis defendit *Repletionem & Inanitionem* Hipp. tanquam communem ſententiam : is 2. *Cauſ. ſympt.* 2. expreſsè ait τὸν σπασμὸν γίνεσθαι, διὰ πνεύματος ἐμπτώσει πληρουμένων τῶν μυῶν. Et explicans ſe mox, πνεῦμα illud φυσῶδες eſſe inquit.

2. Hoc bonâ quâdam conſequentiâ deduxeris etiam ex *cap.* 8. *lib. de Palpitatione.* Si enim motus muſculorum præternaturales ὅμοιοι ſunt naturalibus, excepto eo, quod hi ſunt ἀβούλητοι : vtique dicere poſſum, vt naturales fiunt à *ſpiritu* ſecundum naturam ſe habente, cùm, turgido facto muſculo, partem, in quam inſeritur, vectis inſtar attollit, vt ſe explicat 1. *Sent. Hipp.* 10. ita præternaturales *à flatu*, ſpiritum mentientur.

3. Licèt autem vtrobique ſtatim recurrat ad *Repletionem & Inanitionem* : manet tamen hoc, *proximam cauſam eſſe flatum.* Hunc latè explicaui *Animad. in Mont. cap.* 9. Vbi ſi quis nolit admittere παρακολουθίαν, patiar deleri alterum *de Palpitatione*.

FINIS ADRASTEAS.



CASPARI HOFMANNI PRO VERITATE OPELLÆ TRES.

II.

EXERCITATIONVM IVVENILIVM.

CAPVT I.

ELENCHVS AVTHORVM.

I. AEMYLIVS Parisanus.
II. Ioannes Hieronymus Bronzerius.
III. Thomas Fienus.
IV. Iacobus Scheggius.
V. Nicolaus Leonicenus.
VI. Pompeius Caimus.
VII. Nicolaus Taurellus.
VIII. Cæsar Cremoninus.
IX. Hieronimus Fabricius ab Aquapend.
X. Franciscus Valesius.
XI. Fabius Pacius.
XII. Ioannes Costæus.
XIII. Franciscus Bonamicus.
XIV. Andreas Laurentius.
XV. Aloysius Mundella.
XVI. Petrus-Andreas Matthiolus.
XVII. Mundinus Mundinius.

CAPVT

CAPVT II.

DE ÆMILIO PARISANO.

Discipuli & Præceptoris Colloquium.

DISC. SALVE, mi Dn. Præceptor. Incolumem me offendere te, gaudeo mihi, & gratulor tibi.

PRÆC. Pro salute quidem & affectu gratias habeo: pro libro autem in antecessum misso, ago maiores, vel ideo, quia ad meum palatum est, non quidem, quod magnopere probem: sed quod volupe sit mihi vel hinc etiam agnôsse, *quantis caream malis!* Nosti enim illud, καλὸς θησαυρὸς ἡ ἄγνοια.

DISCIP. Diuinâram id quidem, cum Venetiis emerem, & lætor ita euenisse!

PRÆC. Legisti igitur? Quæso, dic candidè, quid sentis?

DISC. Nisi indecorum est, iuuenem me sumere mihi partes senis!

PRÆC. Non erit: quia ex ore & sensu meo loquéris, si modò non factus es transfuga.

DISC. Ego verò perdam VERITATEM? & amplectar Mendacium?

optem prius ima dehiscat
Terra mihi viuo, quam me pudor occupet iste!

PRÆC. Dic ergo cordatè, Quo modo se habent principia de semine?

2. DISC. Dico clarè, Est *miser vnus homo adeo, vt ne scribere quidem possit Græcè!* Sed reiiciamus culpam in pauperiem typographi: in ipsâ re quantoperè hallucinatur! Nôrat quidem præceptum Logicum, *à nominis distinctione ordiendum esse*, sed scopum non attingit. Tria hic sunt vocabula, quæ nec Arist. nec Gal. semper distinguunt, γονὴ, ἢ γόνος: σπέρμα: κύημα. Hæc pendent à distinctione sexûs, in quibus animalibus illa est, Illa consistit in eo, vt mas quidem det principium ὅθεν ἡ κίνησις, vno verbo τὸ δραστικὸν, ἐνεργητικὸν, δημιουργικὸν ποιητικὸν, φυτευτικὸν, aut quomodocumque appellare velis *Efficientem causam* Latinis dictam, quæ postea in *Formam* degenerat: femina autem τὸ παθητικὸν, *Materiam* seu *Subiectum*. Illud, cùm distinctè loquuntur, γονὴν ἢ γόνον vocant: cùm indistinctè, etiam σπέρμα. Hoc, sanguinem maternum seu menstruum in viuiparis, cui in ouiparis proportione respondet τὸ λευκὸν, *albumen*. Cùm coniunctum iam est vtrumque vt in ouiparis, & seminibus plantarum, propriè κύημα est, impropriè σπέρμα.

3. Exemplum propriæ significationis ἐν τῷ γονὴ est *1. Gen. 18*. Ibi γονὴ καλεῖται αἴτιον, ὅσα συνδυάζεσθαι πέφυκεν, κ. τ. λ. Hic locus vt expressè fauet Parisano, ita multi alij sunt, qui non fauent. Quò fit, vt non possit pro definitorio haberi, verbi gratiâ cum *2. Gen. 3.* ait, πάντων ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχει, ὅσπερ ποιεῖ γόνιμα εἶναι, τὸ καλούμενον θερμόν. Hoc cùm statim explicaret, θερμὸν illud ait esse πνεῦμα ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι, καὶ ἐν τῷ ἀφρώδει, φύσιν ἀνάλογον οὖσαν τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ.

4. Super hoc loco structa est Interpretum cura, quæ vult, in semine ma-

sculo duo considerari, λόγον σπερματικόν, καὶ ὄγκον σπερματικόν. Λόγον esse *Calidum* illud, quod Philosophus appellat, *Spiritum* illum, qui continetur ἐν τῷ ὄγκῳ, in corpore illo ἀφρώδει, qui *Spiritus* est analogus quinto elemento, Cælo, cuius officium est, instar cæli, generationem incipere & absoluere. Ὄγκον esse corpus illud spumosum & liquidum, quod in συνδυασμῷ mas effundit, & σπέρμα vocatur impropriè, de quo lites sunt insignitæ, de quibus in sequentibus. Hoc ipsum vulgo dicitur de seminibus plantarum, & impropriè, cum κύημα sit ex *1. Gen. 18.* vt & oua sunt in ouiparis.

DISC. Hæc à te, mi Præceptor, non vno in loco diligenter explicata, nisi ab εὐεξαποδρόμοις quibusdam (vt memini te vocare) superbè contemnerentur, minus turbarum esset. Harum vnam, eamque recenter motam à Parisano, de duplici semine masculo, non memini vnquam à te tactam.

5. PRÆC. Quoi potui, cùm non fuerit? Cudit enim monstrum hoc quantum memini, primus Parisanus, partim ex veteri & falso dogmate, ab Arist. refutato, *Semen masculum esse ex toto:* partim ex vero, & ab Anatomicis omnibus recepto. *Esse illud ex vasis* (potiùs partibus) *spermaticis.* Et est ita, quod problema excitauit Vett. ad amplectendam sententiam damnatam. Voluptas, quæ est in συνουσίᾳ, illa perpulit Nostrum ad hoc commentum, quod ipsi rerum Naturæ contrarium est.

DISC. Ignosce, mi DOMINE. Memini me legere *in Com. de Vs. p. Semen esse ex toto, ratione spirituum,* qui faciunt κνισμὸν illum ἰσχυρὸν, de quo *1. Gen. 18.* Quo dato, quomodo naturæ est contraria hæc sententia? Respondeat tibi Logicus, ab eo, quod est κατά τι, argumentari non licet ad id, quod ἁπλῶς. Scio, quæ instantia dari possit: sed pareo.

DISC. Non repugno: sed dic, quæso, Annon persuaserit tibi Parisanus, quinque illis rationibus?

6. PRÆC. Mihi ille persuaserit? Ne quidem si alias quinque cumulârit! Quin puto, falsum quidem esse hoc dogma vel per argumenta Arist. solutionem autem problematis pendere ab eo, quod dictum est, à spirituum commotione. Quod verò allinit, semen in partibus spermaticis factum, esse semen impropriè dictum, est digna Parisano fuga. Dignior est altera, Semen hoc esse alimentum illius, quod è toto venit. Quæ enim verisimilitudo huius assertionis? &, quo modo fit alimentum? Quàm pulchrum verò illud? Est excrementum, quia excernitur, ratione corporis, quod excernit: est alimentum ratione corporis, quod recipit. Nec minus pulchrum est illud, *Verè, impropriè tamen.* Si verè, ergo propriè. Hoc cum dixisset p. 4. v. 5. quei dicere potest p. 7. v. 3. *quamdiu est in corpore,* alere testes: sed postquam explosum est, vasa deferentia, & glandosa corpora? Ergo, non semen totius alit sed partes corporis recipientis. Vides monstrosum dogma, non aliter refutandum quàm contemptu!

7. DISC. Tua cum pace dixerim, non aliâ veneratione dignam esse refutationem, quam dirigit contra Arist. 1. quem nunquam intellexit, *Quod semen non sit excrementum, quia non malè oleat.* Hui verò, putat sibi cum rusticis esse rem? Hi enim, audito hoc nomine, subitò ad oletum prouolant. Atque Philosophus περίττωμα vocat, quod minus cautè *Excrementum* vocamus, vel ideo, quia duplex facit, *Vtile & Inutile,* & considerat vt *Relatum,* quatenus περιττόν

eſt huic in diuiduo, quod alere non poteſt, deſtinatum quippe conſeruationi ſpeciei.

P R Æ C. Mactè egregiis tuis progreſſibus, è quibus agnoſco, non decollâſſe ſpem meam! quò minus laborandum mihi eſt in cæteris λαπίσματα militis huius glorioſi.

D I S C. Ego verò etiam rogo, vti labores, ſi cum commodo tuo fieri poſſit. Scis enim quanti referat, quid à quo, in re tam ſeriâ, ſcribatur, dicaturve.

8. P R Æ C. Rectè loqueris. At Pariſano tam non fuit id curæ, vt maluerit Venetum montembantum, vt ſic loquar, æmulari in collaudando ſemine ſuo fictitio. Quid enim boni eſt in toto *cap. 1. Ex. 3.* præterquam obſcura quædam ſignificatio officij partium publici & priuati? quod interim colluculat oratione tam ſordidâ vt dictorum hominum nemo poſſit melius. Ita eſt, ſemen conficiunt, non ſol[illegible]στάται ἀδενοειδῆς, ſed & προστάται κιρσοειδῆς: ſed omnes hæ partes ſimul, vt demonſtraui *in libb. de Gen. hom.* An quidam ſine teſtibus Venerem appetant, imò, an fœcundi ſint tales, deciſum ibi quoque eſt. Habent teſtes, non in ſcroto, ſed in abdomine, in quo fiunt, & è quo poſtea extruduntur. Quæ multa & varia inuergit *cap. 2.* de teſtibus & coitum piſcium, & ſerpentum, ἀλλότρια ſunt, & pertinent ad Rondel. ad quem *lib. 3. Piſc. 22.* remitto lectorem. Quæ *cap. 4.* odioſè iactat in Ariſt. de ponderibus textricum, talia ſunt, qualia volet vnuſquiſque è plebe. Quod *cap. 5.* affirmat, teſtes ſui gratiâ (tam eleganter loquitur!) ſemen procreare, perſpicuè falſum eſt. Eſt enim publicum eorum officium, vt ipſe mox fatebitur: aluntur verò ſemine non magis quàm ventriculus chylo. Quod ait de teſtium principatu, ab longè alio clauo pendet, quem fixi ego *principio libb. d. de Gen. hom. ex Iacch. quæſt. nat.*

9. Ex quo ſi petere liceat ſenſum illorum verborum, Teſtium præcipuum munus eſſe generare calorem inſitum, hic erit, *Teſtes generant ſemen, quod non niſi ὄγκῳ differt à calido natiuo fœtus*, vt Bonamicum loqui ſæpenumero dico. Hæc ſi eſt ſexta (non quinta) eſſentia corporis, adeóque differt à diſtributione calidi in vniuerſum Cordis, iam gratias debebimus egregio Pariſano de locupletatâ inſigniter philoſophiâ. Ob quod facinus non minus ſplendido dignus eſt epinicio, quàm Natura ipſa ob fabricatos teſtes, ὁ ὕπατος literatorum Pariſanus.

10. Ibi in clarum riſum effuſus I L L E, Ignoſce, inquit.

Ignoſco, inquam Ego. Quis enim tam duri pectoris, qui oblatâ re ridiculâ, non rideat? Atque vt videas me quoque cauſam habere ridendi, parumper attende. *Cap. 1. & 2. Ex. 6.* quæſtionem proponit, Annon vtrumque ſemen ſit ab vtroque parente? *Quod vtrumque ſemen?* quæro ego iterum, *Et quod è toto eſt, & quod è partibus ſpermaticis.* E toto? Atqui Ariſt. id non admittit *1. Gen. 17.* quatuor rationibus, quas nec extremo digitulo attingit antagoniſta. E partibus ſpermaticis? Atqui idem *cap. 20.* negârat, feminam ad generationem quidquam conferre, præter menſtrua. Et nos *fine libb. de Generatione*, tam ſolidè refutauimus ſemen femineum, à Gal. introductum, vt hactenus tota ipſius ſchola fuerit muta. Nunc vrget vnicum illud Ariſt. *extr. d. cap. 20.* & Ramiſtis noſtris commendo clarâ voce,

11. *Vbi ſunt diſtincti ſexus, ibi quoque diſtinctum eſt agens à patiente,*
In animalibus tam viuiparis, quàm ouiparis eſt diſtinctus ſexus, Ergo.

C ij

Hoc enim voluit Natura, Mas debuit esse calidior, qui fabricaret formale quid, τὸ ποιοῦν inquit Arist. τὸ ἐνεργητικόν: femina frigidior, vt suppeditaret materiale, τὸ παθητικόν. Caloris enim huius accidens est dissipare: frigoris contra. Hoc argumento vsum esse *Gal. 14. Vs. part. 6.* qui negant, Tiresia sunt cæciores. Scio, quid moretur illos, quò minus videant: ego verò vnguem imprimo illis, ἡ δὲ αἰτία τῆς πλειότητος ἡ τῆς θερμότητος ὑπεροχή· τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τὸ πρῶτον ὄργανον τῆς φύσεως. *Causa est caloris præstantia, excellentia, summitas, sublimitas, eminentia, dignitas*, aut si quo modo aliter exponere possis vim vocis Græcæ. *Calor autem est primum Naturæ organum.* Iam ergo hoc est argumentum ab aduersario probatum. Quod quàm ponderosum sit, nescire voluit Parisanus. Quid enim respondet? Primò quidem se implicat: sed denique hoc vult, in femina sunt eædem partes genitales, E. eiusdem sunt vsus. Mi Domine, partes pertinent ad materiam, quæ nisi efficientem proportionatam nanciscatur, nihil fit.

12. Requiritur igitur calor non quiuis, sed ὑπερέχων, *præstans, excellens*, qualis in viro est. Nec possis dare rationem gradûs huius, nisi dicas, *Vir est calidior feminâ, propter hanc causam.* Deinde, in feminâ non semper adsunt omnes partes spermaticæ, sed in iis tantùm, quæ semen habent, & *Viragines* dicuntur, quod ipsum tamen γόνιμον non est, nec ad conceptionem concurrit. Quod ad numerum partium, hem tibi Herophili verba apud *Gal. 2. Sem. 1.* ὁ κιρσοειδὴς παραστάτης ἐν τῷ θήλει οὐχ εὑρίσκεται. Et tale erat subiectum tuum, ô Parisane, quod Venetiis tractabas anno 1605. Tale erat, quod Marchettus Patauij anno sup. 1644. vt habeo de literis D. Christophori Nicolai, Med. Candidati. Hæ historiæ vt pertinacissimè pugnant pro Aristotele, ita Galeno perpetuum indicunt bellum. Quo ex sermone intelligis, sed credo oculis, qui, monstrante Bauhino, viderunt Basileæ anno 1605. dictum παραστάτην. Et ait ipsus *1. Thea. 36.* In feminis vesicas illas non ita conspicuas esse, vt in viris. Hæc volo esse expositionis loco illorum, quæ scripsi in χειρομ. φυσιολογ. *cap. 155.*

13. Cæterum, quatenus Arist. in negotio de Gen. aut verus aut falsus sit, explicatum mihi est *in libb. 4. de hoc negotio.* E quibus etiam vindiciæ illi parandæ sunt, sicubi lasciuiant contra illum Galenistæ. Tale est, quod Noster ait, *illum turpiter errare, baculo indigere, & si qua alia fanatica iactat.* Auerroëm à barditie absoluo, quia fabula illa in melioribus codicibus non est, vt scripsi alibi. Vnde & quanta sit illa voluptas vtriusque sexus, non magis scire laboro quàm alia, quæ ciuilis pudor prohibet me scire. Eadem ratio est, an quædam sine voluptate concipiant? quæ pars præcipuè sentiat? quis vsus heic Zibetthi? Tandem quod *Ex. 8.* impietatem Aristotelis ex *1. Gen. 20: 4. Probl. 27.* & Sodomiam (verbo hoc ipse non vtitur) probâsse ait, extremè temerarium est, vt leuissimè dicam. Turpitudini enim illi scalligans turba vitularis facit non solùm; sed & publicè defensare audet. O tempora! ô mores! Sat scio, esse quosdam ex petulco illo grege, qui pro velo vtuntur assertione illâ, *Semen retentum facessere in venenum:* ideo ex *6. Loc. aff. vlt.* tam studiosè recenset Noster. Quantò castius SCHERBIVS olim cum commentando eò peruenisset, totum omisit, additâ ratione, GAL. *heic plusquam Græcus est!* Quem cùm æmulatus esset hic Romanus, subitò *cap. seq.* peccat in contrarium, damnando omnem Veneris vsum. Atqui præceptum diuinum est, *Crescite & multiplicamini.* Ideo quondam ne sacerdotes quidem arcebantur. Et Enoch, in cælum transferendus, operam dedisse liberis scribitur.

14. Cæterùm, in propositâ quæstione mirificè molestus est homo. Primùm quod negat retentum semen refrigerare posse, quod calidum sit. Quis enim vnquam de semine secundum naturam se habente id dixit, aut dicere voluit? De corrupto loquuntur omnes. Sed neque id necessarium est. Retento enim in vasis semine, sanguineque in toto corpore stagnante, & quosdam & quasdam melancholicis prehendi symptomatis, languere, appetitum amittere, cibum vomere, caput dolere, & aliis plethoræ malis affligi, admiratione dignum non est. Ita loquor: quia in viraginibus æquè fieri potest à sanguine ac à semine. In reliquis, quæ semen non habent, & fortassis vesiculis seminariis carent, non est opus hoc metu. Hoc enim non semel scripsi, Romanam illam viduam, cuius Gal. alibi meminit, non potuisse non ex viraginibus fuisse, alioquin hæc talia non passuram. In reliquis, quæ semen non habent, vbi ad vterum, qui in hoc sexu pro sentinâ est, confluxerint excrementa frigida, & flatuata fuerint, ita comprimunt diaphragma, vt nec respiratio fiat, nec alimenti distributio. Hinc refrigeratio totius corporis. Hoc est venenum Practicorum quorundam. Quòd si, ô Parisane, ignores, nullam vnquam hystericam recalfacis. Si spem ponere voles in ipso semine calido, ridebere à dupondiis nostris, inprimis si naturale semen vrgere voles.

15. Disc. Ignosce, Domine, quod interpello sermonem. Intolerabile mihi videtur, amplecti officium publicum testium quod est conficiendi semen, *fol. 39.* & tamen dicere, testes ali semine. Intolerabile non minus illud est, quod cum *Gal. 14. Vs. p. 11.* alium à semine in vesiculis seminariis quærit humorem, quem tu *in Com.* ablegas. Deliro dignum est (non enim possum temperare mihi, quin dicam, quod res est) quod temerè reuocato duplici suo semine, ait, *In coitu emissum semen debilitat: non Illud,* quod è vasis spermaticis est: *sed quod è toto corpore:* Hi nimirum sunt errores sapientum!

Præc. Laudo & dilaudo magnanimitatem tuam! In bonâ enim causâ oportet cordatum esse, nec terreri magnis nominibus. Quanquam quis vnquam Parisanum inter magnos habuit, nisi qui non intellexit? Qui verò in posterum habebit, infamis & contemptibilis esto. Hoc tantò confidentius dico, quod videam, Parisanum brassicam suam tertiùm reddere igni, repetere, inquam dogma suum de duplici semine, & de nostro (quod solum est in rerum naturâ) dicere contra Scal. *Non esse actu animatum.* Ego liquidò iurare ausim, nunquam illum intellexisse Scal. nec intellecturum quemquam, nisi admisso interpretamento nostro, quod ipsius Arist. esse dixi suo loco, *lib. scilicet tertio de Gen. hom.* Interim Parisanus tanto cum feruore agit, vt ramices crepent, quin animam agat. Quas enim affert 20. rationes, tot sunt peditus asinini, vt Macedonicè loquar. Hac in re non deserturos me bonos, qui & rem intelligunt, & possunt ἐπιδεῖν λόγῳ, vt Gal. loqui solet, vt planè confido: ita cum Catullo ἐπῳδῶ,

Ipsa olera olla legit. ---

Irasceris Margita? *Si tibi machæra est, & nobis veruina est domi,* inquit Chrysalus apud Plautum, *in Bacch.* Ibi tum

Disc. Annon, inquit renidens, asperis his verbis crabrones irritabimus? Crabrones, inquam Ego, non nisi igne domantur, hem tibi autem heic aliquid igne potentius, ἡ πανδαμάτωρ ἀλήθεια, Θεῷ σύμφυτος, *insuperabilis* Veritas, *sola*

D E O *connaturata*, vt ſic barbarizem. Huius fiduciâ dicere audeo, Pariſanum in ſeq. æque ignarum eſſe mentis Ariſtot. ac fuit in ſup. Hinc rudis illa oratio principio *Ex.* 11. *Nunquid ſemen vt coagulum lac cogat, &c.* quam excipit longè rudior & deformior, in exploſione (vt loquitur) ſententiæ Ariſt.

16. Vt enim verbo dicam, luctatur homo cum laruâ, cùm tribuit Philoſopho, quod nunquam dixit, *Egredi, & euaneſcere in auras.* Hoc oſtendo nunc ex vnico loco illo, 2. *Gen.*3. hinc orſus. Iuriſconſultorum præceptum eſt, *non eſſe pronunciandum niſi inſpectâ lege integrâ.* Quantò magis, ſi quid contra Ariſt. experiri velis. Quæſtio erat, an ex ἐκ τοῦ σπερματικοῦ fiat vna, alteráve pars? Cùm dixiſſet, τὸ σῶμα τῆς γονῆς (ita enim lego) διαλύεσθαι καὶ πνευματοῦσθαι, ſubiicit, διόπερ οὐ δεῖ ζητεῖν ἀεὶ θύραζε αὐτὸ ἐξιέναι, οὐδὲ μόριον οὐδὲν τῆς συστάσης μορφῆς, ὥσπερ οὐδὲ τὸν ὀπὸν τὸ γάλα συνιστῶντα. Vt totius loci ſenſus hic ſit, *Cum ſeminis partes duæ ſint, vna χωριστὴ, altera ἀχώριστος: hæc diſſoluitur, & ſpiritatur, vt ſic dicam. Quamobrem non ſemper inſtare oportet quærendo, vtrum foras exeat corporatura, ac partem aliquam faciat formæ conſtitutæ, quemadmodum nemo quærit, an coagulum, quòd lac ſeparat ad formandos caſeos, è caſeis exeat.* Hunc ſenſum videtur extudiſſe Argenterius, aliàs contradictionum auctor, cuius nomen attuliſſe ſatis fuit Pariſano. Locus eſt *Com.* 2. *Art. ed. Francof. in fol. f.* 204. *Ratio ſeminis in generatione eſt, quæ coaguli in confectione caſei. Vt ergo ex coagulo non materiam, quæ capitur ex lacte, ſed vim ſolam ſuppeditari dicimus: ſic ex ſemine nullam partem gigni, manere tamen in vtero, vt ſanguinem mutet, & formam det, credere debemus. Id enim fieri nihil prohibet, & quæ dicta ſunt, conuincunt, quantum aſſequi poſſumus in re tantoperè incertâ, & in naturæ penetralibus reconditâ.* Solerter hæc ille *profectò, nec minus modeſtè, quâ meliorem ἑρμηνείας non poſſit dare Ariſt. ipſe, ſi Latinè loqueretur.* Non minus felix fuit hac in parte Bonamicus, 4. *Alim.* 23. cui quid ſimile, *in opere de Motu,* legeris. Vt mirer hominem noſtrum arrogantem non aperuiſſe oculos! Sed ita eſt in hoc genere, *Præiudicium tollit iudicium, fiúntque cæci & ſurdi, amore illius, quem propoſuerunt ſibi imitandum per omnia,* vt Gal. loquitur alicubi. Vt paucis agam, Primus & maximus error Pariſani eſt, quod negat, *Semen eſſe animatum.* Eſt omnino, vel Scaligero docente. Cuius vices vt iam non gero: ita dico, hunc reuera eſſe Herculem Melampygum, in quem miſellus Perperus (ni malis Cercops) incidit, à quo etiam exſpectet, me ſpectatore, ſimile ludibrium. Atque hæc hactenus.

17. D I S C. Quia video te defeſſum, niſi diſplicet, præſtabo interea vicarias operas, vel ideo, quia magnoperè friget Pariſanus *in ſeq.* Quid enim eſt, quod negat quidem ſanguinem eſſe materiam partium ſolidarum: ſed ait ſemen eſſe? Contra enim illud pugnat principium hoc inexpugnabile, V N V M, Q V A V N V M, non agit in ſe. Quod quia 3. *Gen. hom.* ita ſtabiliuiſti contra arietes etiam adamantinos, ineptus ſim, ſi iterum protraham. Quid iſtuc verò eſt? Cum Pariſanus timidè proieciſſet ſemen ſuum, ad ἀγχοιμοπύρρωνίους conuerſus, *Fœtus principia cognita non fuère,* inquit. Si neutrum fuit cognitum, quei ſemen præfert ſanguini? Voluit, credo, conſulere pudori ſuo, orditurque adeo nouum trama *Ex.* 12. ſed infeliciter. Quem enim adfert locum *ex* 1. *San. tu.* 2. illum tu pro Peripatetico declaraſti dudum. Nimirum, quam ipſe Gal. fingit deam, A D R A S T E A N, illa heic loquitur per calamum Gal. clarigando id, quod res eſt. Eſtne hoc conſulere ſibi? Fortaſſis eſt hoc alterum, *Spiritus non ſunt partes?*

Quid dicet Hipp. ſi viderit excludi ſua ἐνορμῶντα?

Præc. Rectiſſimè tu hæc & neruosè: porrò igitur tu præeris officio huic, ſed alio tempore.

Disc. Fiat cum bono Deo, tuóque commodo.

LIBER II.

18. Disc. Venio vocatus, mi Dn. Præceptor, ferens mecum faſtidium ingens ad dapes minus gratas futuras tibi quoque.

Præc. Non refert. Tu modò fortis eſto, & dic, quod res eſt, ne præfatâ quidem veniâ, ſed breuiter, vt nuper. Talis enim debetur caprinis iſtis præliis, quæ ἀπαίδευτοι noſtri inſtituunt, quibus ſatiùs erat tacere, & alios audire. In omni enim diſciplinarum genere ſunt ſtulti, quibus (Siracide auctore) *reſpondere oportet, pro modo ſtultitiæ, ne videantur ſibi ſapere.*

19. Disc. Vt obſecundem tibi, ſumendo partes mihi dicendi, Scire oportet, duplex illum cõſtituiſſe ſemen. Quâ in re 1. peccat in leges Analyticas, cum quæſtionem εἰ ἔστιν omittit, & ſubitò venit ad τί ἐστι. Omnibus enim veteribus non niſi vnum cognitum eſt ſemen, de quo controuertebant, *Sitne ex vaſis ſpermaticis ſolis*, cui rei fidem faciunt oculi: an potius *ex toto*, quod ratio videtur velle? Deinde peccat contra conſuetudinem ſcribentium, qui, quoties coniungere volunt diuerſas ſententias, monent id clarè. Tertiò, cùm de vnitate conſtet, de origine autem certetur: cur ne id quidem monuerit? Quartò, cur tam diſſidentis fecerit naturæ? alterum dicendo animatum, alterum inanime? Mihi videtur fruſtrà, & ſine ratione cumulare entia: quin deficere in eo, quei fiat, quod vtrumque ſimul excernatur ſemelque?

20. Præc. Meritiſſimo hæc deſideras, præſertim illud, *Quei cohabitent animatum & inanime?* Fortaſſis alterum habet rationem formæ, alterum materiæ? cuius rei exemplum aliud non eſt in totâ rerum naturâ? An ex Fernelio, *l. de Procr. hom.* natum eſt illi hoc commentum? Licet enim infrà *c. 5.* neget; quamuis duobus locis, *c. 6. & 9.* refutet: tamen ouo ouum tam ſimile non eſt, quàm hæc duo.

21. Disc. Videtur etiam φιλόθειστος eſſe, ſtatim proiiciendo definitionem eſſentialem. Nimirum, per cauſas definit, per quas ſcimus. Sed & genus ipſius nimis latè patet. Reſtrictius contrà eſt Ariſt. illud, ὑπόλειμμα ἢ περίττωμα. Quod ad rem, Video totam molem probationis incumbere illi hypotheſi, *Spermaticas partes ali ſemine.* Vbi ſi quæram, cuius nutritionis excrementum ſit hoc nouitium ſemen? audies ſapientiam inauditam: *Nullæ ſunt tales partes.* Ergo nec nutritio illarum vlla, nec vllum excrementum, dicam. Quæ deinceps per 12. integra folia diſputat de modo generationis, fateor noctem mihi eſſe.

22. Præc. Fateor & ego, qui conſultum illi velim, deſerat tam craſſas ſubtilitates, & cum *Gal. 14. Vſ. part. 5.* & mox *15. Vſ. part. 2.* (ſimilis locus eſt *5. Aph. 39.*) dicat, *Hæc quidem* Devs *Opt. Max. ita facta voluit: ego autem nec imbecillitatem meam ſatis agnoſco, nec Conditoris potentiam.* Velim etiam de Ariſtotele, Naturæ genio, & honeſtius ſentiat, & parciùs loquatur.

23. Disc. Equidem nihil moderati ab iſto homine exſpecto! Perſequens enim definitionem ſuam *Ex. 2. cap. 7.* longiſſ. texit telam, ſed reuera κλώσ-

ἀσύγκλωστα, vt ex Synesio loqui soles. Et est tam confidens simul & arrogans, vt subinde exclamet, *Soluat, qui soluere potest!* nimirum, *Vulcania sunt vincula!* Maior audacia est *in Ex.3.* in qua probare vult. Quemadmodum ab omnibus & singulis maris partibus semen deraditur: ita ab omnibus & singulis feminæ, & quidem γόνιμον. Quæ cùm quid extra me raptus fixis oculis intueor, incidit Pythagoreum illud.

Σιγᾶν, ἢ κρέσσονα σιγῆς λέγειν.

Et excursus ille in Aristotelem & Scaligerum quanti? Vereor enim vt alterutrum intellexerit! vereor etiam vt discesserit Scaliger ab Aristotele! Et vbi est inconstantia Aristotelis, si rectè verba ponderes? Pro tribus istis rationibus nec vnicum ciccum dederim. Quæ ex Hippocrate & Galeno fuit, argumentum conficiunt ἄπιχοι. Quæ de Æthiope aspergit, de vulpis coitu & canis, de perdicibus, aliis, sunt

——— *foliis leuiora caducis.*

Tanti sunt & sequentia quæ intacta relinquo, ne frustra aures tuas scarificem.

LIB. III.

24. PRÆC. Gaudeo, me tandem καθόρθωμα inspicere, similitudinem natorum ad parentes triplicem, speciei, sexus, & effigiei, seu, vt ego intelligo, faciei. Interim aduoco Gal. illud, pronuper ex duobus locis tractum,

Conditor hæc voluit, quærere plura nefas!

In hoc enim acquiescit animus; in illis sempiternę sunt hinc inde fluctuationes. Quatenus femina sit πήρωμα apud Arist. & Gal. clarè mihi dictum est *Com. in 14. Vs. p.* Quemadmodum & illa fabula mihi excussa est de conceptu maris ex dextro teste in dextrâ vteri parte, &c. Summa, magni viri amplexantur aliquando communes sententias, quamuis falsas esse sciant, ne semper cum vulgo digladientur, & sapere in omnibus videantur, etiam illis, in quibus Veritas abscondita est.

25. DISC. Ignosce, Domine, hac quidem ratione Parisanus erit maximus magnorum! Quid enim futilitatum non affert in quatuor illis *Ex. 3. 4. 5. & 6* Satis scio, si commemorare tantùm vellem, domo me exigeres baculo. *Ex. 7.* quæ de stigmatis disserit, libenter substituerim Lud. Septalij opusculum *de Næuis*, Mediolani impressum, si tam felix essem.

PRÆC. Scriptum ipsum & elegans & doctum est, & habebis, quando voles. Paucis. Collineat ad illud Galeni, diuinitus imprimi.

LIB. IV.

26. Non discedit quidem à nobis Parisanus, quatenus à testibus arcessit *Calidum natiuum*: sed quatenus alterum etiam semen mentitur, confusiones parit. Iisdem sese implicat, cùm duos quidem agnoscit calores, sed nusquam se explicat, vbi vel hic vel ille sedem habeat.

27. Dixi ego sæpe, & breuiter repeto, *Primus* ἔμφυτος est & *formalis*, qui originem suam à semine masculo habet, quatenus illud per Cordis substantiam διαλύεται, eo modo, quo coagulum per caseos, fermentum per panes, ita vt oculis

oculis quidem obuium non sit, ex effectibus autem euidens fiat. *Alter* σύμφυτος est & *materialis*, qui originem suam transcribit elementis calidis, & sedem fixam habet in omnibus partibus solidis. Vtriusque vestigia in plantis quoque sunt, verbi gratiâ Rhab.

28. Primus enim est, quo viuit, & semen producit: secundus, quo, etiam cum exaruit, purgat, calefacit, deobstruit, &c. Quo loco obseruandum, quod Parisanum & complices fugit, *Humidum radicale* Arabum esse idem cum *Calido* illo *formali*, de cuius naturâ est, idque ratione originis suæ, vt primo natiuitatis die sit fortissimum, semper decrescens, vsque dum planè deficiat, in iis, inquam, qui naturali morte obeunt. Hinc apparet, nihil accedere illi ab alimento vel boni vel mali; non etiam pati à se ipso, cum sit vnum πάθη: sed pati à causis tam internis, quàm externis, vt Gal. docet *1. San. tu. 2.*

29. Disc. Ignosce, quod interpellem, Parisanus, à naturâ consultus, quo modo animal faceret immortale? respondet, Si pro singulis partibus tantum præpararet seminis, quantum pro Corde. Potésne continere risum?

Præc. Possum, quia cauet sibi duobus illis verbis, *Seruatis seruandis.* Procul enim dubio conditiones dabit, vt pro risu indignatio obrepat.

30. Sed transeat: Quàm rectè ait τὸ *Spiritus* esse homonymum: tam ineptè statuit *Spiritum insitum*, quem hypothesis falsa extorquet istis architectis. Cum enim essentia *Spiritus* sit in fieri, oppositum erit in adiecto, *Spiritus insitus*, hoc est qui in carcerem compactus. Et est reuera spiritus non nisi vnus, formalis scilicet ille in Corde, vbi fit ex necessitate, agente calore in sanguinem, & ἀναθυμιάσει causante. Interim concedere possumus Gal. tres esse, prout fluit in hanc illámve partem, in quâ substantialiter alteratus, fit ἀλλοῖος, non ἄλλος, vt explicaui me suis locis.

Disc. Sed cur Gal. *in Methodo*, spiritum naturalem facit dubium?

31. Præc. Ego hactenus causam aliã inuenire non potui, quàm quod putarit, aërem esse de necessitate spiritus, quem aërem tamen ad Hepar nullâ machinâ deriuare poterat. Ego verò dico, si spiritus sunt vehiculum facultatum, vt sunt per definitionem ipsorum: vtique facultas naturalis carebit vehiculo suo? Et vnde aliàs est, quod sanguis ex sectâ venâ riuulosè fluit? Alia φαινόμενα non affero. Hoc ipsum vehiculum est vinculum corporis & animæ, vt quidam è nostris loquuntur. Quod dum ridet Parisanus, se dignum facit.

32. Idem volo dictum de luciditate spirituum, quam Scal. ademtam vult. Reuera sensus & loquitur pro Scaligero, & damnat Parisanum. Cum enim de nocte fricamus oculos, apparent stricturæ quædam igneæ. Et nisi tales sunt spiritus visorij, cur feles de noctu vident? cur inter homines Tiberius Imperator.

33. De diuinitate quid dicemus? iuréne sarcasmis vtitur Parisanus? Reuera de mente Arist. non est. Quod enim analogum diuino est, diuinum non est. Quâ autem in re consistit *analogia?* In eo ipso, in quo Parisanus ait, *Vt cælestis calor suauis & temperatus est: ita spiritus,* &c. Et hæc est *æthereitas* ipsorum, quam *vanitatem doctorum* vocat Parisanus vanissimus ipse.

34. Quod ad motum spontaneum, intelligendum est fieri non absque motu phantasiæ ab externo obiecto. Hoc modo cientur omnes animi affectus vulgò dicti.

35. Sed, súntne partes corporis? Sunt: ὁρμῶντα quippe Hippocr. viuuntne? Eo modo, quo omnia, quæ sunt in fieri. Nutriunturne? Eodem modo. Reuera hæc omnia gratis quæruntur, vt solet loqui noster. Quæ illorum materia sit, iam dictum est. Quod cum concedit Paris. confirmat sententiam meam, Nullum librum tam malum esse, qui non habeat aliquid boni.

36. Amplius confirmat me, quod spirituum ex aëre regenerationem non tantum chimæricum monstrum vocat, sed & addit, *Non videre se, quamobrem nimis hæc vetus opinio ad manus nostras peruenerit, sed & ab omnibus recepta sit, cum nec vlla necessitas cogat nos hæc fingere* (& hoc est τὸ πλασματῶδες Arist.) *nec fictio locum habeat*, fortassis, quia in piscibus non accidit. Quibus addo, nec in homine, nec in aliis terrestribus sanguineis locum habet aër. Vt enim alibi deduxi, Totum heic est contrarium. Natura quippe studiosissimè cauit, ne aër in substantiâ accedat, suffocaturus ignem hunc animalem. Quod ad spiritus animales, notum est, quantoperè Gal. sudarit in motu cerebri proprio, & per hunc motum trahendi aëris, spe in æternum vanâ! Quod ad naturales, iam dixi, deseruisse, & in absurdum longè grauius incidisse.

37. At, ô Parisane, vin' tu causam scire, cur ad nos manârit dogma hoc falsum? Cum nescio quis Hippocr. certè non magnus ille, *in lib. adulterino de Alim.* id docuisset, & Gal. receptâsset, omnes secuti sunt, quasi ouium grex arietem suum. Non ita Parisanus, quemadmodum in cæteris quoque suprà tactis. Hinc minus mihi timeo, sicubi sim παρρησιαστής. Interim, si quis minutias carpere velit, multas apprehendere possit; mei officij ratio hoc non permittit.

LIB. V.

38. Disc. Heic statim illiberaliter oppedit nobis Paris. narrando *semineæ ex semine, sanguinea ex sanguine, miscella ex vtroque.* Crepabat quidem suprà quoque partes spermaticas, sed inuolutius & breuius: nunc videor mihi videre hominem tumultuantem, vociferantem, clamantem, pugnantem, manibus & pedibus, identidem ingeminantem. Ergo: quin fustem intendentem, ἀλόγως.

Præc. Rectè ἀλόγως.

39. I. Est cæcus præ furore, cum videt cum Dandino nescio quo, *Gal. 2. Fac. nat. 3.* planè Peripateticum esse. Quid enim volunt sibi aliud ista? Os, cartilago, &c. exsanguia quidem sunt, sed ex sanguine facta, &c.

40. II. Lusciosus, & cum Arist. vult implicare contradictioni, quod scripserit *2. Gen. 4. Ossa ex seminali excremento fieri, &c.* Qui enim tot locis disertè docuerat, Mas dat formam, femina materiam, Maris semen instar coaguli est, διαλύεται, καὶ πνευματοῦται, nec vlla ex illo pars fit: contrà ex feminæ, omnes: ille, inquam, non egeat potius defensore quàm accusatore? *Seminale scilicet excrementum esse sanguinem maternum.* III. Imprudens est, cum sic colligit, *Adeo vt cum Arist. sic dici valeat, cum Gal. sic.* Non heic varias indagamus sententias, sed illam, quæ vera sit. IV. Imprudentior, cum non videt Aristotel. ex propriâ sententiâ dicere, *Ex quibus constamus, &c.* Gal. ex alienâ.

41. V. Imprudentissimus, cum ad sensum oculorum nos vocat, *Viden', in*

parastatis, tam superioribus, quàm inferioribus nihil nisi semen est. Ergo nutriuntur semine, Ergo omnia vasa, Ergo omnes partes spermaticæ & albæ. An ignorabas, mi Parisane, *albedinem esse accidens commune?* &, *Naturam coquendo progredi ad albedinem?* Cutis in recèns natis rubescit: sed fit denique alba. Ossa in iisdem sunt rubea, sed fiunt alba. Vt in medullâ ossium continetur sanguis, quo nutriuntur, quia per vasa nihil importatur quàm sanguis: ita in vasis spermaticis cum semine potest esse aliquid sanguinis (ad quem oculus tuus non penetrat) qui nutrit. Huc facit, quod ipsemet contra Dandinum dicit, confundi ista, seménque sanguini misceri, & vice versâ, at in opere (addam ego) Natura rectè secernere nouit. Facit huc vel maximè, quod Galenus & hoc sentire ait. Tandem inconstans etiam est, cum modò ait, modò negat, spermatica renasci.

42. Nam & Gal. concedit, venas aliquando renasci, quod ego nunquam credam: & ille in historiâ Fusculi, patritij Veneti memorat, ad mediâ ex parte abscissum testem affusum fuisse sanguinem, & carnem circumquaque genitam, &c.

43. Nec refert, quod distinguit inter πρῶτον καὶ δεύτερον σκοπὸν, vt Laur. quoque *in quæst. Anat.* Vt enim in corpore animato discissum, ruptum, exesum quid de integro solidescat, non magis fieri potest, quàm lignum & lapidem sine glutine coire. Nec magni momenti ratio est, quam Laur. etiã habet, materiam esse inobedientem. Plura enim requiruntur, præcipuè calor talis, locus talis. Summa, aliud est generari, aliud corruptum refici. At caro restituitur? Non magis hoc mirum est, quàm sanguinem restitui. Est enim caro quasi sanguis coagulatus, & medium quid inter partes solidas & humidas. Ita de aqueo humore oculi dicto. Est enim nihil aliud, vt puto, quàm serum sanguinis. An hinc excusatio parata est illis, qui hirundinem oculos restitui dicunt? Si enim cæcitas parta sit ex deperditione huius humoris, solidato vulnere redire potest visio. Quam in rem historiæ sunt apud Gal. *1. Caus. symptomat. 2.* & Langium, *in Epistolis.*

44. PRÆC. Quid video? quid heic ventriculo negotij.

DISC. Vult quidem dicere causam, sed non dicet. Si quid iudico, latet aliquid maligni. Nil intentatum vult relinquere, vt Peripateticis si non adimat, certè concutiat vniuersalem illam, *Omnes partes ali sanguine.* Ideo tam solicitè numerat argumenta Laurentij, vt putes illum tecum fore. Non esse verò iam videbimus, partim ex longo illo ratiocinio, partim ex solutionibus, in contrarium rationibus, vtí loquitur. Sed quales sunt solutiones? φλυαρίαι, vel ideo, quia concedit, ventriculum in vtero ali sanguine: sed addit, *In semen mutato:* φλυαρία longè maior cæteris.

45. Sed cur addit, *Superiori dominante, imperantéque Naturâ.* Nihil ambigo, respicere illum ad *5. Aphor. 39.* quem laudat, sed reiicit. Verùm age, quia occasio est in promptu, inspiciamus ipsi. Occurrens Gal. obiectioni, inquit, *Non quia* (ponamus ita ipsi) *ventriculus nôrit, quam vtilitatem sit allaturus chylus cæteris partibus; non quod talem habeat intellectum, qualem ciuitatum gubernatores: sed* (nota) *opifex quidem animalis habet illum intellectum, pars autem regitur facultatibus naturalibus.* Vide supra *lib. 2. prope finem, & lib. 3. initio.* Hoc quid Christiano dignius dici poterat? quid Philosophiæ cælesti vicinius? Et

tamen audet homo *rudem* vocare *& communem, & captu duram.* Clament omnes boni, indignissimè hoc factum esse, & suo (etiam cum pipulo) iure postulent ab ipso quid diuinius?

46. Post longam fortassis moram, audient illum ex *Gal. 3. Fac. nat. 7.* profiteri, *Non esse hanc veram ventriculi nutritionem, sed refocillatoriam, qualitatiuam, lasciuam.* Insipide, nos de verâ loquimur, quæ fit sanguine! Sed ita est, has inanias parit nobis neglecta distinctio inter *officium publicum & priuatum.* Quorum vtrumque cum tam clarè docuerit *Gal. loc. cit.* quid tergiuersaris, ô Romane?

47. Parit etiam nimium studium defendendi axioma illud, *Quælibet pars tradit aliquid, vt ea fruatur ille.* Non est verum, si de officio publico loquare: Et quid sibi volunt ista, *Nisi in mediâ?* Est vnica ratio nutritionis ventriculi, non duæ diuersæ.

DISC. Hic nodus cum tam feliciter sit à te solutus, quo minus à Parisano declareris pro magno Apolline, quid obstat?

PRÆC. Nolo ab hoc aretalogo, vt tecum iocer. Huius mei facti ratio vel hæc sit, quod non minus ac ille apud Comicum, mendacium mendacio tegit, ne perpluat. Pituita quidem non satis est confirmata pro tenui ventriculi excremento; multò minus pro quarto humore ab istis dicto: sed, & vt substituatur subtilior & pinguior chyli pars, non est tutum, & reclamat rerum natura. Si enim nutrit, quei dici potest ὑπόλειμμα? Et pars alimenti quei transit in aliud genus? & quidem contrarium?

48. DISC. *Venas* cur huc intruserit Noster, videtur habuisse eandem caussam. Res breuiter ita habet. Si de primario fine loquamur, vt debemus, est ille distributio alimenti in totum corpus: at quatenus *Calidum natiuum* è Corde semper aspirat sanguini gratiam suam, eatenus meliorescit. Arteriarum eadem prorsus est ratio. Quod verò allinit Parisanus, vertere interea sanguinem in corpus album, quod semen sit, vt quod verè nutriat, iamdudum explosum est è scholis Medicorum, ἀηδὴς quippe. Quot enim parasangis ista differunt? Sed nunc quidem quies esto: vbi tibi commodum fuerit, redibo.

LIB. VI.

49. In quæstione, quæ pars omnium prima gignatur? videtur Parisanus, sensu neglecto, rationes quærere, quod ipsus tamen vehementer improbat. Antecessores nostri, inde vsque ab Hippocr. magnum robur posuerunt in consideratione ouorum, à gallinis incubatorum. In his quia viderunt tertio die *punctum saliens*, vt Plinius loquitur, verisimiliter argumentati sunt *Cor* esse. Hoc quia confirmauit tota deinceps incubatûs historia, manserunt in sententiâ, quia φαινόμενα reliqua attestabantur, præsertim, quia *Cor* esset, non primum viuens tantum, sed & vltimum moriens.

50. Cum his videtur Parisanus instituere eum processum, quem cum Gal. Pyrrhonij, *Probate primùm, sensibus nostris fidem esse habendam.* Fortassis peculiariter vis scire, quid omnino velit homo? Ab initio valdè obscurus est: posteà se explicat, *Necessariò solidum quid esse debere, quod sit instar staminis in officinâ textoriâ, cui postea παρέγχυμα, instar subtegminis, accedat.* Summa, vasa

vult prius gigni, vt per illa sanguis affluat. Quâ ratione cum incidat in vetus dogma, quod Orphei creditur esse, & refutatur ab Arist. 2. *Gen.* 1. iure inuenit reprehensores, ipsos prædecessores nostros. Res explicatur à me 3. *Gen. hom.*

51. Si quæram ab ipso, ex quâ materiâ sint stamina ista, procul dubio respondebit, *Ex semine paterno.* Huic opponam effatum maximum suprà propositum, VNVM, QVA VNVM, NON AGIT IN SEIPSVM. Atqui nec sanguis, nec quidquam aliud, præter hoc semen, adest! In promptu est responsio, Tu quidem id dicis: ego verò ostendo tibi analogiam inter ouipara & viuipara, & dico, *Quemadmodum in illis nihil fit, nisi ouum bene se habeat, sit, inquam, κύημα potius quàm semen, hoc est, constet ex vtroque principio, actiuo & passiuo: ita in viuiparis nihil fit, nisi semen in vterum proiectum, inueniat sanguinem, cum quo iam κύημα sit.* Dicis, Quo modo, *inueniat?* Stagnantem fortè? Nihilminus. Et hoc est alterum, *Attrahit*, vt Gal. disertè docet 14. *Vs. p.* 3. Si non inueniat quod trahat, conceptio etiam non fit. Et quæ concipiunt, sentiunt, quod multæ dicunt. Verùm cum tractio sine vasis diuturna non sit; vasa etiam indigeant stabilimento: format simul vasa & membranas, quarum vsus posteà ad tegendum fœtum. Hæc vasa in quibusdam animalibus conficiunt κοτυληδόνας, Hippocr. dictas: in quibusdam analogum quid, ceu videre est apud Ill. Dn. ab Aquapend. *lib. de Form. fœtus, tab.* 11. *& seq.* Atque hæc sunt *multa illa & mirabilia opera quæ vno temporis momento fiunt apud Gal. loc. cit.* Vide Ves. 5. *Magni Operis, vlt.*

52. Hoc cùm ignoraret Parisanus, in tenebris palpat parietes. Omnino ab initio trahit semen sanguinem: posteà, formato Corde, Cor ipsum. Formatur autem primis diebus, vt dixi, & trahit omnibus modis, 6. *Vs. part.* 15.

53. Hinc, si non aliunde, intelligitur, quid sit, quod Arist. ait 2. *Gen.* 4. *semen esse quasi ἀποικισθὲν ἀπὸ τοῦ πατρός, semen actu primo animatum, esse quasi filium in coloniam eductum à patre,* hoc est, *qui propriam sibi domum fabricet, propriisque rationibus gubernet.* Quamobrem dixerat, διὸ ἀποκρίνεται πρῶτον ἡ καρδία ἐνεργείᾳ, *ideo Cor fit pars prima actu.*

54. Ex his discat Paris. sapere, & postea cautius agere cum Arist. Quid enim illud est, *Cor moueri prius, quàm parenchyma* ipsius factum est? Súntne duo distincta entia? Quo admisso, mirum non est, *toto cap.* 3. tanto cum furore agi contra parenchymata, & *fabellas* vocari. Porrò, quæ *cap.* 4. contra *Cordis historiam* profert, sunt mihi verba sine sensu, si illud excipias, *Cor non est principium & vitæ causa: sed anima præstat.* Quid? ergóne anima non amplius est forma ὀργανικοῦ? Hei mei τῆς ἀπαιδευσίας! Contra Aristot. pueriliter exsultat *cap.* 5.

55. Hoc verò etiam vltra puerum est, *Tertium Arist. ventriculum nemo vidit, exceptis nobis, & quibus nos illum ostendimus.* Quid verò vidisti! quid ostendisti? *Aliquid, quod errore Naturæ, iocóque factum erat.* Pulcher sermo! & cui pulcrior alius subest, quem mendacium postulat. Ego alibi ostendi, Arist. reuera duos tantùm ventriculos nouisse: tertium esse ab Apellicone Tejo, Tyranniones.

56. Quod quinto loco dicit *de cerebro*, alludit ad nostram sententiam, suo loco explicatam. Varolio iniuriam facit insignitam. Lege initium *lib.* 2. & fatebere, *ingenuè illum philosophari.*

57. Quæstionem, *de transitu sanguinis de dextro in sinistrum*, tam obscurè proponit, vt nemo intelligat. Affert 4. sententias, I. Gal. *3. Fac. nat. 15.* Cui opponit octo rationes, cum elogio, *Soluat qui potest.* Ego, quæ hâc in parte dissentio à Gal. sino. II. Botalli, transire per foramen, quod in recens natis est inter *arteriam venosam* & *venam cauam.* Quâ in re quantoperè fallat, fallatúrque, ostendit ipsi VVESTLINGIVS noster, edito scripto contra Cæcilium Pholium, qui Venetiis tale quid vidit in adulto, verumtamen non ductus, seu canalis, qui est inter arteriam & arteriam: sed foraminis, quod est inter venam & venam, venam cauam, & arteriam venosam. Vide *Gal. 6. Vs. par. vlt. & ibi Com. nostra.* III. Vlmi, *libello de vsu Lienis,* Lutet. impresso 1578. qui ex chylo art. deducit. Hunc ego refutaui, *extr. tract. nostri de eadem materiâ.*

58. Huic quia se agglutinat Paris. dicere oportet aliquid. Atat, quàm inani murmure molestet nos, vide sodes! Apud omnes constat, Cor spirituum materiam aliunde accipere. Qui sunt illi *Omnes?* Constat hoc potius, *Omnes* tribuere Cordi spiritus tanquam proprios, non minus quàm Calidum natiuum: imò, sobolem esse illius. Non minus inane est alterum, *Ab Hepate non potuit.* Quei non potuit, cum Vena caua, Cordi affixa, statim insinuet se Hepati? quin, oculatâ fide, vt loquitur, sanguinem in dextrum Cordis ventriculum effundit? Quid dicam tertio loco de rhetoricatione illâ bene longâ, ex Anatomicis (vt videri vult) petitâ, quæ tandem finit in absurdam illam cantilenam, *Lien Cor refrigerat?* Refrigerat? quo? dato sanguine arterioso? Profectò, & oculi & aures dolent ad talia dogmatum monstra! Et tamen triumphat, *se inuenisse,* &c. Quò minus legere cupio, vel argumenta Laurentij contra Vlmum, vel responsiones ad illa. IV. Columbi, quem sequitur PLATERVS præceptor, Ire sanguinem per ambages bene longas, ex dextro ventriculo in venam arteriosam: ex hac per anastomosin in arteriam venosam: ex hac denique in sinistrum Cordis ventriculum. Ex hoc dogmate quia obuiæ sunt responsiones ad ea, quæ obiiciuntur de vasorum diuersâ substantiâ, de valuarum situ, de sanguinis refrigeratione, de aliis, amplexus sum illam thesibus anno 1618. quas cum Tobia Pontano, Vratislau. disputaui. BAVHINVS ibidem præceptor, cur hanc sententiam, cum olim placuerit, posteà deseruerit, non satis causæ esse video, *2. Theat 21.* Neque enim *Cor bubulum, longâ coctione optimè elixatum,* quidquam pro Gal. facit. Coxi & ego ad tabem vsque, sed mansit septum, totum pollicem crassum, solidum, sine vllis conspicuis foraminibus. Scio, quid differat humanum Cor à bubulo: sed nihil subleuat. Tu, si placet, vide *dicta nostra Com.*

59. Parisanum quod attinet, constituit se iterum Naturæ Consiliarium, & demum ita concludit, *Quibus inconuenientibus reiecta à nobis sit hæc Col. opinio.* Pax!

60. Sub finem, vt vides, texit historiam oui incubati. Hanc qui volet conferre cum Coiter, Aldrouando, Aquapend. aliis fortè, reperiet aliquid diuersitatis, de quâ nemo nostrum arbitrari possit. Omnes enim habemus pro viris bonis, qui scripserint, quod viderint. Interim moneo bonos, cordatósque, NE FIDANT NIMIS. Sunt enim quidam tam maligni, vt ausint negare, quæ viderunt, & affirmare, quæ non viderunt.

Sua enim vnicuique opinio potior est quàm Troiam capere.
Vide etiam χυστομ. φυσιολογ. *cap. 55. & 56.*

LIB. VII.

61. DISC. Statim heic offendo, quo modo Cor dici possit Cerebri causâ? PRÆC. Puto dici posse, si loquamur, non de toto animalium genere, sed de homine solo. Vt enim is sit prudentiss. ceu Gal. definit, requiritur calor Cordis, non quiuis, sed temperatus, quâ de re alibi. Ne quid dissimulem, ego quoque offendo; An duplex ista Auerroistica excusatio dici possit id, quod ego alibi, *Nec pulsum, nec respirationem esse ab vllâ animæ facultate: sed ab ipso actu.* Nisi enim à facultate perueniamus tandem ad actum, ibimus in infinitum. Si quis tamen vrgeat, & velit sibi nominari facultatem, is habeat *Vegetatiuam exaltatam*, respectu scilicet plantarum. Iam enim tantus est ignis, qui solâ διαπνοῇ contentus esse non potest: sed indiget etiam ἀναπνοῆ, in quâ duplex motus, συστολὴ & διαστολή. Huc trahi possit id, quod Paris. ait, *Melius philosophatos esse illos, qui respirationem transcribunt facultati motrici.* Hoc fuerit id, quod Arist. velle aiunt, respirationem esse actionem naturalem, acceptâ appellatione ab illo, quod præualet, siue, vt Interpretes loquuntur, esse actionem mistam ex naturali & animali.

62. Quidquid sit, cum respiratio sit vel libera, vel coacta; libera autem tribuatur soli diaphragmati: valdè amplector hominis diligentiam, tam in numerandis sententiarum diuersitatibus, quàm in censendis! Interim res pessimè cadit. Relicto enim veteri & vero dogmate, quod dixi, nouum quid comminiscitur, ratione pulmonum id fieri asserens, quatenus eleuat illos. Quod profectò commiseratione dignius est quàm admiratione!

63. Alioquin de vulgari vsu hoc tenendum est, Cum dicitur, liberam respirationem fieri à solo diaphragmate, intelligendum esse, non fieri sine motu inferiorum intercostalium. Cum enim iis inseratur, sine motu illorum non mouetur. Hoc vnusquisque in se experiri potest, etiam in leuissimâ respiratione commoueri thoracem. Hinc in hystericis, cum respiratio ad sensum nulla est, poculum aquâ plenum thoraci imponunt.

LIB. VIII.

64. In Cerebri vsu quantoperè friget homo? Ne nihil dicat, primùm resumit vetus dogma, à Gal. conculcatum, initio *8. Vs. p. 1.* esse propter oculos. Mox explicare volens mentem Philosophi, simpliciter proponit frigiditatem, neque qualis sit exponit, neque quid operetur. Tum verò audet lacessere illum non intellectum, decem inanibus rationibus, quas qui refutare velit, deli et cum ipso. Tantò magis, quod tam profundam ostendit ignorantiam, quantum nemo speret à subtilitatum magistro! Imponit enim illi, voluisse frustrà esse factum, non vsus vllus gratiâ, sed abusus, nesciisse Arist. se sine Cerebro ratiocinari & sapere, bucephalum esse, & se, & omnes Peripateticos, &c. Quæ si licuit Parisano impunè detonare contra innocentes, non liceat nobis illum vicissim destringere? Vel ideo, quia tandem mutat-

statum controuersiæ, à necessitate simpliciter transiliens ad præstantiam? Quod verò peius est, etiam verbis ludit, cum ait, *Cerebrum esse, non refrigerandi, sed ratiocinandi causa.* Atque hoc non fit sine Cordis ope? Quod verò ait de alimento, ducit id nos ad verum fontem. Sed satis, & plusquam satis iis, qui Diatribam nostram vel legere volent.

65. Disc. Quid sibi vult cum *verâ* Cerebri *historiâ?* tradiderúntne alij falsam?

Præc. Nescio, nisi quia ita libuit iactabundulo! Sic appello, inprimis propter definitionem, quà sibi mirificè placet: ego nec titiuillitium interduim.

66. Deinde propter arrogantiam in Hippocr. cui τὸ ἀπήχημα negat in fracturâ cranij. Ego verò vidi, & viderunt mecum alij. Addo, quatuor sinus Cerebri quis vnquam *Torcularia* vocauit? Parisanus, nouus cum imperio ὀνοματοθέτης.

67. Cum ventriculos duos esse ait, sequitur eos, qui primo intuitu contenti sunt: qui enim persequuntur, non nisi vnum inueniunt. Quid illud est, quod ventriculos ait esse somni gratiâ? Vult quidem probare *cap. 3.* sed nulla ibi ratio est, quæ vel pili pondus habeat. Sed nec cohæret cum nudâ illâ assertione, quod heic ait, *Tertium ventriculum esse factum colligendis excrementis.* Sed sit: cum nihil aliud sit quàm concursus superiorum duorum, quei potest peculiarem vsum habere? Is ipse quo modo dici potest *supra corpus callosum esse?* cum subtus sit? Sed sit hoc quoque: quomodo cum hoc vsu stare potest præstantia Cerebri? Collocat autem præstantiam, vt par est, in facultate ratiocinatrice seu gubernatrice, & subinde causam vult dicere, cur bruta non sapiant.

68. Sed subitò se absoluit, & discursum instituit de facultatum principum sedibus, sed tam ieiunè, vt puerum facilè agnoscas. Tum verò, ne quod bonum dictum intercidat, iterum arma induit contra Arist. quem nunquam intellexisse illum dicerem, nisi planè cum illo vellet esse illis verbis, *Summè necessarium fuisse Cerebrum, vt infrà ab ingenti Cordis caliditate, &c. suprà verò, ne ex spiritus ebullitione, &c.*

Disc. Bone Deus, quei potest Aristotelem increpare, qui mentem ipsius tam bene callet?

Præc. Hoc perpetuum est istis *παμμάχοις*, qui omnibus bonis & doctis bellum indixére, *Nec vnquam alienam industriam laudant, quod putent, perstringi illâ socordiam suam.* Huius dicterij veritatem cape ex Parisano. Dixerat de vsu ventriculorum gemino ea, quæ vulgus spargit, non admodùm solicitus, quid sapientes iudicaturi sint: cum in mentem illi venit, repetendam esse crambem, vt maior nausea moueatur Peripateticis. Orsâ igitur nouâ Exerc. quæ secunda est, ita deformat vtrumque vsum, vt vtrumque deserere velle videatur. Et deserit, cum *cap. 3.* ad somnum relabitur.

69. Epilepsiæ & Apoplexiæ causam rectè negat in ventriculis esse: spiritus contrà in corpore Cerebri esse rectè asserit. Rectè quoque contra Laurentium pertendit, motum Cerebri, quem videmus & tactu percipimus, non esse substantiæ, sed arteriarum implexarum. Volvi ego hæc saxa omnia aliis in locis.

LIB.

LIB. IX.

Quæ multa & varia agitantur heic de partibus quibusdam similaribus, prætereo sciens, quia defessus sum.

LIB. X. & XI.

DISC. Redeo seriùs vel ideo, quia nuper videbare torpere ad talia.

PRÆC. Hoc iam multo magis intelliges, cum dixero, nolle me vel de oculo agere, vel de aure. Licet enim vtriusque organi constructio sit operosa, & ideo consideratu digna: quia tamen Medico inutilis est, quia vsus singularum partium constituentium nemo hactenus attigit, explicando modum vel vocis vel auditionis. Interea varij varias excogitârunt Chimæras, vt Parisanus rectè vocat, quas relinquo creatoribus suis.

LIB. XII.

70. De tactûs instrumento, quod *Cutim* ille facit, *Carnem* ego cum Arist. nolo contendere cum Paris. quia quæstio est Logica. Multò minus de *Pilis*, quia affectus ipsorum curans Medicus, cutim curat. Epilogum Paris. nullatenus curo, quia cum Mundinio agit, qui seorsim mihi deartuandus est, *in tr. de Genitura* si modò in rerum naturâ est. Nunc animus cogitat de congrege Mundinij, qui heic est.

CAP. III.

De Ioan. Hier. Bronzerio.

LIBER est impressus Patauij 1627. & titulum profert, *De principio effectiuo, semini insito*, & diuisus est in duas partes, in quarum altera pro Gal. pugnat, de semine femineo: in altera pro Aristot. de masculo, in quâ purè Peripateticus est.

CAP. II. SECT. I.

71. I. Ipsius argumentum est pro vi seminis feminei effectiuâ. Etiam veteres hoc statuerunt. vt habemus de Plat. *5. de Plac. Philos. 5.* Cui ego, Statuerint: quid tum postea?

72. II. Statuerunt quod ex Anatomiâ discerent, etiam feminas habere testes. Habent, non foris & pendulos, sed intus in abdomine, vt fateris ipse. Putásne hoc frustra fecisse Naturam. Hinc adeo fit, vt vasa spermatica, præparantia quidem dimidio sint breuiora: deferentia autem seu eiaculatoria vtplurimum prorsus non adsint. Vt igitur non inuitus concedes, longitudinem illam in maribus, præcipuè esse ad meliorem seminis elaborationem: ita non inuitus dabis, defectum hunc non esse absque peculiari causâ. Quamobrem si

concedam, in quibuſdam eſſe quidem ſemen ſed ἄγονοι, non habebis amplius, quod vrgeas, credo. Et eſſe ἄγονον confirmant veriſimiliter Anatomici, quod in multis ne veſtigium quidem vllum ſeminis inuenerunt: in quibuſdam aliquid, ſed paucum & aqueum. Hâc in re decurrunt Peripatetici ad principia, ne Gal. quidem negata, *Femina eſt frigidior mare, neque vnquam ad eum caloris gradum adſcendit, qui perfectè ſemen excoquat.* Vbi igitur efficiens non eſt, quid ſperes?

73. III. Imò verò, offenderunt Anatomici in quibuſdam (non in teſtibus tantùm, ſed & præparantibus vaſis) ſemen album, craſſúmque: τὸ *In quibuſdam* multùm adimit roboris argumento. Quæ verò ſunt illæ? Proculdubio, quæ & vaſa deferentia ſeu veſiculas ſeminarias habent, quæ ipſæ ſunt *Viragines*. De his verò probandum reſtat, quâ viâ ad vterum eat ſemen? Nam quæ de *Tubâ* dictâ muſſant quidam, incerta ſunt.

74. Iam ergo, mi Bronzeri, diſpice tecum, an eundem prorſus effectum exſpectare velis in iis, in quibus non idem partium apparatus, non idem gradus efficientis? Diſpice etiam, quantum deſit tibi ad colligendam vniuerſalem propoſitionem, abs quâ non poteſt συλλογίζειν? Si exſilire voles, Ergo hic apparatus, qui adeſt, eſt fruſtra, & ſemen ipſum eſt fruſtra: reſpondebo, axioma illud, *Natura nihil facit fruſtra*, opus habet reſtrictione, & facile eſt probatu, etiam ex Gal. Naturam facere quædam notæ gratiâ tantùm. Papillæ in mammis virorum, cui bono ſunt?

75. Sed reuocemus hoc, quoniam magnoperè prodeſt rebus meis. Duplex eſt apud Gal. Anatomia, accurata & ſuperficialis. Secundum hanc ſi iudices, Bronzeri, facilè viceris: ſecundùm illam ſi res ſtet, poſt fornacem ibis. Ex hac diuerſitate pendet, quod quædam problemata facilè ſoluantur: quædam opus habeant deorum filiis. Illa explicantur purâ & ſimplici oratione, quali ruſtici vtuntur: hæc deſiderant Muſicam Orphei, vel eloquentiam Herculis, quibus beſtiæ etiam domantur, & ad conſenſum perpelluntur ingenia refractaria, quæ Veritatem vel naturâ, vel prauâ inſtitutione oderunt. Illa non indigent alio, quàm hoc, *Vides?* hæc inſtant, *Aperi oculos & aures*, & conſidera cur hoc, illud ſit mutatum, cur hoc tale & tantum ſit? Cur hoc ibi, illud alibi? Cur hoc in illo gradu, illud in alio, & ſi quid præterea. His conſideratis, patebit denique, *Naturam nihil facere fruſtra.* Cur igitur fecit papillas mammarum in viris? Neſcio. Cur teſtès mulieribus omnibus dedit, vaſa deferentia paucis, meatum ad vterum nullis? Neſcio. Cur mulierem fecit frigidiorem mare? Propter cauſam vrgentiſſ. ne plus iuſto diſcuteret. Cur quædam illarum ſemen habent? Fortaſſis ad ſtimulum, quod Gal. dicit, ἐπιχειρητ. πρὸς τὰ ἀφροδίσια. Sed pergit Bronzerius.

76. IV. Semen illarum eſt ſpirituoſum: quia præter venas adſunt arteriæ. Non ſemper adſunt, vel Pariſano iudice, *lib. 1. Ex. 7. cap. 1.* cui nos alteram hiſtoriam iunximus ibi.

77. V. Feminæ etiam aguntur in libidinem, quo tempore ſi ſeces, teſtes ſemine pleni ſunt: ſi peractâ libidine, vacui. Reſp. dupliciter. 1. Non eſt proprium ſexu diſtinctorum. Nam & arbores apud Theophraſtum dicuntur σπαργᾶν ἢ λιπᾶν, idque ter in anno. 2. Non eſt καθόλου. *Viragines* enim ſolæ id patiuntur, quippe, quæ & calidiores, & poſſident omnia vaſa ſpermatica. Accedit, quod & alteram habent titillationis cauſam, copiam ſanguinis feruen-

tioris. Totum quidem genus eſt πολύαιμον iis partibus, vt Ariſt. perſuadet: ſed præcipuè iſtæ.

VI. Feminæ etiam habent voluptatem, & exſoluuntur. Non omnes. Præterea, non tam à ſemine, quàm à ſanguine moto eſt κνησμὸς ille.

VII. Feminæ etiam gonorrhœâ laborant & pollutionibus nocturnis. Viragines ſolæ id patiuntur.

VIII. Ait. Efficaciſſ. eſt, quod Gal. deducit à natorum ſimilitudine. Quaſi verò, inquam ego, non poſſit etiam à ſanguine, ſeu alimento eſſe. Quantum enim poſſit alimentum, notum eſt. Sed & accidentarium eſt totum, vt alibi probaui. Non ignoro, argumentum formari tale, *Similitudo hæc eſt ab aliquo, quod vtrique ſexui commune eſt, Atqui ſunt duo tantum, ſanguis & ſemen, Ergo ab alterutro.* Et hic eſt proſyllogiſmus, *A ſanguine non eſt,* Ergo *à ſemine.* Huic reſpondet Auicenna, *9. Hiſt. 9.* Auer. *Com. in 1. Gen. 9. Effectus communis non ſemper arguit cauſam communem, ſed aliquando tantùm,* verbi gratiâ ad faciendum calceum concurrit & coriarius & calceolarius, ſed diuerſimodè, quod quiſque intelligit. Hac reſponſione tantum effici, ait Bronzerius quantùm Thraces, cum tela verſus cælum mittunt. *Argumentum Gal. opus habet quatuor fundamentis, quorum primum eſt, &c.* quæ vide ipſus. Hei mihi tot ambagibus! Malo neſcire quàm audire! Tantò magis, quod in ſeq. concedit, *Menſtruo non eſſe denegandam vim agendi,* licet contingenter tantum reſpiciat ſimilitudinem.

CAP. III.

78. Heic repetendum eſt illud, Ariſtotelis interpretes duo conſiderare in ſemine, λόγον & ὄγκον σπερματικὸν, *tanquam formam & materiam.* De ὄγκῳ agit heic: de λόγῳ *in ſeq. cap.* Et eſt valdè operoſus, vt definitione explicet. Sed ſatis fuerit, ſi dixerit, *Eſt excrementum calidum & humidum, pro perpetuandâ ſpecie inſtitutum.*

79. Heic controuerſia eſt, à quo elemento ſit calor? igne, an aëre? Ipſe ad *ignem* diuertit, quod Veteres ignem vocârint: ego ad *aërem.* Ignis enim deſtructiuus eſt: aër gignitiuus. Quod autem illi nominârint *Ignem,* factum eſſe puto propter communionem qualitatum. Vtrobique eſt calidum: ſed cum aëre conſiſtere poteſt humidum, cum igne non poteſt. Hinc *Calidum* vel ſimpliciter dicitur, vel *Calidum-humidum,* quod alioqui *Calidum-natiuum.* Ad me videntur inclinare Arabes, qui *Humidum radicale* vocant.

80. De hoc ὄγκῳ quid fiat, ſiquidem maneat in fœtu, grauiſſima eſt quæſtio. Manere apud Ariſt. certum eſt; certum etiam eſt, violentam eſſe expoſitionem τοῦ διαλύεται καὶ πνευματοῦται, *diſſoluitur, verſumque in ſpiritum euaneſcit:* quid igitur fit? Ex Leon. diſco, eandem expoſitionem amplecti & Mich. Epheſium & Beſſarionem Card. Docui id Pariſ. ex toto orationis contextu, *Non partes ſolidas, quia obſtat principium maximum,* VNVM, QVA VNVM: *ſed Calidum natiuum Cordis.* Hoc explicauit Ariſt. exemplo coaguli. *Vt,* vult dicere, *coagulum manet in caſeis, vt tamen nullum ſit coagulum, ſed in omnibus ſimul oſterdat efficaciam ſuam: ita ὄγκος σπερματικὸς eſt in Corde, & non niſi λόγῳ differt à Calido.* Sed & non cohæret oratio, *Si euaneſcit, modo fiunt inde partes?*

CAP. IV.

81. De λόγῳ σπερματικῷ agens *Spiritum* appellat. Est enim τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι, καὶ τὸ ἐν ἀφρώδει πνεῦμα *Arist. 2. Gen. 3.* De hoc multa disputat Noster, ferè scrupulosiora quàm veriora. Reuera *humanum est quædam ignorare velle!* Hoc cap. postquam attulit Plat. Arist. & Gal. autoritates, proponit, *Quomodo hic* λόγος misceatur τῷ ὄγκῳ? Protestatur autem subitò, se non consentire grauiss. Philosophis.

CAP. V.

82. Inde orsus latissimam disputationem, rationes affert in vtramque partem, fiántne spiritus in solis testibus, an potiùs in συνουσίᾳ concurrant alij ex toto corpore? Noster quia *cap. 13.* fatetur, *se nondum habere, quod animum expleat, voluisse excitare perspicaciores:* non habeo etiam causam discedendi ab iis, quæ scripsi *Com. in de Vs. part.* non esse à solis testibus. Plura non addo, sed facio saltum ad

CAP. XIV.

83. In quo demonstrare vult, *Spiritum gignitiuum* ab aliis dictum, nec alium esse à tribus omnium consensu receptis, nec vel naturalem, vel animalem, sed vitalem. Quâ in re parum omnino situm est.

CAP. XV. & XVI.

84. Heic vehementissimè miror, Bronzerium non secus ac Mundinium, olim à me refutatum, *p. vlt. lib. de Sem. cap. 7.* tam facilem fuisse in recipiendo illo, *Semen diuidi posse in partem agentem & patientem.* Cùm enim obiicitur illis, *Semen non posse diuidi in* τὸ δραστικὸν καὶ παθητικὸν, responsant, In, *ratione eiusdem. At verò,* inquiunt, *semen est agens ratione partis tenuis & spirituosæ: est patiens ratione crassamenti terrei.* Ego verò, *4. de Gen. hom.* omni conatu defendi principium illud maximum, VNVM, QVA VNVM, NON AGIT IN SE, adeóque, in similaribus, quale est semen, non posse admitti talem distinctionem. Vt enim aquæ vel vna gutta est aqua: ita seminis. Hæc gutta seminis habet vtrumque & λόγον & ὄγκον, nec seorsim est vel λόγος vel ὄγκος. Imò, vt forma nuspiam est sola, sed semper in suâ materiâ: ita λόγος καὶ ὄγκος. Obiici etiam heic potest, actionem non esse vel formæ, vel materiæ, sed totius. Et Bronzerius quidem non huc it, sed quærit, *Ex vtro sit anima?* Ex neutro solo. Est enim vnum τόδε τι, & quidem similare, vt dixi. Huic vicina est quæstio, æque inepta.

CAP. XVII. XVIII. & XIX.

85. De spirituum permansione & regeneratione. Si enim, quod suprà dixi, *Calidum & Spiritus* habent se vt *causa & effectus*, Spiritus tamdiu erunt, quamdiu Calidum erit integrum. Si ex labore deficiant, redditâ animali quiete, restituentur. Et huc, quanquam obscurè, tendunt illa *cap. 17. Deinde veniet videnda, &c.*

CAP. I. SECT. II.

86. Incipit Bronzerius fieri Peripateticus, vt dixi: sed implicat se simul maximo absurdo, *Ex duobus actibus, altero perfecto, altero imperfecto, facit vnum.* Quod quia nemo sanus dare illi potest, cadit etiam totum ædificium. Si ergo noster esse volet, dimittat totum pegma de semine feminco, præsertim actiuitate ipsius.

CAP. IV.

De Thoma Fieno.

87. DISC. Digresso mihi nuper à Te, carissime D. Præceptor, commodùm sub manus venit hic liber, Louanij impressus 1620. qui cum tractet partem illam generationis humanæ, quæ & de *Vi plasticâ* dicta, sciscitari libuit, annon illum quoque excutere libeat leui manu?

PRÆC. Libet, vel ideo quia in tempore venisti, quod rerum omnium primum est, vt illi dicunt.

DISC. Sed quid censes? Bonus an malus liber est?

PRÆC. Qualis Bronzerius fuit, quales omnes Scotistarum, Thomistarumque, SVBTILIS vno verbo. Interim placet ingenuitas, quæ quasi in frontispicio est, *Vim formatricem* esse *sapientiam & potentiam Creatoris*, qui facultati dictæ indiderit vim, solo instinctu & sine vllâ prudentiâ, vel intellectu, tam admirabile opus, tam artificiosam conformationem edendi, qualem ipse immensâ suâ sapientiâ præuidit, &c. Hæc ipsa est *eminentiss. & imperscrutabilis sapientia*, cuius Bronz. meminit pariter *in frontispicio sect. secunda.* Hinc intelligis, edoctum esse vtrumque in scholâ GALENI, quem tribus locis ita loquentem & definientem negotium hoc suprà introduxi, *Hoc* DEVS, *naturæ autor, voluit: ipsa autem Natura facit, quod iussa est.* Hoc porrò ab Hipp. est *5. in 6. Epid. 2.* ἡ φύσις ἀπαίδευτος οὖσα ποιεῖ τὰ δέοντα. Ne tamen quid dissimulem, videbitur ab hac sententia recessisse, cum, vt titulus promittit, animam infundi ait tertio die. Hæc enim assertio manifestè debilitat illud, ἡ φύσις ἐξαρκέει πάντα πᾶσι, & accusat illam imperfectionis. Quin exercet autor ἀνεξερεύνητον πρᾶξιν, vt in suis olim ad me literis D. ELIAS EHINGER. Quo loco id tenendum est. Qui loquitur heic de *Deo & Naturâ*, de causâ remotâ loquitur: at qui ad naturam Seminis respicit, particulariter quidem loquitur, sed debebat *Semen* potius dicere. Hoc enim est *natura illa*, in quâ est principium motûs ad generationem, siue, quæ causa est conformationis efficiens, vt Fienus loquitur.

QVÆSTIO I. ET II.

88. Hoc ipsum semen constituit *Calorem natiuum* Gal. 1. *Aph.* 15. & est *Spiritus & Naturæ*, quæ in semine, cælo proportionata Arist. 2. *Gen.* 3. de quo agit.

QVÆST. III.

Vbi etiam opponit illi quatuor argumenta, ad quæ reſpondet. In hâc latet *generatiua parentum*, de quâ

QVÆST. IV.

Latet etiam *Anima ſeminis*, de quâ

QVÆST. V.

Huius argumento demonſtratiuo ſimpliciter reſpondeo. *in ſemine ineſt anima*; eo modo, quo ex Scal. dictum eſt. Atque hæc anima

QVÆST. VI.

Eſt vis illa actiua admirabilis ac planè diuina, impreſſa teſtibus ab anima parentum, quæ in vtero conformat & organiſat. Huic oppoſita concluſio verè paradoxa, vt ipſemet appellat, non habet locum in ἀδελφῷ τῷ. Idem iudicium eſt de

QVÆST. VII.

89. Vt eſt de concluſione ſeq. Nam nunquam à quoquam hominum vel per ſomnium eſt viſa, ſed Fieno ſoli propria. Ad

QVÆST. VIII.

Reſpondeo, Eſt *Rationalis*, vt alibi me explicui, quæ dotata etiam eſt gradibus inferioribus, ſed ita vt non ſit infuſa cælitus. *Homo enim generat hominem, vt equus equum, canis canem, & ſic de cæteris.* Ad obiectiones reſpondere non poſſum, vt neque ille ad argumenta noſtræ partis, à quâ eſſe D. Thomam etiam, fatetur ipſus. Atque heic demum. fol. 199. rumpitur vomica, *Animam rationalem infundi tertio circiter conceptionis die.* Mihi heic ſuccurrit, Heurnium *in Inſtit.* quartum menſem habere. Ad

QVÆST. IX.

Dico, Eſt πλαστική, eſt θρεπτική, eſt ὀρεκτική, eſt ἀλλοιωτική, eſt σπερματοποιητική, eſt qualem voles cunque.

CAP. V.

DE IACOBO SCHEGGIO.

DISC. Legiſtine huius Philoſophi libros tres de *vi hominis plaſticâ*.

90. PRÆC. αἰνίγμω, ἴγμω, κατίγμω, quod plura ſint ibi πάρεργα quàm ἔργα. Interim, quod ab initio diſputat contra Gal. *fine libri de Form. fœt.* τῷ λόγῳ

σπερματικὸν non esse ἄλογον, est apud me peregregiũ: quin dico, eum περὶ τὸν illam σοφίαν, τοιοῦ illum θεῖον, qui instrumentũ est in naturalibus internũ, proportione respondẽs artifici, qui in artificialibus est instrumentũ externum. Quâ ego distinctione profligare soleo tumidos quosdã sophistas, qui, audito nomine *Instrumẽti*, subitò excutiunt è manibus omnia, confirmantes inde falsariam explicationem τοῦ διαλύεται καὶ πνευματοῦται Arist. *q. semen fabricans sit exter: num quoddam aßistens, &c.* Probo etiam *distinctionem*, semen non est corpus *inanimatum*, sed *Non-animatum*, quod fabricat sibi instrumenta, &c. Quò minus expedire me possum ex iis, quæ non multò pòst dicit Scheg. *λόγον σπερματικὸν locum cedere animæ, ipsum euanescentem.* Mirum admodum est, viros magnos tam facilè credere aliis, qui ne ipsi quidem inspexerunt loca autorum. Profectò, coaguli ἀναλογία, non permittit euanescentiam. Tantò magis, quod mox ait Scheg. *Coaguli vis perit & exsoluitur, concreto lacte in caseum.* Collige sensus, ô Scheggi, diceret aliquis: Perítne coagulum in caseo? & vnde est illi acredo, præcipuè vetustiori? Perítne fermentum in pane? Sed sit: profectò, incomprehensibile est prorsus, quomodo *vel cedat λόγος, vel succedat anima?* Res est, λόγος qui erat, induit formam animæ, quatenus calidum natiuum Hipp. est Anima. Eodem modo planè inimaginabile est, quod principio l.2. asserit, *Semen* (ita enim loqui debebat) *non esse τόδε τι: nihilominus non esse incorporeum quid.* Et mox, *Intra materiam efficacem esse λόγον.* Res est, semen est τόδε τι, in quo duo considerantur, λόγος, qui habet rationem formæ: ὄγκος ἢ σῶμα, quod materiæ. Quæ sequuntur l.2. pertinent ad modum, quo λόγος procedit in opere, idque ex Arist. vt profitetur. Hæc claudit pulcherrimo epiphonemate, cum inquit, *Posthæc non miretur Gal. quo modo ὁ λόγος structuram hanc perficiat, cum sit q. manus opificis.* Hanc enim non miramur omnia artificiosè perficere, tametsi mens & ratio manui non insit. Quemadmodum enim manum regit ratio artificis: ita λόγος opificis summi iussu, Naturæ infusus, quæ Gal. mens est. Lib.3. totus ad Theologos pertinet.

DISC. Liber *de Cal. & hum.* annon pertinet ad nos quoque?

PRÆC. Omnino. Verum, quia *in tr. de Cal. & Spir.* excussimus illum, iam licet nobis quietis esse.

CAP. VI.

DE NICOLAO LEONICENO.

91. SCRIPSIT is epistolam ad Cæsarem Optatum, Bas. impressam in fol. 1532. *de virtute formatiuâ*, quam diu quæsiui, ob viri famam. Absit autem vt sinistri quid iudicem: sed si dicendum, quod res est, *Non opus erat hac solitudine.* Quod enim ipsemet dicit, & res clamat, scriptum est tumultuarium, quod occupatur tantùm in recensendis sententiis aliorum. Puto autem, si vrgeatur, non difficulter cessurum in Gal. sententiam, quæ fuit procul dubio Arist. quoque, *Naturam quidem formantem non vti ratione: sed vsum esse illâ multò antè conditorem ipsius.* Nobis autem non licere vlterius progredi quàm id est, quod oua gallinacea nobis exhibuerunt. In humano genere præstant aliquid abortus, sed parum.

CAP. VII.

DE POMPEIO CAIMO.

92. HIc quia anno 1626. concluso iam labore *de Cal. & Spir.* vulgauit *libros tres de Cal. innato*, videtur officium meum velle, vt hos quoque inspiciam. Vt verum fatear, non possum satis deprædicare huius viri industriam in distinguendo duplici calore, an calido? Scripsi ego quædam *in d. tract.* vsus vestigiis valdè obscuris, τὸ θερμὸν in animalibus esse duplex, σύμφυτον & ἔμφυτον, quorum illud sit materiale, pars scilicet elemētorum calidorum, mistum constituentium: hoc formale, ortum ex corpore, elementis diuiniore, adeóque astris analogo, quod in Corde stabuletur, & causa sit respirationis, pulsúsque, quæ duæ actiones tamdiu in animali durēt, quandiu *Vita* seu *Anima*. Habeo enim hęc pro æquipollentibus. Hæc ille ex Hipp. Plat. Arist. Gal. Alb. Magno, tam luculenter deducit, vt optem, si vel tandem in publicum eat tract. ille meus, addantur in fine tria priora cap. huius Caimi. Ego enim nihil addere possem, præterquam stylum alium. Id verò pudoris mei non est, vt neque pappare, vt alibi locutus sum.

93. Duo tamen reticere non possum. Alterum, in explicando Platone sequi illum Gal. Atque ego alibi ostendi, neque illo tempore venas & arterias distincta habuisse nomina: neque τὸ σφοδρῶς intelligi posse de solo sanguine arterioso, sed de venoso quoque, & esse idem quod ἀεὶ, vt disertè Athenæus. Alterum, Argenterium, hominem alioqui diligentem, cum laboraret eo defectu, quo ego, ausum fuisse sibi transcribere, quod ipsius non erat. Ex Caimi

LIB. I. CAP. IV.

94. Duo alia subnoto. *Primū*, quod ait, τὸ θερμὸν σύμφυτον, apud accuratè loquentes, esse θερμότητα potius, *qualitatem scilicet calidam*: non videri verum. Licet enim rectè fortè dicatur *Calidum temperamenti*, quod temp. qualitas est: non est tamen accidens, sed substantia, pars quippe illa, quæ ex igne & aëre constat, verbi gratia absinthij terrefacti, quæ corpori adhibita, calefacit, Rhab. retorridi illa, quæ calefacit, & obstructiones expedit, quod ait, idem calidum perseuerare; nullius restaurationis indigum, falsum est, indiget enim alimento calido, propter continuam dissolutionem. *Alterum*, quod ait, τὸ θερμὸν ἔμφυτον indigere fomitibus, quod humidum, quod ab initio accepit, assiduè deprædatur, explicatione indiget, petendâ *ex l. 3. c. 4.*

CAP. V. & VI.

95. Heic incipit contra Fernel. agere, qui *Calidum nostrum* vult esse cæleste. Et primum quidem luculenter commendat hominem, sed definit in *languere*, quod intelligo, *laborare iudicij infirmitate.* Id, quod ab initio ait, Stoicum esse dogma, rectè habet. Stoici enim relicto Arist. ex Philosophiâ Barbaricâ, quam Græci vocabant, quod à Pythagora & Thalete ex Chaldæâ & Ægypto

in Græciam allata esset, petebant id, quod Horatius, & ipse Stoïcus, appellat

——— *diuinæ particulam auræ.*

Hanc sententiam ita moderatur Caimus, vt dicat, Non esse cæleste ratione *Essentiæ*, sed *Originis*. Hoc per vnam, alterámve horam placuit: verùm, cum cogitare inciperem, petitum esse ex *Analogo* Arist. displicere cœpit: ἀνάλογον enim *Vicarium* est, aut potius *Proportionatum*, si cum Quintiliano loqui libeat, quin ipso Caimo. Tu tamen, quisquis es, vtere arbitrio tuo, & dispice, an accipere possis *Originem fine cap.* 5. expositam. *Cap. seq.* tam solidè refutat Fernelium, vt inertis & stupidi sit, amplius dubitare velle. Mihi in totâ disceptatione duo imprimis arrident: 1. quod sententiam vocat *formosam* quidem & *lepidam*, sed *tam debilem, vt vel loci impulsu tota dissiliat.* Alterum, quod tantum non irridet hominem, qui velit ex nobili illo loco, 2: *Gen.* 3. probare, Arist. sibi ὁμόψηφον esse, cum contrarium sit verius. Nimirum, videor mihi credere, quod ait, se primum hoc obseruasse, Arist. refutâsse Platonem. Contrà, humaniter cum illo agit, cum conditionem illi offert, quâ acceptâ, possit secum conciliari.

CAP. VII. VIII. & IX.

96. Latè excurrit heic Noster in triplex *Humidum* Alberti M. à quo ait Fernelium habere, quæ non video, quem delectare possint. Vt breue faciam, 1. est *Continuatiuum*, id videlicet aqueum, quod continet partes, ne in puluerem fatiscant. II. *Vitale* seu *Radicale*, hoc scil. quo de agimus, in quo aberrat à scopo, cum non tantùm ex semine paterno, sed & ex sanguine menstruo petit. Meâ opinione est confusio τοῦ ἐμφύτου cum τῷ συμφύτῳ, vt apud Gal. quoque. III. *Alimentale*, quod nihil aliud est, quàm sanguis nutriens, tam venosus, quàm arteriosus. Hinc captâ occasione longiss. facit excursum in defensionem *spirituum insitorum* Fernelij, quos in rerum naturâ esse non credo, licet illis patrocinium quærat Caimus, *ex* 1. *Aph.* 14. An sunt, sed tales, quales in plantis?

LIB. II. CAP. I.

97. Heic plurimùm sudat Caimus, vt persuadeat, *Calidum natiuum esse sobolem, non tantùm seminis masculi, sed & sanguinis materni,* nisus, vt puto, confusione iam dictâ τοῦ θερμοῦ ἐμφύτου καὶ συμφύτου. Ponit autem vnicum suæ assertionis fundamentũ in historiâ psaltrię illius famosæ, de quâ Hipp. *l. de Nat. pu.* quam ex Gal. *adu. Lyc.* 7. describit Græcè & Latinè, q. res tanti foret momenti. Eiecerat illa sexto die informe quid, ex rubro & albo mistum. Quid miri? Erat iam non semen, sed κύημα, proportione respondens ouo fœcundo, postquam sc. semen in vterum infusum attraxerat sibi sanguinem, pro constitutione partium solidarum. Ex hoc φαινομένῳ concludit ille, *Ergo Calidum natiuum non est ex semine tantùm, sed & ex sanguine.* Hoc verò, Caime, vnde est pulchellum illud Ergo! Nouerat Arist. ex duobus actibus imperfectis nunquam fieri vnum perfectum, præsertim si impares sint. Atqui, ô Caime, semen tuum est validius, sanguis debilior: quî ergo ex duobus illis fabricabis vnum?

98. Planè gemina est stultitia cum illâ, quæ ex semine maris & feminæ

imparibus virib. prædito, vnum facit semen perfectum. Norat Arist. vtrumque, ideo vtrumque improbauit. Et vis tu irasci, quod Arist. vel non vbique nominauit Hipp. vel non vbique secutus est opiniones ipsius? Hanc enim reuerentiam debebat præceptori, si modò vnquam præceptor fuit.

99. Atque hoc est prima audacia: altera est, controuersum est, an semen, Arist. modò ὁμοιομερῶν καὶ ἀνομοιομερῶν, in omnibus & singulis sit partibus, an potius in Corde solo: Ego acceptaui olim Cor solum, quod in solo illo pulset: tu ô Caime si accessisses ad illos, qui per totum corpus dispergunt, & faciunt inde *Calidum insitum*, quod *Influenti* opponunt, tolerari poteras. At quia probas Cardani, *Com. in Aph.* argutè, si diis placet, dictum, ridendus es. Illud est, pueros, & maximè infantes, esse totos plenos, à capite ad calcem vsque, calore & humore radicali.

100. Tertia fuerit, quod dicis, Calidum nutriri, sed fieri inde impurum. Ergóne alimentum ipsum est impurum? Quod illud verò tandem est? Fortassis quod ex semine & sanguine mistum? Pudeat! Non nutritur! Ideo durat tamdiu, quamdiu potest per causas tam internas, quam externas, 1.*San. tu.*2.

CAP. II.

101. Si vllibi Caimus suauiter nugatus est, facit illud *hoc cap.* defendendo calidum suum sanguineum, definiendo idem, triangulos Platonicos disponendo, nescio quæ alia somniando.

CAP. III.

102. Contrà, *hoc cap.* explicat pulcherrimum problema de duplici calidi huius motu: sed nimis fusus & vagus est. Res breuiter ita se habet. *Ignis animalis*, thoraci inclusus, non minus quàm culinarius ille & liber, duplici indiget motu. Horum *alter*, qui sursum est ad depositionem excrementorum fuliginosorum, *Respiratio* dicitur, & constat duplici alio, διαστολῇ καὶ συστολῇ: *alter*, qui deorsum, partim ob dicta excrementa, partim ob distributionem alimenti, vocatur *Pulsus*, & constat pariter διαστολῇ καὶ συστολῇ.

103. Vbi noto 1. illum quidem Græcis dici ἀναπνοὴν, hunc autem, vel simpliciter διαπνοὴν, vel ἄδηλον αἰσθήσει διαπνοήν. 2. Vtrumque fieri sine admissu aëris externi, cui nuspiam patet aditus. Excrementorum enim pulsio, quod ad hoc posterius, cum fiat dilatatione vasorum cutaneorum: quis credat aërem attrahi contractione eorundem? cum fiat per collapsum tantùm.

104. Respiratio, quod ad prius illud, cum refrigeret, tum, cum per minuta venæ arteriosæ, & arteriæ venosæ extrema in asperæ arteriæ itidem extrema, bronchia dicta, illa eunt, & per exspirationem abeunt, quis credat, extrema illa, loco fuliginum excussarum, aërem ingredi?

105. Quo modo sine aëris substantiâ spiritus fiat, non est heic dicendi locus: ego aliunde repeto illud, Ratio struendi ignis artificialis perpetui petita fuit ex hoc igni animali. Quemadmodum perfosso thorace perit hic: ita aperto sepulcro ille, vtrobique ob ἀθρόως admissum aërem externum. Igitur quemadmodum perspirationem habet ille noster per spiracula inuisibilia:

ita ſepulcralis ille habuit per proportionata, alioqui viuere non poterat. Sed hoc *ἀπίστευτ.*

CAP. IV.

106. Heic iam diſſerere incipit de motu Cordis, quem habet ab hoſpite ſuo *Calido natiuo.* Quâ in re hoc habet commune vitium cum omnibus Philoſophis & Medicis, qui in obſcuro latitantes nuſpiam diſertè dicunt, vnde ſit ſubiectum ſeu materia huius motus? Solus Bonamicus, vt ſæpe profeſſus ſum, & nunc nuper, me docuit, *Semen maſculum eſſe, ſolâ σχέσει differens à Calido natiuo.* Quod enim in generante eſt ſemen, id in generato eſt Calidum.

107. Sed à quo elemento præcipuè? Reuera, non ab Igne, qui ob ſociam ſiccitatem corruptiuus eſt: ſed ob ſocietatem humoris viuificus. Dicitur tamen à Platone, Gal. aliis, *Ignis* vel *Igneus*, quia ita exaltatus eſt, vt inſtar ignis motum illum duplicem habeat, de quo dixi. Ab aëre ergo.

CAP. V.

108. Repetit ſuperiora de duplici calido conſtans in confuſione. Poſt hæc, licet agnoſcat pro verâ ſentẽtiam Ariſt. œconomiã corporis eſſe ſimilem ſtatui monarchico, *εἷς κοίρανος ἔστω*, diceret Homerus; quamuis det Auerroi, vim potiorem & regiam penes Cor eſſe; etiamſi concedat, cerebrum abſque corde non poſſe præeſſe rebus ſuis: tamen, quod iure mireris, cerebrum præfert cordi. Quid, Caime, habeſne filios Medicorum pro ſemper-pueris? Olim quidem facilè credebant, facilè aſſentiebantur factioſis Galeniſtis: nunc legunt Ariſt. & rem ad trutinam Naturæ exigunt. Tu verò ſimplex es, cum vis tibi & Gal. credi, ſolos ſpiritus eſſe in arteriis, quod Eraſiſtrateum eſſe noſti, & ſimul diſtribuere arterialem tenuiſſ. ſanguinem. Quid plura? Pudet ineptiarum, quas perſequitur etiam

CAP. VI.

109. Volens perſuadere, tria eſſe animæ domicilia, ſed ita, vt non impediatur animæ vnitas, ait *Quei iſtuc ſi quæras, Quia vnus eſt confluxus, conſpiratio vna*, &c. Galenicum nempe hoc ſubterfugium eſt, non vno loco deriſum à me. Tu verò etiam dupondiis noſtris propinas te deridendum, cum *vnicum Calorem* pro vinculo animarum agnoſcis! Et quam bella eſt rethoricatio illa ex Platone! quàm impudens eſt effatum illud, tres animas non differre eſſentialiter, cum Gal. non ſemel vtatur *τῇ οὐσίᾳ*! quâm vanum axioma, Animam *eſſe totam in toto, &c.* cum Cæſalpinus tam ſolidè refutarit! Sed ſatius eſt tacere.

CAP. VII.

Prætereo ſciens. Vagatur enim extra oleas. Quæ

CAP. VIII.

De teſtibus miracula corraduntur, iam aliò tranſlata ſunt à Iacch. *in Quæſt. nat.* vnde ego *principio lib. de Gen. hom.*

CAP IX.

110. Laudes ſunt ſeminis immenſæ, è quibus hoc tantùm carpo, Caimum habere etiam guſtum aliquem illius, de quo *cap.* 4. & ſociare ſibi Gal. *Calidi natiui materiam eſſe ſemen.*

LIB. III. CAP. I.

111. Heic tertiò relabitur ad confuſionem *duplicis Calidi.* Et quia ſolidas partes omnes ex ſemine formârat, hæret tanquam mus in pice, quomodo alantur? Propter ignaros res repetenda eſt: *Calidum natiuum* non alitur, ſed aſſiduè decreſcit, non à propriâ flammâ, ſed vt dixi explicare ſe Gal. 1. *San. tu.* 2. *Calidum σύμφυτον* cum reliquis elementis alitur vtroque ſanguine.

CAP. II.

112. Cur *ſpiritibus* moueatur controuerſia ſtatus, paucis eſt notum. *Partes propriè dictæ* ſunt materiæ ſolius: at *Spiritus*, vt & *Calidum natiuum*, pertinent ad formam. Hinc apud Ariſt. vix inueneris in cenſu partium. Imò, ſi verum amamus, Spirituum generatio apud Philoſophum eſt accidentalis, ſeu ex neceſſitate materiæ. Fit enim ἀέρωσις illa dicta agente calore in humorem. Apud Medicos τρόπος ἐπιστήμης eſt craſſior, & recipiuntur ab illis ſpiritus in numerum partium, quia abſque illis non poteſt reddi ratio effectuum quorumdam. Et hinc ſunt τὰ ὁρμῶντα Hipp.

113. Eodem modo conceditur Hipp. aut illi, qui autor fuit *l. de Alim.* ſpiritus habere contrarium à cæteris partibus alimentum, quatenus aluntur, non ſubſtantiâ ſolidâ, ſed ſubſtitutâ nouâ ἀναθυμιάσει. Reuerà enim πλασματῶδές eſt, vt Ariſt. loquitur, ad ſpirituum generationem opus eſſe aëre externo frigido. Hinc tantoperè laborat Gal. in adducendo ad illos aëre. Vt de *Vitali* ab ipſo dicto priore loco agam, quid non audet, vt per arteriam venoſam ad ſiniſtrum Cordis ventriculum pertrahat? Fruſtrà in æternum! De *Animali* quid non molitur? Motum cerebri cogit præſtare ventriculis anterioribus, vt aër ibi ſit. Vbi laborauit ad vertiginem vſque, quid profecit? Nam motus quidem arteriarum eſt: ventriculi autem ſunt receptacula excrementorum cerebri, ipſo non diffitente. De *Naturali* cum neſcio quas machinas erexiſſet, fatetur tandem non dari. Caimus quid non muginatur pro deſtruendo illo? Ego, & ex hypotheſi Gal. & ex Anatomicis oſtendo, certò dari.

114. Gal. vult, ſpiritus eſſe, vel *animã* ipſam, vel *proximũ* eius *inſtrumentum.* Dimittamus animam: ſiquidem *Anima* diſtincta eſt à *Naturâ*, poſſúntne actiones naturales obiri abſque inſtrumento? Ex Anatomiâ duplex habeo argu-

mentum. Dexter cordis ventriculus æque pulſat ac ſiniſter, & non ſit ibi quoque calor, qui opus habet refrigerio? Si eſt, ſi opus habet aëre, cur non per venam quoque arterioſam aër irrepit? Si ſit ibi ſpiritus, quid prohibet, quominus per venam cauam deſcendat ad hepar, & fiat ibi materia ſpiritus naturalis, non ſecus ac is, qui aſcendit, fit materia animalis? Et hoc vnum eſt: alterum eſt, Venæ cum arteriis συναναστομοῦνται per totum corpus, & fit communicatio ſanguinis: quidni ſpiritus quoque? Et vnde habet ſanguis venoſus, vt riuulosè fluat? Hoc tantò acceptius apud me eſt, quò libentius accepto comparationem ſanguinis venoſi cum muſto, arterioſi cum vino. Quod ad locum 1. *Aph.* 15. puto eſſe interpolem, & deduco *tract. de Cal. & Spir. cap.* 7. vt & *Notis in Gal.*

CAP. III.

115. Numerum ſpirituum, iam paucis expediui. Cum Argenterio nolo iam rem eſſe mihi, vel ideo, quia aduerſarium heic habet ſatis ſtrenuum, Caimum.

CAP. IV.

116. Is ipſe hoc cap. inſolentiſſimè ſe gerit, cum probare vult, Subiectum febrium eſſe, non tantum τὸ θερμὸν ἔμφυτον Cordis, ſed & τὸ σύμφυτον ſolidarum. Nimirum, huc deducit illum falſa hypotheſis, *Eſſe illas factas ex ſemine.* O diſcant fugere adoleſcentes talia, & erunt immunes à multis erroribus concatenatis! Error enim trahit errorem, vt Cæcias nubes. Hoc ipſo cap. refutare vult Ill. Cremoninum, vti promiſerat *præf. l.* 2. ſed attingit vnum tantùm, *Febres fieri ob oppreſſionem Cal. natiui.* Locus eſt Apologiæ pro Ariſt. Dict. 5. cui quæ & quot opponat Caimus, diſſimulo, propter reuerentiam Præceptori debitam. Sed quid fit de Veritate? Diſcipuli noſtri tam rudes non ſunt, vt ſubitò præ metu ſe abſcondant: quin inuenient illa redargutorem facile ſi opus ſibi. Eadem eſt ratio *cap.* 10. in quo Caimus apprehendit neſcio quem, qui Lycum contra Gal. defenderat.

Nolo difficiles adire nugas.

CAP. VIII.

DE NIC. TAVRELLO.

117. DISC. Recordor equidem pietatis, quam in proximo colloquio oſtendebas in CREMONINVM præcept. nec ſatis ſcio, veliſne eâdem vti tam ſtrictè *in Alpib. cæſis, Francof. impreſſis anno* 1597. quo tempore niſi coniectura me fallit, eras ſub diſciplinâ TAVRELLI. Aſſero autem in euentum, & ipſas, & Quæſtiones CÆSALPINI, *Florentiæ, quadrienn io antè excuſas.*

PRÆC. Feciſti rectiſſ. Rectè etiam facis, cum videris diſtinctionem admittere. Non enim excidit tibi, quod non ſemel palàm dixi, hos duos viros non minus diſtare à ſe inuicem, quàm α & ω, hoc eſt, vt Gal. loqui ſolet, ὅλῳ τῷ

παντὶ, *toto cælo.* C R E M. omnia probabat, quæ apud Ariſtot. exſtant: T A V R. tantùm non omnia improbabat, vt conſtat etiam ex aliis, verbi gratia, *Triumpho Philoſophiæ, Baſ.* 1573. Vt igitur amo vtrumque, propter inſignita etiam priuatim in me collata beneficia, T A V R E L L V M quidem ob commendationem ad Inclutum Senatum N O R I B E R G. quâ iter meum Italicum præualidè promouit; C R E M O N I N V M autem, propter donationem duorum præclarorum operum, *Com. in l. de Cœlo, Ven.* 1617. *Apologiæ pro Ariſt. Ib.* 27. tamen, ſepoſitâ perſonâ, contra dogmata illorum quædam ſtringam calamum, ſed ea moderatione vſus, quâ par eſt. Sed & hoc proteſtor, de merè Philoſophicis non moturum me illis litem, quod Philoſophi laudem nunquam ambiuerim, imò oblatum ab amicis liberaliter repulerim conſtanter.

D I S C. Et piè & prudenter factum, quantum iudicare poſſum. Quo magis etiam obſeruandum tibi fuerit in propoſito tam honeſto, tam laud[illegible] ii verò, qui improbabunt, contemnendi tanquam præpoſterè ſapien[illegible] προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. ad Rem, ad Veritatem) (ad hominem, ad p[er]ſonam.

P R Æ C. Vt de T A V R E L L O pauca dicam, Placet mihi inſpicere tantùm obiter ὑποτύπωσιν quæſtionum Peripateticarum, & dicere, quid in ſingulis ſentiam. Retexere enim velle hoc vægrande opus, videbitur ruinas præ ſe ferre *Reſtitutarum Alpium*, T A V R E L L I [illegible] *excornis*, quem metuit ille *in præf.* Indicare autem voluit S C H E R B I V M, qui *in Epiſt. ad* S O N E R V M, *præfixâ metallicis Caſ.* 1602. *Noribergæ*, parum honorificè ſenſerat *de Alpibus cæſis.* Sed non erat vllum periculum, cum S C H E R B I V S longè alius eſſet ingenij, quàm vt collidi vellet cum collegâ. Plura non dico, quamuis plura ſciam, ſed rectà venio *ad lib.* 5.

QVÆST. I.

An, quæ ex ſemine fiunt, fiant quoque ſine ſemine?

[illegible handwritten marginal note]

118. Fundamentum Cæſ. eſt *ex* 2. *Phyſ.* 2. *extr. t.* 26. vbi hæc ſunt verba, ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ, καὶ ἥλιος. At verò in melioribus MS. pro iſtis, καὶ ἥλιος, eſt ἐν ὕλῃ εἶδος. Huius rei teſtis eſt Accorambonus, *Annot. in Ariſt. Romæ* 1603. (vt meus præfert codex.) fol. 399. quod ille exponit *Formam in materiâ*, ſeu Formam *materialem.* Nimirum, τὰ εἴδη, vel ἄϋλα ſunt, veluti D E V S opt. max. Angeli & dæmones: vel, ἔνυλα, vt Mens humana, quam Ariſt. θύραθεν ἐπιέναι, *forinſecus* ait *ſuccedere*, & eſſe χωριστὸν καὶ ἀΐδιον, *ſeparabilem & æternam*; non autem ex ſemine generari, vt brutorum, quæ cum corpore mortalis eſt.

D I S C. Vah, quàm elegans hæc criſis eſt! quæque ſubitò, & liberat Ariſt. ab abſurditate, & proſternit machinam Cæſ.

P R Æ C. Memini C L. olim P I C C A R T V M publicè proponere cum fremitu & conſenſu totius auditorij. Cui vt tùm interfui: ita poſteà ſemper conſenſi in correctionem, ne lectione quidem dignatus Cæſ. imaginabar enim tale quid mihi, quale ſuperiori tempore Chymiſtæ, cum, ope ignis artificialis, producere vellet hominem rationalem.

In QVÆSTIONE II.

An femina tribuat etiam aliquid formæ?

119. Mirificè se torquet Cæsalpinus, & anguis instar retorquet, quod aqua illi hæreret, quamobrẽ ego quoque minus philosophicè propono. Notũ est pueris etiam Philosophum velle, in sexu distinctis, formam quidem totam à mare esse: materiam autem totam à feminâ. Difficultatem autem esse in eo, si ex ἐγκύῳ seminis masculi nihil fiat, quò vertitur? Hanc præcipuè cient duo illa verba, διαλύεται καὶ πνευματοῦται. Quæ cum ante etiam Gal. exponerentur per τὸ ἀναθυμιοῦται & διαπνεῖται; id verò maiores difficultates pareret: consensum fuit ferè in id, fieri ex ἐγκύῳ partes spermaticas & albas. Quod cum displiceret Cæsalp. partim, credo, propter tonitru illud, & non imitabile fulmen, VNVM QVA VNVM, partim, quia ex albedine, accidente communi, nollet argumentari: aliò conuersus inquit, *Præbet femina formam μαχίμως, vsq; ad aliquid.* Quid verò hoc est, & quomodo huc trahi potest? *Quatenus, dicunt quidam præbet materiam, iam suâ formâ instructam, formâ sc. vegetatiuâ.* Ego verò dico, Nemo vnquam de hac cogitauit: sensitiuâ opus est. Hæc enim forma vult hanc materiam. Sed & iterum quæro, quid commune est τῇ διαλύσει καὶ πνευματώσει cum animâ? his quidem terminis videbat, credo, ipsus, se stare non posse, seminis scilicet corpulentiam (sic loquitur) pacto munere suo, à calore dissolui, & insensibiliter euanescere, quod Arist. vtatur analogiâ coaguli. Ideo hanc orditur fabulam, *Quemadmodum coagulum, lacti inspersum, in vnum quid confluens, &c.* Quæ ego verba nunquã intelligere potui: imò (quod iterum cogor dicere) quid ad rem faciunt? Multò minus illa, *Corpulentia seminis, postquam prima fœtus materia coagulationem adepta est, &c.* Multò minimè assequor responsionem geminam ad geminam dubitationem. Fortassis heic importunior aliquis, Non refert, si tu præ stupore huc aspirare non possis! Prodi igitur tu, & præsta, quod hactenus nemo, ne TAVRELLVS quidem. Ostendi enim mihi volo illa ex Cæs. verbis, *Feminam censet Cæs. & materiam & efficiens præbere, &c.* non diuinare, illorum instar, qui digitis micant. Ne igitur vlterius tibi, quisquis es, molestus sim, absoluo me his, *Nec Cæs. præstitit, quod voluit: nec Taur. per somnium vidit, quid ille voluerit.* Stat igitur Arist. sententia, à me *in libb. de Gen. hom.* fusè, & tantùm non ad nauseam inculcata, confirmatáque, cui etiam hactenus Pholiorum nemo se opposuit. Quod autem Taurellus addit, *rationes Arist. nullius esse roboris,* sit nunc ita ad magnum ipsius beneplacitum, vt quidam loquuntur. In

QVÆSTIONE III.

An, vt arteriæ, sic venæ quoque & nerui sint ex Corde?

120. Taur. (vt liberè dicam) fœnum in cornu gerit. Cum enim Cæs. reuerã vincat & numero & pondere argumentorum: tamen contemnit illum præ Medicis. Vt vnum tantum afferam, quod Piccolh. etiam vrget *libello de Sede animæ,* & Scherbius sæpe repetebat.

Vbi est primum & commune instrumentum, Calor,
Ibi & secundaria & particularia, Vasa, dico.
Atqui in Corde, & è Corde Calor est. Ergo.

121. Heic quid respondet? ANATOMIA reclamat. Distingue mecum, vt suprà de partibus genitalibus, *ex principio Ex. Anat. l. 1. c. 4. Alia Anatomia est superficialis: alia exacta.* De illâ concedi potest: de hac minimè. Hoc probaui *in θ. de Ven. & Neru. origine, nuper à me recognitis, necnon* χρηστομ. φυσιολ. *c. 11. & 20.* Quo loco noto, Cæsalpinum dudum ante me docuisse, *Facultatem Vitalem* Gal. quam Cordis propriã esse vult, fictitiam esse prorsus, eandemque cum *Naturali*, quam à Stoïcis mutuatus est, qui *Naturam* ab *Animâ* separabant, λογομαχίαν inutilem inducentes. Addo autem & hoc, Non malè quidem, vt Medicus, venas ab arteriis distinxisse: sed distinctionem non debere seruire nouo dogmati de triplicitate animæ. Quin potius dicendum est, duplex vas sanguineum seruire duplici sanguini, non quidem eo modo, quo Cæs. vult, sed quo ego θ. de hoc negotio, *Vt ex duobus sanguinibus* (liceat mihi ita loqui) *fiat vnus, qui pro variâ in singulis partibus mistione, alimentum det singulis partibus proportionatum.*

122. Cæterùm, vt argumenta 7. Gal. pro hepatis præeminentiâ non affero: ita nec Cæsalpini solutiones. Pleraque enim apud me alios habent explicatus, heic non cumulandos. Eodem modo, quod *de Neruis* obscurius docet Cæs. clarius ego locis dictis. Iam hoc addo, Erasistratum, qui venas & arterias in cerebro neruescere aiebat, non debuisse tam inhonestè tractari in superbo illo scripto περὶ δογμάτων, vt deduco in χρ. φυσ. Quin imò audeo iam dicere, *Ipsissimam hanc esse doctrinam Arist.* cuius ecce tibi verba *2. Gen. 6. mihi fol. 1264.* συμπεραίνονται δ' περὶ τὰ φλέβια τὰ περὶ τὸν ἐγκέφαλον, γίνονται ἀπὸ τῆς καρδίας. Vides illum distinguere *venulas cerebri à venis Cordis*, & ita concludere, *Sunt quidem alius naturæ venæ cerebri & venæ Cordis, adeo vt aliud nomen mereantur: sed tamen sunt ex Corde.* Nimirum, venæ & arteriæ in cerebrum elatæ, induuntur primùm durâ matre, deinde in innumeros ductus (ita hodie vocantur) discissæ, implicantur piæ matri, mox per totam cerebri substantiam dispersæ colliguntur iterum, & vtraque meninge indutæ, vnà cum cerebri substantiâ elabuntur, & iam *Nerui* vocantur hodiernis moribus.

123. Nimirum πολύσημον est τὸ νεῦρον, & per μετάληψιν *Neruus*, tam apud Hipp. quàm apud Arist. & significat vtplurimum *Musculum* hodie vocatum, posteà restrictam sortitum est appellationem, & datum corpori illi, quod *Paruum cerebrum appellare* solet Gal. Vnde intelligitur, quid velit Arist. cum *3. Hist. 5. & alibi, ex Corde neruos* deducit. Mediatus enim hic est ortus illorum, vt *tract. de Partibus simil. & aliis locis* demonstraui. Ex his intelligitur, quomodo apud Arist. seruetur vnitas animæ, quæ in Geryone Galeni prorsus nulla est. Elati enim ex Corde spiritus refrigerantur in cerebro, è quo delati in partes sentientes & mobiles, edunt effectus suos.

DISC. In his ego satis instructus sum: cupio iam audire iudicium tuum de

QVÆST.

QVÆST. IV.

An in Reſpiratione intromittatur aër aliquis ad Cor.

124. AVdiſti à me ſæpius, non periclitari grauius Veritatem, quàm vbi communes ſunt ſententiæ, ab antiquo ad nos tranſmiſſæ, & *in Exotericis* per poſticum receptæ. Talis eſt heic pars affirmatiua. Verum eſt, Ignis animalis, vt Plato vocabat, opus habet refrigerio: ſed an id fiat admiſſo in ſubſtantiâ aëre frigido, an ſufficiat qualitas frigida: id demum explorare labor eſt. Audacior quàm prudentior Gal. licet & profiteretur *librum de Alim.* non eſſe Hippocr. tamen admittit (*t. 34. apud Vall.*) alimentum contrarium. Quod licet ſtabilire velit idem Vall. *ex lib. de Carnibus:* non eſt tamen liber ille melioris conditionis. Sepoſito etiam argumento illo inartificiali, & illito cerusâ facilè delebili: in rei tamen veritate falſum eſt. Interim dicunt omnes, Aër attractus non tantùm refrigerat, ſed & materiam præbet ſpiritibus. Facile dictum! Quo modo enim non eſt oppoſitum in adiecto? *Alimentum contrarium?* Quo modo aër ille frigidus non ſit venenum Calido natiuo? Videmus enim perimi ſubitò, vbi in perforationibus thoracis ἀθρόος ingreditur. Deinde auſim liquidò iurare genuinam Hippocr. ſententiam eſſe eam, quam Ariſtot. *lib. de Reſpir. 6.* habet: libri enim Ariſt. ſunt ex ſcholâ Aſclepiadeâ. Illi, inquam, quos publicatos eſſe indignabatur Alexander Magnus. Cùm enim *cap. praeced.* admiſiſſet refrigerium, *hoc ipſo cap.* damnat alimentum, vſus voce valdè molli, πλασματῶδες εἶ), cum dicere potuiſſet Macedonicè, *Ex iſt erlogen.* Ideo ſubdit mox φαινόμενον μᾶλλον γὰρ ὁρῶμεν ἐκ τῆς τροφῆς γίνεσθαι. Nimirum his talibus velle ſe opponere, ſtultitia præſignis eſt. Sed non ſit: quâ viâ peruenit aër ad Cor? Quàm impeditum iter Gal. oſtendat per arteriam venoſam, dixi pronuper. Hoc tamen proni adorant homines noſtri. *Siniſter ventriculus*, inquit, *ſolus pulſat, ſolus eſt hoſpitium calidi natiui, ſolus indiget aëre ad ſpirituum confectionem.* Pax!

125. DISC. Ignoſce interlogij! Obſtupeſco enim ad ſingula hæc τέρατα, & dubito, an Galenus iſta ſcripſerit?

PRÆC. Non facis ſine exemplo. Hoc enim committunt omnes Marchitæ, cum vlterius progredi non poſſunt. Et mihi publicè hæc ſunt obiecta: quibus ego, Atqui dexter ventriculus pulſat, *7. Ex. Anat. 15.* quia ſanguinem defert in pulmones. Vnde argumentum capio pro dextro quoque ventriculo, quem negare ne ipſi quidem poſſunt perficere ſanguinem eò delatum. Quod de pyramidali figurâ ſiniſtri ventriculi *ex lib. de Corde* dicitur, in homine verum non eſt, ſed in auibus tantùm. De aſſertione illâ, ſolum ſiniſtrum ventriculum facere ſpiritus, videſis χρυσομ. φυσιολογ. *cap. 52. & 56.* Vnum reticere non poſſum. Cum quæritur, quei veriſimile ſit, aërem, præſertim hyemalem, non obeſſe Calido natiuo? O, inquiunt, percoquitur in pulmonibus. Rideo! Quo modo aër percoctus refrigerat? Quæro etiam hoc, Vbi aër, è bronchiis egreſſus, expandit ſe in latum illud pelagus, quis recolligit, & in ventriculum ſiniſtrum, tanquam in carcerem compingit? Reuerà, eſt hoc quoque

G

πλασματώδης. Ibi tum illi cum bile exsiliunt, Quid igitur melius habes tu? Si audire placidè vis, compone te ad sedendum. Sanguinis cordialis refrigeratio fit eo modo, quo cereuisia nostra. *Vstans aus & haibe stehet.* Vt enim cereuisia ex aheno, in quo cocta fuit, transfunditur in vas ligneum quadratum, profundum quidem spithamæ fortè amplitudine, vt aër cereuisiam vndiquaque contingere possit: ita sanguis è Corde in pulmonum latum æquor transdatur, in quibus è vasis venæ arteriosæ rapitur in vasa arteriæ venosæ. Inter vtraque cum media iaceant bronchia pulmonum, quæ in perpetuo illo reciprocationis motu refrigerantur, refrigerant illa vicissim vasa vtrinque adiacentia, quæ vicissim sanguinem ibi contentum. Atque hic est primus vsus ambagum illarum: secundus, vt hoc modo pulmones, & intertexta vasa alantur. Ex his potest responderi ad omnia φαινόμενα, quæ multa & varia heic sunt. Quid heic Taurellus? *Cùm assidua sit spirituum generatio: non tamen est assidua Cordis & arteriarum distentio.* Pax! & iterum Pax!

QVÆST. V.

In Respiratione principium vnde motus esse Cordis calorem.

126. HEIC cum aliquandiu siluissem, Quid causæ est, inquit.

DISC. Cur quasi in ἔκστασιν rapiaris?

PRÆC. Quia video tantum esse Gal. θαυματουργὸν, quantus non fuit vllibi alius. Ita loquor, quia παῤῥησιαστὴς sum, & sub imperio Adrasteas, quæ neminem adulatur. Hoc vt intelligas, volo te mihi non minus attentum esse quàm olim οἱ ἐπόπται in sacris Eleusiniis & Samothraciis. Motus thoracis duo sunt, *pulsus & respiratio*, quorum vterque suis perficitur partibus, ille quidem *Corde* & *arteriis*: hæc autem *Corde*, *pulmonibus* & *thorace*. *Pulsus* fit, cum sanguis è sinistro Cordis ventriculo pellitur deorsum in arterias. *Respiratio*, cum è dextro sursum in pulmones, qui moti, ratione vacui, mouent secum thoracem. Differt vterque, quod *pulsus* quidem fit merè naturalis, neque voluntas habeat heic vllum imperium: *respiratio* autem habeat à latere thoracem cum suis musculis, quorum beneficio possum illam ῥυθμίζειν, quo verbo Gal. vtitur, *modulari*, vt explicat Cæsalp. quod mutatum ego vellem in *moderari*, quatenus modum illi imponimus, hoc est, intendimus aut remittimus, idque propter sermonem, qui debet esse in arbitrio nostro.

127. Iam, quales sunt actiones? éstne vtraque eiusdem naturæ? Gal. tantoperè dispescit, vt pulsum quidem *Vitalem* appellet, ne factâ quidem Naturæ mentione, nisi vbi obliuiscitur sui: respirationem autem *Animalem*, ab additamento illo, quod habet à musculis thoracis, Naturæ nomen vsque adeo abhorrens (nisi iterum sui obliuiscatur) vt Sophistas appellet, qui mutire ausi sint. At Peripatetici, ab rerum euidentiâ victi, adeóque ab inuictâ Adrasteâ coacti, cum Arist. vocant οὐχ ἑκούσιον, quod Naturæ heic quoque suæ sint partes, ob quam etiam *Mistam actionem* ex naturali & animali appellant, quod tacitè fatetur Gal. cum ait, non posse nos illam cohibere quandiu volumus. Quid heic Taurellus? In hypotyposi quidem NIHIL: quid in ipso opere, tu videris. Mei enim otij non est.

QVÆST. VI.

De sensûs instrumento.

128. In sanguineis difficilior res est, quàm quis credat. Difficultas inde est, quod ex Anatomiâ heic nihil nobis subsidij. Sed & in praxi inutilis est.

QVÆST. VII.

De animæ hospitio.

129. Contrà se habet, sitne verum, quod vulgò Arist. affingitur, *animam esse totam in toto, & totam in quâlibet parte*, expeditior, inquam est, quàm creditur. Tribus verbis, *In solo Corde est radicaliter: in omnibus aliis partibus communicatiuè.*

QVÆST. VIII.

De medio illuminato,

Longissimè abest ab instituto nostro. Veritati

QVÆST. IX.

De imaginatione

Motâ, non moto sensu, attestor & ego, & omnes Melancholici.

CAP. IX.

DE CÆSARE CREMONINO.

130. Zaneboria gens Cremonæ in Insubriâ est. Hinc digressus pater Cæsaris habitauit in *Cento*, dictus ab omnibus *Il Cremonese*, quod nomen acceptauit ille, vt ab ipsomet habeo. Huius *Apologia pro Arist. Venet. in 4 1626. est Homo* ille *Peripateticus*, cuius memini *præf. in Diatribam de Vsu Cerebri.*

131. Hic doctrinam de principatu partium, certis includit theorematis, quorum I. est, In omni generatione substantificâ fit pars post partem, adeóque est ordo quidam, vt quædam sit prima, quædam secunda, & sic deinceps. II. Prima illa habet rationem principij, quia tempore est prior reliquis. III. Pars hæc in animalibus perfectis *Cor* est solum, quia primo actu secernitur, primò viuit & vltimò moritur. Hoc primùm probatur sensu, *6. Hist. 3.* ex ouis incubatis, in quibus tertio die exstat punctum sanguineum, quod salit. Deinde ratione, *3. par. 4.* quia omnes sensus hâc desinunt, vtpote in me-

dio animali situm, è quo calor ebullit, omnium actionum instrumentum.

132. Et hæc sunt à primo dict. ad 7. vsque, in quo proponuntur argumenta eorum qui volunt, omnes partes simul fieri, quique refutantur dict. 9. Mihi molestum est, quod dicit vir magnus *extr. dict. 8. Semen euanescere,* & quærit, quo tempore fiat? Ab initio, inquit, vt in artificialibus. Quàm vellem hoc non dictum? Nollem etiam allatum Homericum illud, εἰς οἰωνὸς ἄριστος! Sed pergamus. Exigui momenti sunt argumenta Gal. *in libro notho, An omnes partes, &c.* Quin crepitu digitorum soleo refutare illos, qui dicunt, *Quæ pars sit verè prima, nouit Creator?* Ita enim corruit tota Philosophia, nec licet nobis vel ex sensu, vel ex ratione argumentari. Multò minoris sunt, quæ Galenus *eodem libro* occentat Philosophiæ. Eiusdem monetæ sunt, quæ *dict. 8.* leguntur, tam pro affirmatiuâ, quàm pro negatiuâ. Quamobrem nec lectione dignor illa, quæ sunt *dict. 9.* Friuola etiam sunt illa, quæ *dict. 10.* contra Cor iactantur. Pariter illa, quæ sunt *dict. 11.* Mutauit enim Gal. sententiam, à Corde ad Hepar conuersus, non vllâ ratione euidenti motus, sed solâ libidine.

133. Quo loco obseruo, videri velle nescire Cremoninum ipsum, quid sit *viuere vitam plantæ?* Est viuere adhærendo, non conficere alimentum, sed vti confecto. Id verò sanguis est, non venosus tantùm, sed & arteriosus.

134. Obseruo & hoc, Cremoninum accipere expositionem τοῦ σφοδρῶς apud Plat. de solo sanguine arterioso, cum tamen *dict. 18.* ex Athenæo explicet per τὸ ἀεὶ, si satis est sensum attulisse, qui est *Sine intermissione.* Porrò, Bonam. *2. Alim. 11. Copiosè* vertit. Quæ *dict. 12. pro Arist. contra Gal.* dicuntur, possum tolerare eatenus, quatenus saluum volumus caput Arist. cui insultabat Gal. præ gloriæ pruritu. Eiusdem conditionis sunt, quæ ibidem pro Anatomiâ. Multò magis illa, quæ 13. pro Logicâ, in quâ Galenum parum potuisse iudicat Auer. ideóque penè è scholâ sapientum eiicit. Quin *dict. 15.* Cremoninus tam grauiter incumbit Gal. vt aniculam vocet, similémque ægro, festucas legenti. In fine tamen non concedit, Gal. esse virum nullius pretij. Necdum finis iurgiorum. Insumit enim Cremoninus tria dict. in refrigeratione argumentorum, quæ Hepar nobis per vim obtrudunt. Ita loquor: quia tam leuia sunt, vt neminem, etiam parum in his exercitatum, latere possint. Deinceps *dict. 19.* agit de constitutione Cordis, quod aio fibrosum esse. Constat enim omnis generis fibris, ídque ob robur, quod vult propter perpetuum motum, quem ipsum postulat, vt possit esse in perpetuo actu. Vt enim suprà dixi, non tam quæritur heic facultas, quàm actus ille, in quo Natura habet finem suum. Quâ de re perplacet mihi, quod in fine ait. Robur fibrarum non pendere ex semine masculo, ex quo (vult dicere) non fiunt, sed ex partibus elementorum siccis. Hinc, *dict. seq.* firmat illud Arist. Cor esse magis in potentiâ (tam actiuâ, quàm passiuâ) quàm aliæ partes, hoc est, plus præstare in omnibus vitæ operibus, quàm cæteræ, quâ de re alibi. Iam enim considerandum venit Cordis temperamentum, in quo quid peculiare habeo, & aliis neglectum.

135. *Quemadmodum*, dico, *ouum fœcundum est vnum, non φύσει sed ἀριθμῷ: sic & Cor.* Vt enim in ouo fœcundo duæ sunt substantiæ, semen masculum & fæmineum: ita in Corde duæ sunt substantiæ, ipsa scilicet prima ex elementis constitutio, & Calidum natiuum, per substantiam illam dispersum eo modo, quo coagulum per caseum, fermentum per panes. Ratione vtriusque Cor

vel temperatum eſt, vel calidum & humidum: ſed ita, vt vtraque qualitas ſit in æquilibrio. Quamprimum enim alterutra vincit alteram, putredo eſt præ foribus.

136. Heic conſiderandum propono bonis & ſapientibus, Annon hinc quoque peti cauſa poſſit celeris cuiuſdam obitus? Cum videlicet ſubſtantia Cordis calidior ſuffocat hoſpitem ſuum. An fieri non poteſt propter illud, *Vnum, quà vnum?* Hoc loco videor mihi monere poſſe Prçceptorem neglectæ methodi. Reuerà enim venæ & arteriæ nihil aliud ſunt quàm Cor dilatatum, vt nerui ſunt Cerebrum conſtrictum, & in longum porrectum, ceu dixi. Ex quâ conſtrictione, quam vnuſquiſque oculis vſurpare poteſt, peto primum & validiſſ. argumentum pro ortu venarum ex Corde. Et hoc eſt, quod Philoſophus ait *3. part. 4. Natura Cordis venoſa eſt.* Vbi ſub venis arteriæ ſunt. Cætera perſecutus ſum χει. φυσιολ. 11. vbi tu vide, ſi placet.

137. Interrogo autem, annon eadem methodus velit, vt heic quoque agatur de neruis propriè dictis? Vult omnino. Eodem enim loco dicit Philoſophus, *Copia etiam neruorum in Corde eſt.* Et addit rationem, *Hinc enim motus oriuntur.* Quid dicitur. *Vt ratio reddit vnitatis animæ, quemadmodum primum & commune animæ inſtrumentum, Calor, indubitatò eſt è Corde: ita etiam ſecundaria, Vaſa ſcilicet oportet eſſe.* Sed oportet ita eſſe, vt ſuprà dixi, Mediatè quatenus venæ & arteriæ è Corde ortæ, neruescunt in Cerebro.

138. Hanc παράδοξον ſtatim poſt Ariſt. tempora, ab Eraſiſtrato, nepote eius ex filiâ, & Praxagorâ, cognitam fuiſſe, probaui olim *in θ. de hoc negotio,* & nunc nuper reſumſi χε. φυσ. *cap. 20.* Hanc ipſam non ingratam eſſe hominibus noſtris, inprimis accuratiſſ. Cæſ. (qui vel ſolus obturare poſſit ora omnium γιγαντομάχων, qui contrà inſurgunt) oſtendi locis citatis. Sed quid Gal.? Eſt dux Titanum illorum. Quod vt credas, vide, quæ ob oculos illi pono dictis χρ. φυσ. Ego verò, Mi Galene, veni mecum in Theatrum Anatomicum, vince, & cum Scipione aliquo triumpha.

Disc. Heic verò quid Zaneborius?

139. Præc. Nihil omnino. Eſt enim huius genij, vt nouarum quidem obſeruationum negligens ſit, ex Ariſt. autem ſimpliciter pronunciet, ſiue correctus ſit, ſiue corruptus, cuius rei exemplum mox dabo inſigne, ſi volet Ille. In *dict. 24.* tres committit errores. Loquens enim. I. de nobilitate & præſtantiâ ſiniſtri ventriculi, tam calidum eſſe ait apud Gal. vt digitus immiſſus vratur. Vir magne, ignoſce, πῦ κεῖται? *1. Temp. vlt. extr.* hoc quidem lego, φύσει θερμότατον εἶ) · ſed vbi vſtio? *lib. de Inæqual. int. 5.* dicitur, ſiniſtrum ventriculum θερμασίαν habere σφοδροτάτην: ſed vbi vſtio? II. Dextrum eſſe ampliorem ait Cremon. Hoc ſenſus negat, ne dicam de Hippocr. autoritate, *lib. de Corde.* III. Sanguinem venire ab Hepate ad eundem, indigum validâ actione. Cur? Vt ſpiritus fiat. Quis vnquam ita loquutus eſt, præter *Gal. 6. Sent. Hippocr. 6.* & qui ob id inſigniter vapulat? Certè, in ſiniſtro ſanguis ad ſenſum eſt calidior.

140. Sed dimitto iſta lubens: *dict. 25.* diligenter exponit locum *3. part. 4.* de triplicitate ventriculorum Cordis. Huic ego oppono, quod ibid. dicitur de duobus vaſis, Cremonino ipſi non ingratis.

141. Vbi ego, Si duo vaſa, ergo duo etiam ventriculi. Imò, *cap. 7.* ex-

preſsè ait, καρδίας eſſe διμερῆ ταῖς κοιλίαις. Quid clarius? Non ſolùm ait *Cor eſſe bifidum:* ſed addit, *ventriculis.* His ſuccinit, quod *1. Hiſt. 17. & 3. Hiſt.* ſcribit, in Corde eſſe τὸ δεξιὸν & τὸ ἀριστερόν, quod quomodo accommodabitur ternario? Vbi ſubinfero, His locis, quibus ſermo de binario, verus eſt Ariſt. aliis omnibus, quibus de ternario, falſus. Hinc, ex conſilio *Gal. 6. Aph. 36.* molior correctionem omnium contrariorum locorum, quæ, cum commodo tuo, videre potes χρη. φυσιολ. *cap. 52.* vbi, ex Plut. Athen. & Strabone reos ago Apellicontem Teium, Tyrannionémque. Quò minus curo locum *3. part. 4.* in quæ Cremoninus inſumit duo integra dict. cum in rei veritate, nudior leberide ſit. Quâ de re pauca dicam. I. Quæ ratio eſt axiomatis illius, *Sed melius tres eſſe?* cum nemo hactenus in Naturâ plures duobus viderit? Et quæ cohærentia eſt cum illo, *Vt vnus commune principium ſit?* II. Quæ *pulcritudo eſt in ternario, qui ad vnitatem reducitur?* III. Quis ſenſus eſt illorum, *Medium & impar principium eſt?* Dicat Pythagoras aliquis, idémque explicet ingenium Ariſtotelis. IV. Eſtne ſenſus Philoſopho dignus? *Quamobrem pars dextra corporis calidior? Quia validior?* V. Eſtne collectio illa, *Sanguis dextri ventriculi eſt calidiſſ. non quod talis ex Hepate venerit, ſed quod talis ibi factus ſit?* VI. Eſtne illa, *Sanguis ſiniſtri eſt frigidiſſ. quod tam caleat, vt reſpirationem & pulſum faciat ebulliendo?* VII. Eſtne aſſertio illa, *Non eſt ſimpliciter frigidiſſ. ſed qui ſit poſſibilis eſſe, ſtante principio, in quo eſt?* Atque principium illud tantoperè calet, vt vrat immiſſum digitum! Sed deſino bonis obſtrepere. Hæc tam putida credátne Cremon. ipſe Stagirea eſſe, ſi liber ſit ab amore? Sunt Teiana, quibus mederi poſſit melius nemo quàm Ariſt. ipſe redux ad nos. Idem dico (ſiquidem dicendum eſt) de medio dict. ſeq. Fingit enim miracula, quæ magno conſtant illi non minus quam machinæ Tragicorum.

142. Quæ contra Gal. affert *dict. 27.* vereor vt Galenus vnquam ſomniârit! Nouit, quî differat ſanguis arterioſus à venoſo: ſed de formâ ille nihil, quia artifex eſt ſenſatus. An arteriæ ſint præſtantiores venis? nunquam in dubium vocauit. An ſanguis arterioſus ſit potius ſpiritus? inepta quæſtio eſt. Pulſus, vt concludit, eſt *actio naturalis*, facta diſtribuendo ſanguini. Facultas vitalis, de quâ *dict. 29.* non eſt in rerum naturâ, vt demonſtraui fusè *Com. 2. de Thor.* Huc inducit Auer. Galenum ipſum, dum concedit, *Nutritiuæ* hoc eſſe officium, cui oneri etiam par ſit, abſque adiumento *Vitalis.*

143. Hinc idem infert hoc τέρασμα, Galenum ignorare principia. Non ignorauit, dico ego, ſed ſtudio preſſit, ebrius famâ Ariſt. Mox, *dict. 30.* quærit cauſam cur Medici tantoperè varient in fac. vitali? Quia falſum eſt infinitum. Quò magis etiam laudandus eſt Cremoninus, quod, relictâ vitali, animum adiicit ad *vegetatiuam* noſtram *exaltatam.* Nimirum, eſt ipſa animæ eſſentia, vt quidam loqui amant, ipſe actus, vt ego ſuprà, de quo dicit *dict. 31.* eſſe contra intentionem proponentis, & excludere penitus vitalem.

144. Contra quæ diſputat *d. dict. non ad contentionem, ſed ad Veritatem*, vt loquitur, vtinam tam ſolida eſſent, quàm requirit Veritas! Sed ſint talia, qualia ſunt.

145. Pulſus *dict. 32.* apud Ariſt. *de Reſp. 20.* eſt inter tria illa, quæ Cordi accidunt, & fit ab ebullitione ſanguinis, ideo per accidens. Hoc apud Medicos maximum eſt abſurdum, quod cogit illos architectari peculiarem faculta-

tem, quæ (quod meritò rideas) non ex Corde influat, ſed inſita ſit arteriis, *Pulſifica* ſeu *Vitalis d.* Ego verò ab illâ iam abſolui me, dicendo, non eſſe nouam, ſed *Vegetatiuam*, niſi mauis, *Nutritiuam*, eò vſque à plantis diſcedentem vt ignis ſit ſenſilis. D. Thomas, nodum in ſcirpo quærens, non vult concedere eſſe à calore, ſed ab animâ, vtente calore pro inſtrumento. Hui, Seraphicum doctorem! Contra hunc arma ſumit Noſter *dict. 33.* quæ non contemno, vt neque illa, quæ pro declaratione eorundem colliguntur *dict. 34.* ſed quæ contruduntur alternationes Medicorum *dict. 35.* *ſpinoſiores ſunt quàm veriores, ortæ quippe inde, quod rem non intelligant.* Atque hoc Cremonini eſt verbum, non meum.

146. Non minus ſpinoſa eſt illa diſtinctio *dict. 39.* *An Cor primò genitum, viuat etiam prius?* Reſponſio SCHERBII erat, Vt partium generatio eſt ſucceſſiua: ita animæ aliquatenus, quia forma eſt ἐνυλος, quæ ſine inſtrumentis non agit. Hinc fit, quod RATIO ſit vltima, quia Cerebrum tardiuſculè acquirit temperiem illam, cum quâ ratiocinatur.

147. *De dict. 40. 41. & 42.* vt dicam quod ſentio, In generatione animalium neceſſariò quædam ignoramus, quia pendemus à ſolo ſenſu, quem ab ouis habemus, in paucis quibuſdam ab abortibus: ſed in quæſtione, Vtrum à Corde generato generentur poſteà reliquæ partes? an potius à ſemine? ita euincit rationibus Cremon. noſter, vt iure gloriari poſſit, ſententiam pro ſemine, tanquam causâ principali, ita confirmatam eſſe, vt ſit impoſſibile contradicere. Hinc adimitur mihi dubium, quod habui *in tract. de Cal. & Spir.* An, quemadmodum maximam ſeminis partem Cor retinet in ſe, ita cæteræ partes retineant paucum quid? Retinent: ſed non tantum, vt vel dici poſſint inde factæ, vel ſpiritus vllos inſitos conſtituant.

148. Quæ hanc inſequitur quæſtio de partium principatu ambagioſa eſt. *Dict. enim 44.* proponit illam ſaltem hoc pacto, An inter partes ſint quædam, quæ præſtent alias? mox q. latebras de induſtriâ quæreret, Auicennam producit, qui dicat, ad Medicum non pertinere. Sed reuerà ita eſt, vt Cremoninus tandem diſſoluit, Abſoluta conſideratio ſpectat ad Phyſicam, quæ ſcientia eſt: ſed relata ad vſum, ad Medicinam, quæ ars? Innuit etiam, Phyſicam quidem latè hæc deducere: Medicinam autem paucis contentam eſſe, iis inquam, quæ vſum ſpectant.

149. Deinde proponit dubia quædam, ad quæ reſpondet dict. ſeq. Interrogatus, cui parti deferendus ſit principatus? Illi, quæ dat, non illi, quæ recipit. Cui ego, ſic Cor non erit: quia ſanguinem ab Hepate recipit. Hoc indiſcuſſo relicto, ſex rationibus probat, non niſi vnam eſſe partem principem. Quod quia directè eſt contra triplicitatem Galenicam, quamuis non meminerit illius, duo affert Auicennæ loca, quibus Arabs valdè humiliter ſentit de vniuerſâ Galeni Philoſophiâ. Hac de re videſis, *cap. vlt.* χρονσ. συνοχ. Quidquid ſit, *dict. 46.* impugnat argumenta, volentia pluralitatem: *ſeq. 47.* ſtabilit vnitatem, quâ in re non immorabor, niſi quod cauſam deſidero, cur, quod *dict. 44.* egerat, denuo agat 48. Breuiter, vtrobique probat vnitatem, quod ordo quidam ſit inter illas, propter diuerſas actiones, aliud atque aliud temperamentum volentes. Dicit autem, ſe perſecuturum iſta cum Auicenna more Philoſophico, & recipit definitionem partis principis, quod ſit illa, quæ dat,

non recipit. Vbi subitò liberat Cor difficultate superius tactâ, τὸ *dare* accipiendum esse, de *Calore*, qui est commune actionum instrumentum, & de *Vasis* è quibus Venæ & Arteriæ immediatè cohærent Cordi: nerui ex illis facti mediatè.

150. De propositione illâ, de quâ supra ex Cæs. *Animam totam esse totam, &c.* pronunciat, Ipsis terminis sibi ipsi repugnare, & se ipsam destruere, quod ego hactenus intelligere non potui. Sed cuius est? Cæs. quidem videtur tribuere Arist. quod in pueritia meâ audiui negare Melanchthona. Cremoninus ait, tribui Auerroi, quo nihil magis sit falsum.

151. Vtut sit, pluralitatem aggrediens Noster *dict. 50.* numerat argumenta Medicorum, aitque haberi à quibusdam pro demonstratiuis, quod Conciliator neget. Mihi imprimis placet festiuitas hominis, quâ vtitur contra arrogantiam Laurentij in aliis etiam vsurpatam illi.

152. Sed transeat: Argumenta ipsa refutat *dict. 51.* solerter quidem, sed philosophicè, vt promiserat. A me non putem exspectari quidquam, præterquam ἐπίκρισιν, quam tacitè dedi. Hæc ipsa est *dict. 52.* in quâ validissimâ ratione conficit primum, Inter quatuor illas, à pseudo-Gal. *in Arte* productas, solùm *Cor* simpliciter esse princeps, quia simpliciter necessarium: *testes* verò ne quidem pertinere huc, quia non sunt in omnibus generantibus, vt neque in plantis. Ne verò contemni se putent Medici, *dict. 53.* in digitos ponit rationes illorum, quas resoluit *dict. seq.* Est autem id ipsum bifidum. Primùm affert rationes proprias, quæ nolunt testes esse sedem generatiue, vt loquitur: deinde respondet argumentis in contrarium. Hoc continuat *dict. etiam 55.*

153. Cæterùm, quia *Gal. 1. Sem. 15.* eò temeritatis prouehitur, vt Testes Cerebro præferat; quia paulò temerariores conquirere cœperunt rationes, quibus Cerebrum Cordi: ne id quidem inultum sinit Noster. Hoc facit *dict. 56. & 57.* in quibus tria noto. I. Gaudeo, Iacchinum & me reperisse ὁμόψηφον in transferendis illis miraculis testium, ad motum sanguinis, qui fit in συνουσίᾳ, propter quem appellabatur Vett. *Epilepsia parua.* II. Eundem ratiocinari ex Arist. *1. Gen. 18.* & Philop. *morbum Italicum* vulgò d. fuisse cognitum Vett. Addo ego, minimū Phœnicibus & Syris, vnde *morbus Punicus* dici debeat. Vide Notas *in Glos. Gal.* φ. III. Eundem excusare Gal. quod dixerit, Testes non facere tantum ad τὸ ζῆν, sed & ad τὸ εὖ, ratione propagationis speciei. Et hoc est, quod alibi concessi Galenistis, sed cum restrictione, de hâc re quæstionem non esse. Ita dico, Nobilitatem Cerebri, *dict. 58.* non ire me imminutum: sed monere de necessitate me loqui. Quod affingitur ex *Gal. 8. Vs. p.* ibi excussum est. Posthæc *tribus dict. 59. 60. 61.* digreditur Cremoninus *in paraphrasin Auer.* de testibus, quam relinquo lubens, libensque quia prioritas testium iam conculcata est.

154. Deinceps orditur longiss. telam per *dict. 5.* de temperamento Cerebri, quod frigidum & humidum esse ait, & quidem magis hum. quàm frig. Et hæ quidem duæ qualitates sunt essentiales: his accedit alio frig. quam præstat illi Cor. Quod inter nos controuersum est, hoc ferè tantum est, Sítne frigiditas, quæ à Corde illi accedit, accidentalis, adeóque qualitatiua, vt Cremon. censet, an potiùs substantifica, vt ego censeo? Huc me trahit operosissima illa

nerui

nerui fabrica, mirificè attenuati ex corpore vaſtiſſimo, vt paruum Cerebrum dici poſſit.

155. Dixerit fortaſſis aliquis, in hoc etiam diuerſos eſſe nos, quod Cremoninus putet Ariſtoteli locum excuſationis non dari, quod Venas (in lata ſignificatione) Cerebro negârit, *Quod ibi, in corpore Cerebri, non ceſſent*, inquit, *ſicuti ceſſant in aliis corporis partibus*. Imò verò non ceſſant, inquam ego, ſed cum vtrâque meninge deſcendunt in partes ſenſiles, & mobiles, vt paruum Cerebrum conſtituant, vt Galenus loqui ſolet. Alioquin conſentientiſſimi ſumus in eo, Galenum in vſu Cerebri non intellexiſſe Ariſt. *cum impudenter & turpiter illum derideat*, vt loquitur Noſter, *cum verniliter illi inſultet*, vt ego loquerer. Vide initium Diatribes noſtræ.

156. A Cerebro deſcendit *dict. 68.* ad medullam ſpinalem, & concedit minus amicis Ariſt. ſtatuiſſe calidam. Ego verò *χρη. φυσ. cap. 217.* & defendi Philoſophum, & euici, niſi inſignitè fallor, non eſſe alîus temperamenti quàm Cerebrum, hac tamen differentia, quam nunc addo, Vt Cerebrum friget ab aquâ: ita ſpinalis medulla à terrâ, ídque ob copiam neruorum inde pullulantium.

157. Rurſus, à *dict. 69.* per decem continua alia, reditum facit ad Cerebrum, volens demonſtrare, vſum Ariſt. eſſe rerum naturæ conſentaneum. In quo diſcurſu bene longo hoc mihi inprimis placet, quod ait, Medicos parum honeſtè agere, cum ſedulò ſupprimunt cauſam finalem. Quorſum enim illa refrigeratio? Ad ſenſum. Ego, qui nemini moleſtus eſſe cupio imperio meo, conſuluerim potius adoleſcentibus noſtris, legant dictam *Diatribam noſtram*, perſpicuam & breuem, præ ambagibus iſtis obſcuris & longis, quales Scholaſtici parturire ſolent.

158. Poſthæc, antequam concludat, Cur Cerebrum non poſſit eſſe pars illa quam quærimus, *dict. 75.* accedit ad Hepar, & principatum illi adimit duobus argumentis, quantùm intelligere poſſum. Altero, humor ille confectus in Hepate, non eſt ſanguis: ſed chylus vlterius elaboratus. Quâ in re cum Accorambono videtur mihi eſſe velle, qui ſanguinem quidem vocat, ſed cum additamento, *Crudum*, præ Cordiali ſcilicet illo, qui ſimpliciter ſit ſanguis, formâ quippe ſuâ inſtructus. Altero, Hepar non habet conformationem propriam, vt Cor, quod ſemper eſt pyramidale, licet pro diuerſitate animalium, modicè variet. Inprimis (vult dicere) hoc illi deeſt, quod non habet ventriculos, vt Cor habet, in quibus tanquam in ollis perficiatur. Cui oppono, Sanguis heic habet conditiones ſanguinis, & non minus ac alter ille in arteriis, per venas diditur in totum corpus, licet neuter alat ſolus, ſed vterque, vbi per ἀναςομώσεις remiſti fuerint. Tum enim rectè dicitur formam habere ſuam.

159. Exactis hoc modo è dominio Peripatetico duobus regulis perſonatis, & ſtabilitâ *Cordis* monarchiâ, Cremoninus quaſi de nouo incipit confirmare Cor. Hoc fine, *dict. 76.* probat, Hominem eſſe vnum, non tantùm ratione materiæ, ſed & formæ. Hunc in vnitate præſtare beneficio vnius partis, deducit *dict. 77. & 78.* dum ait, *Cor eſſe hanc partem*, quia continet in ſe omnes animæ facultates, & eſt tam ſimilare, quàm diſſimilare, &c. *Dict. 79.* adiicit aliam rationem, meo iudicio ſatis firmam, quod tria vaſorum genera ſint ex

Corde. Loquor timidè: quia neruos propriè dictos pulsos vult; licet non possit negare, ad sensum ita esse, in Anatomiâ, inquam, exactâ.

160. Hunc sensum cum deberet exponere *dict. 80.* ex naturæ libro, omnia alia dicit ex Aristot. libro, fortassean corrupto. Huius rei argumentum esse possit, quod subitò apprehendit Venas & Arterias, vt & sanguinem, & vtrobique lapsat. Tantò autem conspectior fit lapsus, quò latius euagatur. Cùm enim sensus dicat, & sit penè consensus publicus, in venis etiam sanguinem esse: id ille negat. Cum Galenus velit, solum hunc sanguinem nutrire: inuertit ille, & soli arterioso mandat id officij. Atque dico ego, eodem quo arteriæ modo eunt venæ per totum corpus, eodem modo sanguine turgent: imò per ἀναστομώσεις copulantur, sanguinem in se mutuo refundunt, &c. Nec absurdum est, quod ille putat, duas partes concurrere ad idem opus. Subitò enim dabo instantiam, Ventriculi, intestinorum & mesenterij,

161. Hinc adeo disputatio mihi scripta est de hoc grandi Naturæ magisterio, sanguinis conficiendi, inquam. Nec pœnitet facti, vel ideo, quia alij tacent. Non enim tumultuariū est opus, nec subitò in ventriculo fit chylus; nec subitò in intestinis distinctio boni à malo; nec subitò translatio fit vtilis ad Hepar & lienem; multò minus statim in illis fit sanguis; sed & postquam factus est, oportet eat ad Cor, &c. Hæc omnia vt fiant, requiritur multum temporis & moræ. Interim libenter fateor, nescire me exactè partem Hepatis illam, in quâ rubedinem acquirit. Hic ipse color distinet me, quo minus patiar dici chylum: quo minus consentiam in mutationem terminorum artis.

162. Sed de his alibi *dict. 81.* sumit sibi Noster laborem agendi de Venarum origine *ex 3. part. 4.* idque duce Auerroë. Ego paucis defungar, Hæc sunt ἀντιστρέφοντα, vbi est principium fac. ibi principium quoque instrumenti est, Venæ. Atqui in Corde est. Et hoc est primum Arist. argumentum, vt Auer. disponit, de quo etiam agit *dict. 82.* Secundum est *seq. 83.* ibi, φαίνονται γὰρ. Ibi oriuntur, vbi oculis deprehendimus. Hoc in Corde fit, non in Hepate. Hoc verum esse, *in præ-Exercitationibus meis Anatomicis* sæpiùs vrsi, Videte, omnia 4. vasa Cordis tam manifestè ex dilatatâ Cordis substantiâ fiunt, vt nihil intersit præter colorem. Id verò fit ob absentiam carnis propriè dictæ. Videte contrà, Vena caua attenditur tantum Hepati, ramósque in illud demittit. Considerate etiam, dixi, vtriusque visceris aptitudinem & ineptitudinem, Cor est dilatabile, Hepar non est, ob friabilitatem. In reliquis, vt dicam quod sentio, Cremoninus *dict. 85. 86. & 87.* dicit quod non sunt meliora cassâ nuce. Imò, cum *dict. 89.* vult conciliare Galenum cum Aristotele, incidit imprudens in casses meos, de modo nutritionis, & hoc vult, *Proportio sanguinis in Corde generati ad sanguinem in Hepate, est proportio materiæ ad formam.* Inspice verò, sodes, illa quoque. Hic *calor habet pro materiâ, &c.* Et illa, *Quare Natura bene fec.t, &c.* Et illa *dict. 99. 385. Non enim necessarium, &c.* Et iterum, *f. 387. Satis explicatum est, &c.* Vide verò etiam inscriptionem *dict. 90.* Et tandem illa, *Calorem Cordis esse promptum, &c.* Vt concludere mihi liceat, Cremoninus planè est meus.

163. Ἐπισάγματος loco addam tria verba de Galeni audaciâ. Si enim quæram, Si sanguis arteriosus non nutrit, quid facit? respondet *6. Sent. Hippocr.* Habet alium vsum. Quem alium? odiose. Refrigerandi. Pudeat in æternum! Sed

transſeat: audi, ni moleſtum eſt, Auer. & Cremon. *Neglectus ſanguinis arterioſi, atque adeò contempta vera ratio nutritionis, peperit nobis contemptum arteriotomiæ. Hic contemptus fecit, quò minus curemus morbos pertinaciſſimos*, vt magnus conqueritur alicubi Maſſarias. Sed quos? dicis. Qui lædunt nutritionem. Hos ſubodoratus videtur eſſe Fernelius, quâ de re videris χρη. φυσιολ. *cap. 337.* Cæterùm, Auerroës requirit à Galeno diſcurſum ſuper ſomnio, de quo ille *Com. in 2. Hum. 2.* Cur dæmon iniunxerit illi arteriotomiam? & reſpondet ſatis ſuperbè, Non habuiſſe, quod diceret. Certè, modus nutritionis Galeni nihil commune habet cum arteriotomiâ. Quæ ſequuntur apud Cremoninum, ſino. Cauſam vides.

CAP. X.

De Hieronymo Fabricio ab Aquapendente.

164. PRÆC. penè inuitus hæc ſcribo: ſed *cogit* VERITAS!

DISC. Succinam ego, vt inſtitutus ſum: *Cui non paruiſſe* SCELVS *ſit!*

PRÆC. Anatomicorum ille coryphæus, ſcripſit in Anatomicis non niſi tractatus aliquot particulares, quorum pleroſque percurram, VT SORS TVLERIT, *ſine animi rancore*, VTI DEBEO. Horum primi ſunto quatuor iſti, quos Patauij impreſſos *in Reg. anno 1625.* ſubmiſit mihi virorum eximius, D. IVFRID. Vveis, Med. D. &c.

I. *De formato fœtu.*

165. Heu *cap. 2.* ſtatim inuoluit ſe falſis hypotheſibus Galeni, Quia, inquit, Hepar venarum omnium principium eſt, fuerit vmbilicalium quoque. Si inclamem, Quod autem arteriarum? Quod aliud quàm Arteria magna? Indigniſſimum viro tanto? Vt hinc ordiar, Tota ſententia repræſentat Praxagoræ ſententiam à Gal. ſcriptam *lib. de Anat.* vt verbis fin. Quamcum perſpicuè refutârim χρη. φυσιολ. *cap. 167.* quin cum earundem *cap. 102.* ex hoc ipſo opere, *tab. 8. fig. 18. & 19.* depinxerim σιωαφειαν venæ vmbilicalis cum venâ; ea verò non minus è Corde ſit quàm Arteria magna, vt demonſtraui earundem χρ. *cap. 11.* quid mihi reſtat denique?

166. Pudet dicere, ſed non poſſum aliter, Parte vlt. huius operis, *etiam cap. 2. f. 110.* vt cum Flacco loquar, chordâ oberrat eadem. Interrogatus enim fortè, Cur fœtus præter venas habeat arterias? reſpondet, *Neceſſariò concurrit etiam ſpiritus vitalis, &c.* Nimirum heic latet vſus ſanguinis arterioſi à Gal. confictus, poſtquam ademit illi vſum Ariſt. *Nutrire cum ſanguine venoſo.* Ea res quia ambages habet longiuſculas, explicitas mihi earundem χρ. *cap. 291. & ſeq.* non ero heic longior. Excurram autem in quæſtionem huic vicinam, in quâ parum felix eſt Fabricius loco proprio, *Cur, vt in viuiparis opus fuit duplici ſanguine: ita in ouiparis duplici ſubſtantiâ, iam à ſe inuicem differente, albumine & vitello?* Vt ex albumine frigido partes fiant frigidæ ſeu ſpermaticæ: ex vitello

calido, calidæ seu sanguineæ. Atqui dico ex Arist. *6. Hist. 2.* contraria est vtriusque natura: quomodo igitur seruiunt vni rei? Atqui vt contrarietas proculdubio consistit in contrario temperamento: ita non video, quomodo Fabricius sibi constet, cum *tract. seq. f. 31.* negat, neutrum dictorum esse pulli materiam, quia, inquit, perfecto pullo, vtrumque superest. Quid igitur est? si dicam. Alimentum, aiet Pax! Latet res in obscuritate Naturæ. Quo casu præstat silere, quam ἄτοπα afferre.

167. *Eodem cap. f. 116.* quæstionem instituit de visceribus infantis, An, quamdiu est in vtero, habeant etiam officium publicum? Negat ille quidem, allatis rationibus quibusdam. Ego verò sum eius sententiæ, esse contra principia Peripatetica, à Gal. quoque hac in parte admissa. Si enim femina est frigidior mare, idque propter finem, causarum principem: vtique subseruient ei inferiores, efficiens & materia. Fuerit itaque efficiens quidem in matre debilior, vt materiam relinquat crudiorem, quæ ab infante iterum coquatur. Hoc verò fit in visceribus fœtus sanguineis, quorum ob id hoc officium publicum est. Huius rei indicium est, quod primario obtegentium officio secundarium addidit, colligendi quasi in sinu suo excrementa serosa; quæ sanguis frigidior & humidior reliquit. Rationibus aduersariis non respondeo, quia leuidenses.

168. Agnosco etiam, quod alibi scripsi, D. Fabricium *eiusdem cap. f. 124.* minus rectè *Hepati* (vt Arantius vocauit) *vterino*, adscripsisse, quæ Gal. *Cotyledonibus*, licet non diffitear, cotyledonas in aliis animantibus proportione respondere Hepati d. Hoc miror, visam illi fuisse rem adeo difficilem, vt *cum Heraclito vel obscuremus, quod ignoramus, vel continuâ aliquâ oratione tegamus.* Dico, non est quidem vnus, idémque vsus vtriusque facturæ: sed spectauit Natura vtrobique, quod melius est. In homine consistit τὸ εὖ in coctione & perfectione sanguinis materni, qui est τροφὴ οὐ καθαρά, *alimentum impurum*, vt Aristot. intelligo, quod elaboratione indiget. Et hic est vsus Arantij, *lib. de hum. fœt. cap. 6.* quem tantùm non morosè refutat ille. Et hac elaboratione maximè indiget homo post σύστασιν, in αὐξήσει, inquam, quia matres nostræ sedentariæ ferè sunt. In reliquis animalibus, quæ citatiores sunt, vel naturâ suâ, vel operâ nostrâ, consistit in multis vinculis, quæ periculum abortus auertant. Et hæc assertio fundamentum habet *in 5. Aph. 45.*

II. *De formatione oui pennatorum.*

169. Insigniter vexatur locus Arist. *6. Hist. 2.* quà de *Grandinibus ouorum*, quos χαλάζας vocat Philosophus. Nisi ego penitus fallor, iacet in vitio, præsertim illa, οὐδὲν συμβάλλονται πρὸς τὴν γένεσιν. Ego enim persuasus sum cum multis bonis, esse *semen galli*. Inter bonos hos Aldruandus est *2. Ornithol. 14. fol. 99.* Non tantum enim disertè id ait, sed & Arist. producit. Habeo præ manu literas amici, quibus per tres philuræ facies hoc agit, sed nusquam addit vel Aio vel Nego: Hoc nimirum est sapere? Hoc enim euincunt rusticanæ mulieres, cum probant oua subiicienda ad lucernam, ob sic *dan chanon habim.* Quid si igitur ita interpolem, αἱ δ' ὥσπερ τῇ ἀρχῇ τοῦ ὠχροῦ χάλαζαι γοναί sunt, ὥσπερ δέ τινες ὑπολαμβάνουσι, οὐδὲν συμβάλλονται πρὸς τὴν γένεσιν. Sed cur binæ sunt? Tam est hoc supposititium,

quàm τὸ *Certam* Gazæ. At Fabricius tuus non dubitat: quin ait *præter naturam esse*, si vna sit. Parcant mihi manes summi viri! Ergo vidit aliquando vnam esse. Hinc oritur quæstio, sitne hic status secundum, an præter naturam? Atqui idem vidit *f. 30.* esse in iis quoque, quæ gallum expertæ non sunt? Heic subsisto dubitabundus, debeámne dicere, quod sentio? Dicam, abusus est autoritate suâ, quam per tot annos consecutus est in Anatomicis. Atque vt temerarium est illud, *Est præter naturam*: ita præceps est hoc. Vidisti fortassis semel atque iterum: hoc verò nondum sufficit ad constituendam experientiam. Sed *cur vtplurimum sunt bina?* Debet nobis satis esse Naturæ nomen. Quid si fiat ex accidenti? in toties iterato galli coitu? Quid si paucitas requirit, vt sufficiant duo semina, cum vnus initus non est satis? *Sed cur loco sunt distincta?* NESCIO, vt multa alia in hoc *opere Naturæ maximo*, vt Generationem vocat Galenus.

170. Heic ego video humani ingenij versipellem audaciam, *Atqui*, inquit Noster *f. 30. semen galli, nec est in ouo, nec esse potest: quia in secundo vtero iam cortice duro tectum est.* Atque audeo ego verum dicere, & contrà tueri, *Non est id perpetuum.* Vidi enim & palpaui ouum planè mollicellum, quod fit si mater à fœtu arceatur subitò. Vidi etiam in non paucis quasi cicatricem in cortice, quem fieri mihi imaginor, si gallus superueniat iamiam egressuro ouo. Hoc verò frequentius esse illo, persuadeat alicui, tam magnum ouum non posse penetrare in hâc formâ, in tali duritie, sed esse molle, vt cedant latera. Fallor? an in contrarium tendit id quoque, quod ait, *se penem in gallo inuenire non potuisse?* Ego verò absque Anatomiâ, non in gallo tantùm, sed & in anate & ansere (amicus addit etiam gallum Indicum nobis dictum) non potuisse subitò retrahere penem rigidum, vt & in canibus quandoque accidit.

171. Et cui non subeat illud, *Ergóne gallus est frustrà factus, tantæ magnitudinis, in veste versicolore tam splendidâ, capitis ornatu tam mirabili*, quique post singulos penè coitus claro tripudio indicat hero, officium suum se fecisse? Timebat tale quid Senex, ideo *f. 37.* ait, *Galli semen in vteri principium immissum & iactum, efficit totum vterum, omnésque vitellos fæcundos.* Hoc probat dupliciter, 1. Mirabilibus illis effectibus, qui testes exsectos sequuntur. 2. Experimento rusticanarum testantium, vnicum coitum sufficere per totum annum. Non contineo me, quidquid sit futurum, *Hoc posterius est perspicuè falsum: illud prius pendet à motu sanguinis in συμουσίᾳ*, de quo ego sæpe, & nunc nuper ex Cremonino.

III. *De brutorum loquelâ.*

172. Quantumuis Fabricius commendet hunc tractatum: non video tamen aliud quàm πλατεῖον, quo nomine etiam accepto. Est etiam cautione opus, ne cum Apollonio, aliisque magis, progrediamur vlterius quàm par est.

IV. *De loquutione.*

173. Heic contrà se habet res. Præterquam enim quod vere eruditum est

opus, vſum habet maximum, & in hoc genere par non habet.

V. *De Reſpiratione.*

174. Duo ſunt libri, *Patauij impreſſi in 4. 1615.* In horum primo mirificè ſe inuoluit, cum duos reſpirationis vſus tradit, *alterum* principalem & maiorem, conſeruationem Calidi natiui: *alterum*, minus principalem & minorem, animalis ſpiritûs nutritionem. Quantò ſapientius Ariſt. cum docet *lib. de Reſpir. 11.* Pulmonis (ita ille) duo ſunt vſus, alter πρὸς τὸ εἶναι τὸ ζῶον: alter πρὸς βοηθείαν τῆς καταψύξεως. Hic poſterior eſt principalis ille Fabricij: ſed alter eſt ille, quem pro πλασματῶδη dudum habuit Ariſt. & ſincerior antiquitas. Natura enim non opus habet externo aëre ad facturam ſpirituum, vt alibi me confeciſſe puto. Videri autem poſſunt *Com. in lib. de Vſ. part.* præcipuè argumento *lib. 6.* & nondum editæ χρη. φυσιολ. *cap. 41. & ſeq.* quibus oſtendo aëris ſociationem eſſe inter communes ſententias.

175. *Lib. 2. cap. 2.* inſtruitur acies, & producitur phalanx Gal. quæ conſtat ex Medicis, ſariſſam hanc animosè vibrantibus, *ex 2. Mot. muſc. 5. & 6.*

Quæcunque actio ita eſt in poteſtate noſtrâ, vt poſſimus illam tardiorem & celeriorem facere, eſt voluntaria ſeu animalis. Talis eſt Reſpiratio. Ergo.

176. Quid nos? In maiore latet fraus. Motus enim animalis apud Gal. eſt, qui *ſimpliciter eſt in noſtra poteſtate.* Talem qui dixerit reſpirationem facilè conuincetur. Gal. agit heic ſophiſtam, cum iubet diſtinguere inter merè animales, qualis eſt feſſio, & animales illas, quæ ſeruiunt *affectibus corporis.* Si iubeatur dicere, quale ſit illud πάθος in reſpiratione, Harpocrates erit. Idem accidit Fabricio. Ego verò diſertè dico, τὸ πάθος Gal. eſt motus ignis noſtri ſurſum. Is verò motus quia naturalis eſt, itaque præpollet, vt nemo poſſit illum cohibere, fatente alicubi Gal. ipſo, cui reſpiratio, hoc reſpectu, non ſit *actio naturalis?* Vide χρ. παθολ. *cap. 73.* & iterum 338.

177. Subodoratus erat hoc Gal. ideo *2. Aph. 72.* ſurrogat ἀνάγκην τῆς ἀναπνοῆς. Heic multò magis ſcire aueo, *Quæ ſit illa neceſſitas?* Gal. quidem ſedulò tacet, vt & Fabricius: ego verò clarè dico, *Eſt idem motus, potior omni neceſſitate.* Hinc Ariſtotelis reſpiratio eſt οὐχ ἑκούσιος. In hoc acquieſco. Si quid melius me docuerit Fabricius CEDAM.

VI. *De motu locali animalium in genere:*
De greſſu bipedis pennati:
De greſſu quadrupedum & multipedum.
De volatu:
De natatu:
De reptatu.

178. Hæc omnia ſunt in vno tract. ibid. impreſſo, anno eodem, in cuius

vestibulo quia fatetur autor, pertinere ista ad accuratam, hoc est, Philosophicam Anatomiam, libuit mihi saltum facere.

VII. *De musculi fabricâ & actione.*

179. Ob viciniam materiæ, iure sequitur hic liber *Vicetiæ impressus anno præced. 14.* Quà in re iure protestatur ab initio, discedere se à Gal. non studio contradicendi, sed amore Veritatis. Rectè: talem enim & me esse par est, & omnem bonum, & in subtilissimis, quale quod fatetur esse hoc. Neglectus enim talium plerunque parit neglectum etiam pragmaticarum. Accipio igitur sententiam hanc nouam, quia videtur Naturæ vox esse. Contrà, quia actio paucis absoluitur (est contractio musculi in se ipsum) mirificè ampla fit ambitiosâ illa oratione, quatenus Aristoteles & Galenus in motu ciendo vel consentiant, vel dissentiant: non possum non aliquid dicere. *Oratio Veritatis simplex duntaxat & vna est,* nec potest quidquam simul verum & falsum esse: hoc de negotio ita iudicaui semper, Gal. in illa deficere propter triplicitatem animæ. Hæret enim quod Cor abscindit ab illâ catenâ partium, quam Arist. texuit, Cor submittit Cerebro spiritus, Cerebrum alteratos illos remittit deorsum ad musculos, qui actionem exercent. Hoc soleo demonstrare exemplo meo. Quei fit, (dico) quod post paralysin dextri lateris leuiorem, manus quidem facit officium, quanquam ægrè, pes etiam, ope baculi permittit incessum: sed domi tantum. Quamprimum enim foris inæqualitatem strati lapidei sentio, nuto, cado etiam, nisi me quis fulciat? *Cor laborat.*

180. De origine neruorũ & musculorum quam cõtrouersiam mouet Fabricius, Arist. vetus est. Imò verò memini illum publice dicere, Arist. ne quidem nouisse musculos. Simplicitas! Ego enim *tract. de Similaribus* ostendi, nôsse, sed sub nomine nerui. Ait enim inter alia *3. Hist. 5.* attendi flexuris ossium mobilibus. Ita enim nunc quoque imitari libet audaciam Gazæ in illo loco corrupto iuxta & obscuro interpretando. Certus enim sum, illa, ἀρχὴ γὰρ ἐκ πάντων ἡ καρδία, insititia esse à corruptoribus suprà nominatis. Eius rei signum sit scintilla illa Veritatis, quæ τὴν ἀορτὴν παντελῶς εἶναι νευρώδη πλεύροσιν ait, *Aortam extremis planè neruosam esse.* Nimirum, quod alibi scripsi, Erasistratus ex filia nepos Arist. ita explicuit mentem aui, Arterias (non exclusis venis) extremis suis (quà scilicet in Cerebrum desinunt) neruescere. Quod quia hodierna etiam Anatomia non difficulter admittere solet, non ero longior. Vide *χρ. φυσιολ. cap. 20.*

VIII. *De Articulorum structurâ.*

181. Sunt hæc paulò minus quàm Relata: ideo hic libellus cum sup. prodiit. Profitetur autem vir magnus, se Gal. opusculum *de Ossibus*, vsquequaque defensurum. Quam laudem vt nequaquam illi inuideo: ita per ipsum liceb't mihi esse cum Columbo, ceu fui iam olim *in d. nup. de Simil.* Pertinet autem res ad Anatomiam Philosophicam.

IX. *De Gulâ, Ventriculo, & Intestinis.*

182. Exiit hic liber Patauij quoque 1618. & videtur mihi deficere in multis. I. quod in gulâ non explicat se disertè, Carnosa, an musculosa sit? Ego enim *χρ. φυσιολ. cap. 115.* docui, Musculum esse, sed sui generis, in quo tunica interna seu neruosa sit tendinis loco: externa seu carnosa musculi. II. quod musculum, actionis (quæ deglutitio est) adiutorem, non nisi vnicum facit, illum, qui *Oesophagius* simpliciter dicitur Riolano, & est in ordine vltimus, præter quem tres alios inuenit ille. III. quod non satis explicat similitudinem, quæ est inter gulam & ventriculum. IV. quod inconsulto admittitur alimentum ventriculi spirituale, quod nullum est. V. quod nimis subtilis est in reddendâ causâ obliqui itineris.

183. Eodem modo in ore ventriculi aliquam-multa desideres. I. Cur os ventriculi dictum olim fuerit καρδία, hanc habet opinionem. Quemadmodum Cor calore suo fouet & regit totum animal: ita os ventriculi appetitum suggerit sicci & humidi, qui fames & sitis est, quibus deficientibus animal deficit.

184. Est longè petitum. II. Quo modo ventriculus, & pro se priuatim agere possit, & pro toto corpore publicè, valdè se torquet. Concludit autem, habere 4. facultates, quæ rursus duplices sint, priuatæ & publicæ, quarum hæ subsint illis. Hoc tenebricosum est: lucidum contrà quod suprà contra Parisan. attuli, *ex 15. part. 1. & 5. Aph. 39.* Ventriculus quidem non intelligit se laborare pro toto: intellexit autem Natura (ni malis Conditor Naturæ) quæ duplices has dedit ventriculo facultates, quibus & sibi consulit, & toti.

185. III. Tenebricosum & illud est, Quo modo fiat chylificatio? quo modo, inquam, tres quidem facc. Attractrix, retentrix, & alteratrix, solicitæ sint pro faciendo chylo: quarta, expultrix, pro exigendo? Reuerà, est inexplicabile, quomodo fibræ sibi inuicem succedant in opere, & iam quidem publico nomine, iam autem priuato! Huc peruenire possumus, *Publicum* quidem munus est ἀναστοιχείωσις, *reelementatio*, quam calor molitur in eum finem, vt cibus redigatur in minimissimas particulas, & hoc iterum fine, vt in intestina delatus chylus vasis Mesaraicis obiiciatur seorsim & per partes, vt, quod sanguini faciundo aptum est, accipiant, & in officinas sanguinarias deferant: quod ineptum, relinquant in intestinis, futurum materia excrementorum aluinorum. Hac de re prolixè agitur *vestibulo tract. de Hum. Priuatum* contrà est munus ἐξομοίωσις, *assimilatio*, quæ materiam habet, non chylum, non vllas chyli partes, sed sanguinem, per propria vasa attractum, vt in aliis partibus, in substantiam chyli conuersum. IV. Nisi fallor equidem, illud de albore chyli est πλασματῶδες. Sufficit enim ἡ ἀναστοιχείωσις, quæ non est intelligenda de verâ elementorum transmutatione, sed de partibus ad sensum minimis, quas trahere Mesaraica nata sunt. Si quid enim tam atrum, tam terreum sit, vt comminui debito modo non possit, id relinquitur. V. Quæ de loco *Gal. 3. Fac. nat. 7.* & de quadruplici calore tam prolixè narrantur, tantum non inania sunt. Consistunt enim in πολυλαλίᾳ quâdam Asiaticâ, cui qui semper deferre volet, multum temporis perdat necesse est.

186. VI. Quæ de nutritione multò prolixiora disputantur, reuerà inania sunt, & latè inutilia. Iam dedi definitiuam de solo sanguine, quam nec Hercules ipse extorserit mihi. Qua de re, iam hoc amplius dico, vasa hæc hunc solum habere vsum, non autem illum quoque, de quo sermocinatur Fabricius *f. 82.* VII. De cauitate Hippocr. *7. Aph. 50.* bis agit *f. 55. & 89.* sed nihil definit. Memini illum in Anatomiâ 1604. tribuere illi solidam horam. Cuius humeris subiisse Spigelium *8. Anat. 6.* cum crediderim hactenus, video iam me deceptum esse. Exponit *Aph. seq.* qui, Heurnij iudicio, etiam de hydrope est: Videant autem sagaciores, an operæpretium sit insudâsse amplius ea in re, vel propter Fabricium, tantum virum, cui (quod iam demum intelligo) res tanti momenti visa fuit, vt tertiùm repetierit, *f. vid. 101. & seq.* Ego parco labori exscribendi, quia dulcius ex ipso.

187. Boni etiam cogitent mecum, annon in omento quoque Natura cogitârit καπάχρησιν talem aliquam? Si enim in naturalibus abdominis excrementis, & in iis, qui secundum naturam viuunt, libenter fatemur, non prouidam tantùm, sed & penè superstitiosam fuisse: quid absurdi fuerit, in præternaturalibus etiam, iisque, qui secundum naturam viuere nolunt, tale quid meditatam fuisse? eo præcipuè loco, in quo intemperantia nostra? Quam enim alias causam dabimus conformationis in sacciperium? Et hæc de Ventriculo: In intestinis etiam deficit Fabricius in aliquibus.

188. I. In explicando verè mirabili illo artificio, quo ventriculum quidem fecit amplum & rotundum: intestina autem, licet eiusdem substantiæ, angusta & longa, ídque in eum finem, vt chylus copiosus, quasi in lebete conclusus, diuideretur in portiones minores, sed in longum tractas, & id iterum eo fine, vt multis & innumeris vasis sugentibus obuius esset. In hoc, inquam, artificio videtur mihi iusto breuior fuisse.

189. II. Ex hac breuitate manat obscuritas, quæ mihi publicè aliquando fraudi fuit, cum negarem dari arterias mesaraicas. Hac in re patrocinabantur mihi, qui nolunt agnôsse, quod obscurum sit, an chylum trahant? si trahant, quo deponant? Ego postea didici, & publicè professus sum, & trahere, & deponere ad lienem. III. Quod totum id, quod trahunt vasa dicta, superfluum volo. Quod profectò indignum est illo, qui publicum officium non denegat illis.

190. IV. Quod non disertè se explicat, quæ intestina sint superiora, quæ inferiora. Aliud est *Suprà & Infrà*, naturæ ordine: aliud situ? Quæ cum coincidant in canibus, causam dederunt, cur antiqui errarunt in dysenteriâ superiorum & inferiorum intestinorum, vt & in colicâ. At nos, qui scimus ductum coli à dextris sursum ad ventriculum vsque, cui & inequitat ventriculus, tuti sumus. Hic situs nuper in duabus colicis exemit mihi dubium, Colicæne an hystericæ essent? Hoc enim volebat arrogans pharmacopœus, illud ego. Me confirmabat Collega, qui nuper in venatore Colico viderat in illo suo situ Colum tumefactum adeo, quasi quis brachium transuersim imponat abdomini, quâ parte ventriculus est.

191. V. Quid est illud, *In quo frustrata est cœci intestini constructio?* an, quod alij dicunt, *In homine est notæ tantum?*

192. VI. Expositione opus habet & illud, *Actionem intestinorum esse eam,*

quæ & ventriculi. Imò, quòd in ventriculo primarium est, in intestinis non nisi secundarium est. Quod primarium est intestinis, in ventriculo ne quidem est.

193. VII. Ἀκυρολογία est, *Intestina oblectari fæcibus.* Pars hæc est publici officij, tamdiu tolerare illas, vsquedum tempus exeundi sit. In quibus enim præter naturam detinentur, iam hoc aliud est.

194. VIII. Nutritionis omnium intestinorum eadem est ratio, & quidem ea, quæ ventriculi. IX. Non est locus heic ἀκριβείας, *tenuia seruiunt chylo, crassa fæcibus.* In tenuibus vt aliquid fæcum est: ita in crassis superest aliquid boni. X. Inepta est quæstio, *Si ventriculus abesset, intestina adessent, quid fieret?* Hoc enim est constituere se magistrum Naturæ. XI. Non melior est illa, *Cur intestina sunt membranosa, non carnosa?* Apage mihi ista figmenta, quæ in infinitum abeunt! XII. Peior est illa, *Cur quædam gracilia sunt, quædam crassa?* Gracilibus sufficiebat hæc latitudo: crassis amplior erat necessaria, ob fæcum copiam.

DE FRANCISCO VALLESIO.

CAP. XI.

SVMMVS hic vir ætatis anno 28. scripsit libros *Controuersiarum*, in Hispaniâ primùm impressos, deinde Francofurti, 1582. & 90. quos ex parte leuiter excutere animus est, quod etiam in senilibus libris, non sine pudore suo, persistat in erroribus iuuenilibus.

EX LIB. I. CAP. I.

195. In vniuersum protestor, me nolle longius persequi, quæ purè Philosophica sunt, cum Medicis seruire primariò velle animus sit. Quod ad rem, quæ heic agitur, *quo modo Elementa sint in mistis?* significo primùm rationibus, apud Græcos Interpretes inscribi περὶ μίξεως, *de mistione*, de quâ inter Græcos accuratè scripsit Alexander Aphrod. Deinde, apud accuratè loquentes distingui μίξιν & κρᾶσιν, *mistionem & temperationem, seu temperamentum*, vt illa sit corporum elementarium, hæc qualitatum. Apud Medicos non distingui, sed esse libros Gal. de *Temperamentis*, eosdem cum Physicorũ de *Mistione*. Quartò, cum heic Hippocr. laudatur, sententiam, quæ ipsi tribuitur, esse totius scholæ Asclepiadeæ, quæ in Co, insulâ, florebat, eandémque Peripateticam posteà dictam, quia Arist. inuito Alexandro, libros eius scholæ vulgauit. Huius consectarium est, sententiam hanc non posse erui ex lib. περὶ φύσιος ἀνθρώπου, quæ sub Hippocr. nomine circumfertur, quia Hippocr. non est, vt probo frontispicio χῆνσπμ. φυσικοῦ. Vt breuiter me expediam, In hoc negotio non sum cum Vall. *hoc libro*, sed cum Pacio, *Com. in v. Meth. 2.* quà de Mistione, dicóque, *Elementa in misto partim esse, partim non esse.* In quam sententiam an non iuerit Vall. *infrà cap. 6.* considerandum propono.

CAP. II.

196. Reſpondeo, apud Medicos *Aër* eſt ἁπλῶς καὶ ἄκρως humidior. Pinguedines hæ perſuadeant, præcipuè medullæ, quæ ſunt penetrantiſſimæ in humectatione, qualitate aliàs ignauâ. Eædem in cibo omnes ſunt malæ: ſed piſcium peſſima. Fuit, qui poſt eſum cyprini (carpionis noſtri) ſemper laborabat podagrâ. Et biſtheron quid non facit in emolliendis coriis etiam ſicciſſ. Vide Syluium *de Elem. 1. Venet. 1553. f. 13.*

CAP. III.

197. Reſpondeo iterum Medicè, *Aër* eſt ſuâ naturâ calidus. Hoc docent corpora aërea, de quibus modò. Amplius, *ſemen maſculum*, eiúſque ſoboles, *Calidum natiuum*. Hoc oſtendo ad ſenſum. Calent actu. Hoc habent vel ab igne, vel ab aëre. Non ab igne: habet ſociam ſiccitatem, quæ diſperdit. Ideo ſenectus eſt ſicca. Ab hoc ergo: habet enim ſociam humiditatem, quæ ſeruat, quandiu per elementa contraria licet.

CAP. IV.

198. Non diſcedo à corporibus. Qui profitentur compoſitiones medicamentorum, nôrunt, quædam illorum eſſe ὁμοφυῆ, hoc eſt vnum facere tantum, calefacere, refrigerare: quædam eſſe ἑτεροφυῆ, hoc eſt à naturâ ipsâ habere compoſitionem, vt faciant contraria. *Abſinthium*, verbi gratiâ, *aloë*, *Rhabarbarum*, *roſa*, habent partes quaſdam calidas, quibus calefaciunt, attenuant, incîdunt: habent & frigidas, quibus adſtringunt, denſant, contrahunt. Vt amplius mireris, *Opium* tam apertè refrigerat & calefacit, vt frigidum quidem cenſeatur in 4. cal. autem in 3. Frigiditas quia ſuperat, eſt venenum frigidum.

CAP. V.

199. Agitur de *Reactione*, & quæ apud Latt. nondum inuenit nomen, ἀντιπερίστασις, ſeu ἀντιπερισώσις. De quarum vtrâque cum egerit *contra Valleſium* Chioccus, *2. Quæſt. 9.* non eſt, cur perſequar illum vlterius. Breuiter. In doctrinâ de compoſitione medicamentorum, quod calidum eſt vt quatuor, & aliud, quod calidum in tertio, non faciunt calidum vt ſeptem, ſed fortè vt quatuor. *Remiſſum enim reagit in intenſum.* Ita ventriculi hyeme ſunt calidiores, ob ἀντιπερίστασιν.

CAP. VI.

200. Poſſem defungi heic ridiculo Fernelij dogmate, *3. Phyſ. 1.* quod iam ab aliis refutatum eſt, vt oſtendo χρη. φυσιολ. 3. niſi liberet dicere pauca pro Auicenna, *Temperamentum non eſt qualitas aliqua quinta*, ſed illa, quæ dominatur in miſto, verbi gratiâ caliditas in pipere. Galenus quamuis diſertè nullibi dicat: tamen *principio libri de Temp.* ſatis indicat, cum corpora dicit

μικραίνη: deinde cum subdit, nomen habere ex τῆς πλεονεξίας, verbi gratiâ, piper dicitur calidum, quia calor in ipso superat. Cæterùm *l. c.* dixi, & denuò dico, duplex Valesij temperamentum esse nihil aliud quàm duo illa, κρᾶσις, & μίξις, cum distinguuntur secus quàm Galenus facit.

CAPVT VII.

201. Heic pelagus est difficultatum, in quo video iactari viros absque controuersiâ magnos, inprimis Galenum. Quàm certus est numerus temperamentorum octonarius, 4. simplicium, & 4. compositorum: tam incertum est, quod supra octonarium est, *Nonum* illud, quod *Æquale* seu *Temperatum* vocauit Galenus. Id ipsum cum sit duplex, *Ad pondus* seu *Arithmeticum*, & ad *Iustitiam*, seu *Geometricum*: quàm certum est dari hoc, tam incertum est dari illud. Fateor ego, non semel mutâsse me sententiam: sed tandem constituisse χειρ. φυσιολ. *cap. 4. Temperamentum ad pondus non dari quidem in Naturâ: introductum autem esse à docentibus, lucidioris doctrinæ causâ.* Quod quia negat Vallesius, video mihi pugnam paratam esse. Nec detrecto Dicit autem subitò mihi in os: Si non datur, oportet vt Galenus nugacissimus fuerit, qui *1. Temp.* tam multa de eo. Ego video mihi adstare vtrinque Auerroëm & Auicennam, qui affirmant, Galenum loqui, non de eo, de quo tu vis: sed de altero, quod ego. Hoc cum reuerà sit audaciss. factum, quod opus habeat audaciâ nouâ, correctione literæ, vt loquuntur quidam: fortasse præstat concedere, nugatum esse Galenum. Eius enim rei exempla multa produci possunt, nec Galenus, nec quisquam alius Adrasteas vim effugere potest, vt de Galeno fusè ostendi suprà. Quod ad rem nostram, priori membro seruiat, quod idem Gal. fatetur, *1. San. tu. 5.* ait, *Fictione opus esse*: post quod *ex 1. Temp. 6.* Accorambonus affert, ibi, *Est igitur temperaturæ æqualitas, &c.* Sed calcitrat Vallesius, & vult respondere argumentis contrariis. *Generatio*, inquit Auer. *non fit sine pugnâ, postquam victoria, constitutio scilicet temperamenti, Atqui inter æqualia non datur pugna.* Imò verò, datur, inquit, & quidem tam acerba, vt ignis absumat aquam, & aqua absorbeat ignem, adeo vt ne fiat quidem temperamentum. Addit, generatio illa est ex numero illarum, quas Philosophi vocant *per accidens*, vt cum concussu silicis & chalybis ita attenuatur aër, vt ignescat. Id fit propter symbolum, quod duo hæc elementa inter se habent. *Alterum* Auer. argumentum est, Si vllibi offendi potest hoc temperamentum, in homine offendi potest. Atqui ille semper est calidus & humidus. Dat instantiam Vallesius. Muscæ, & alia animalia sicca sunt, vt pisces quoque & plantæ. *Tertium* ab autoritate est *Gal. 2. Simpl. 3.* & Aristot. *4. Meteor. 4.* Sed explicationes sunt voluntariæ. Tanquam igitur re confectâ, concludit Vallesius. *Corporis vniuscuiusque temperamentum duplex est, &c.* In quibus quia est confusio μίξεως & κράσεως, iam scis, quid velim. Tanquam igitur re confectâ, concludam ego quoque, *Temperamentum ad pondus non datur.* Hâc in re tantò ero violentior, quò absurdior est Vallesius in conditionibus corporis ad pondus temperati.

202. Sedatis hoc modo turbis de *Temperamento ad pondus*, supersunt nonminus graues de *Temperamento ad iustitiam*, de nono scilicet illo Gal. quod sit

canon ille *Polycleti*, ad quem iudicentur reliqua octo, quod *Temperatum* & *æquale* dicitur. Dico primùm in vniuersum, Est in vnoquoque genere, quod præstantissimas edit actiones, verbi gratiâ in animalibus, Canis, qui optimè tuetur ingressum villæ suæ, herũ suum: equus, qui lenissimè & constantissimè portat herum: felis, qui diligentissimè legit mures. In plantis, vitis, quæ sapidissimas fert vuas: pyrus aut pomus, quæ optima fert pyra, aut poma. Deinde, in specie, seu genere humano, qui homo apud Gal. sit φρονιμώτατος ἢ σοφώτατος, is erit temperatus inter homines. Puto autem superlatiuum esse positiui loco, & esse accipiendum de sapientiâ vniuersali, in quâ sit optimus sartor, optimus sutor, optimus faber ferrarius, lignarius. Et hoc sufficit. Neque enim simul fortissimus esse debet, vt leo, validissimus, vt taurus, &c. Sed qualis hic est temperie? Nisi enim heic te expedieris, nihil docuisse diceris. *Calidus & humidus*. Sed quis ille? quæro iterum. Non quiuis sanguineus, vt vulgò loquimur: sed is, in quo *Calor cum Humore* suo certam habeat temperiem, vt neutra qualitas propendeat ad putredinem. Si enim id sit, iam est temperamentum vitiosum. His meliora non inueni: tu si inueneris,

Candidus imperti; si pote, gratus ero.

CAP. VIII.

203. Confusissima est doctrina de ætatum temperamentis! Nec speres tu, Vallesium te expediturum: quin auget confusiones. Verum est, quod Hipp. alicubi ait, *Infantem primo natiuitatis die calidissimum & humidissimum esse:* sed decrescere vtramque qualitatem magis, magísque, pro felici aut infelici vsu sex rerum non naturalium. Sed verum etiam hoc est, in primo illo natiuitatis die tantam esse latitudinem, quanta est inter iuuenem alacerrimum, intérque pecus aliquod Arcadicum, quod nec valet, nec sapit. Sed & inter illos, qui corpore & animo valent, tanta est latitudo, vt quidam citissimè decurrant quatuor ætates, quæ vulgaris est distinctio inter Medicos: quidã tardissimè, & octogenarij fiant. In priori ordine erat Erfordiæ in meâ adolescentiâ, σύγχρονος ille, qui anno 14. factus cum laude Iuris doctor, biennio pòst moriebatur. In posteriori auus cuiusdam è Collegis meis, qui mortuus est anno octogesimo, sine morbo euidenti. De duobus aliis senibus referunt duo alij, decumbere cœpisse, de rebus suis disposuisse, inter loquendum subitò expirâsse, sine mentione vllius doloris. In horum medio tam multi sunt, vt numerus deficiat. Quamobrem, in indicationibus vitalibus venandis, frustrà fuerit, qui solam ætatem spectarit. In his igitur concedo barbaris autoribus, vt Vallesius vocauit *Contr. sup.* vt ad humores potius respiciant quàm ad temperamenta, ad quæ Gal. solet, vt alibi ego quoque conquestus sum.

CAP. IX.

204. Controuersiâ hæc à multis agitata est: sed dubium non est, non in hominum tantùm genere, quod Vallesius vult, sed in sanguineis omnibus feminam esse mare frigidiorem. Causa enim vniuersalis est, debuit femina omnis tantum sanguinis gignere posse, quantum mas: sed non tantum discu-

tere, vt alere possit fœtum, tam extra, quàm intra vterum. Hinc (propter frigiditatem) cum feminam vocâsset Arist. πηρωμα, excitauit stultorum iurgia. Sed excusat autor maximus GALENVS, *14. Vs. par. 5.* In illâ imperfectione feminæ, est perfectio ipsius. Alij calorem feminæ colligunt ex iracundiâ: sed non est vna causa iræ. Heic morositas quædam est, & libido dominandi, quam Imp. Augustus *apud Suetonium ex Euripide*, obiecit Liuiæ suæ,

Nisi imperes, putas tibi fieri iniuriam.

Quod enim in mare est τὸ κῦρος ἢ τὸ κύελον, & non nisi serò perficitur: id in feminis est ἄκυρον, & nunquam perficitur, Mens, inquam seu Ratio. Hinc iura condonant illis vitia quædam, quæ sunt ab animi impotentiâ. Alias obiectiones dilui *lib. 1. de Gen. hom.* Tu scito, comparari heic virum calidissimum cum feminâ calidissima. Alioqui absurdum non est, feminam quandam esse calidiorem viro quodam.

CAP. X.

205. Farrago heic quædam incondita est. I. Falsum est, quod de temperie cutis ait, essentiâ enim suâ frigida & humida est. Interim, quatenus Medicus vtitur suâ in dignotione temperamenti, potest concedi aliquatenus illi. II. Falsum est, neruos propriè dictos diuidi posse in molles, qui sentiant: & duros, qui moueant. Vide χρησ. φυσιολ. III. Ineptum est, Cor habere inter partes siccas, nisi in macello consideres. IV. Ineptum non minus est, quod de pulmonis nutritione. Interim dici potest, ratione vasorum intertextorum, præbere alimentum siccum. V. Ineptius, quod de pinguedinis frigiditate. Tamen quatenus dici possit, distinxi *in tract. de Hum.* De affectibus frigidis legatur *Gal. 4. Vs. par. 9.*

CAP. XI.

206. Quæ fingit heic Vallesius de corpore suo temperatissimo, confici possunt vnâ liturâ. Refero me ad *cap. 8.* & conuersus alio vultu ad Vallesium.

CAP. XII.

Heus, dico, iam vir es, Vallesi, & diligentiâ Galenum superas, adeóque lubens te sequor. Vicissim

CAP. XIII.

207. Abstineo manum ab vlcere antiquo & sordido, quod diligenter tractaui *principio libri de Hum.* ex quo cupio agnôsse tuos homines, quàm miserè hactenus errârint! Vellem autem reduci tibi persuadere ex

CAP. XIV.

208. Quo modo sanguis vnus sufficiat tot partibus? Est vnus & non vnus, quatenus (vt me explico) per mutuas συναναστομώσεις vasorum inuicem transfusus,

modò crassior est, modò tenuior, modò calidior, modò frigidior, &c. Quâ συμφωνίᾳ permotus, spero, fateberis in posterum *sententiam non improbabilem, & ab optimo autore profectam*, iam & *probam* esse, & *veram*. Nimirum, quò inclinat ὁ ἔσω λόγος, ab eo non potest abesse, ὁ ἔξω, nunquam & nuspiam cessante diuâ ADRASTEA. Vide χρη. φυσιολ. *cap.* 94.

CAP. XV.

209. Post longas meditationes, in controuersiâ de temperamento sanguinis, firmo me in τρόπῳ ἐπιστήμης. Galenus, quia confert cum excrementis sanguinis, ad calorem ferè inclinat, quamuis alicubi temperatum vocat, quo valdè etiam inclino, propter hominem temperatum, de quo dixi. Aristot. respiciens totam naturam, calidum quidem ait esse κατὰ πάθος ἢ συνδυασμόν, propter calorem, à Corde communicatum: frigidum autem ὑποκειμένῳ. Exspirante enim calore alieno, subiectum terreum manet. His verius quid qui attulerit, illi triumphus decernatur.

CAP. XVI.

210. Vallesium bene sentire aio, cum bilem sanguine calidiorem esse pronunciat. Fit enim ex tenuiori parte sanguinis, quæ flori vini respondet proportione. De conciliatione locorum pugnantium non laboro. Non enim omnia conciliari possunt.

CAP. XVII.

211. Quæ dicta iam est bilis, *naturalis* dicitur, & est colore quidem ὠχρά, *pallida*: substantiâ autem tam tenui, vt pictores eâ diluant pigmenta sua. Hanc tenuitatem conciliat illi permistum serum, quo sensim à calore discusso, fit species quædam præternaturalis, quæ tam crassa est, vt crudis ouorum vitellis sit similis, vnde λεκιθώδης, *Vitellina* dicitur. Et hæc doctrina est Gal. *lib. de Atrâ bile, cap.* 2. *& alibi.* Ab hac alienus est Auic. qui bilem facit duplicem, *Teruem* illam, quæ Naturalis est: & *Crassam*, verùm non ab assumptione fieri, sed permistione pituitæ crassæ. Hoc cum nullo librorum vitio excusari possit, autor fui Practicis *lib. de Hum.* distinguant *bilem vitellinam Galeni* à *bile vitellina Auicennæ.* Et hoc esto satis.

CAP. XVIII.

212. Præter vitellinam duæ aliæ sunt bilis præternaturalis species, πρασινή, *porracea*, & ἰώδης, *æruginosa*, de quarum loco natali ambigitur. Mihi videtur, illam quidem frequentius fieri in ventriculis calidioribus, cum cœpas, porrum, allium, nasturtium, aliasque herbas ingesserunt, & est ab *errore* potius *externo* Italis dicto, adeóque, si propriè loqui velimus, est chylus potius herbaceus quàm vlla bilis: hanc autem frequentius in vasis. Tu verò distingue inter herbas. Si enim sint calidiores, potest chylus ille grauia sympto-

mata excitare, vomitus, diarrhœas, &c. si frigidæ, aut etiam temperatæ, eosdem effectus, verùm cum leuioribus accidentibus. Vide *librum nostrum de Humoribus.*

CAP. XIX.

213. *Zinariam* seu Zanariam Auicennæ esse figmentum, facilè do Vallesio. Nulla enim proportio est inter humorem vstum, & ligni cinerem. Interim æruginosam quandam non longè abesse à veneno, sat scio.

CAP. XX.

214. De vsu seu potius *abusu melancholiæ naturalis* in ciendo appetitu, latè disputaui contra Vallesium, eiusque sequaculos, *lib. de Vsu Lienis, cap. 20.* quò me refero χρη. φυσιολ. *cap. 322.*

CAP. XXI.

215. De *atra bilis* tribus *speciebus*, ex sanguine, ex bile, ex melancholiâ, rectè Vallesius. Minus rectè, cum excludit quartam, quæ ex pituitâ. Neque enim heic sufficiunt rationes: sed cum in habitu pituitoso, post morbos pituitosos, ostendunt se symptomata melancholica, credere oportet. Huc trahit me auctoritas viri maximi, IOAN. CRATONIS, qui, referente SCHERBIO, domestico eius quondam, vtebatur in talibus decocto raporum exsiccatorum, quæ leuiter quidem calefaciunt: satis autem multum humectant.

CAP. XXII.

216. *Secundæ humiditates* Auicennæ sunt ex numero quæstionum curiosarum potius quàm vtilium. Vt enim, qui apes mellificantes videre volunt (vidi ego quoque in arce vicinâ Heimburgensi) nihil vident, præter apes ipsas, agminatim discurrentes: ita qui hæc scribunt, imaginationes proprias pingunt. Præstat quædam æquo animo nescire velle, quò scilicet sensus se non penetrant.

LIBRI SECVNDI

CAP. I.

217. Vallesius heic paulò altius ordiri debebat. Apud Arist. *1. Hist. 1.* Partium aliæ simplices sunt, aliæ compositæ, quarum illæ ὁμοιομερῆ potius dicuntur quàm ὁμογενῆ: hæ ἀνομοιομερῆ, sub. vtrinque, μόρια. Rursus, *2. part. 2.* τῶν ὁμοιομερῶν, *similarium*, alia sunt μαλακὰ ἢ ὑγρὰ: alia σκληρὰ ἢ στερεά. Apud Hippocr. & Gal. hæc post. retinent nomen *Partis*: illa vocantur *Humores*. De illis, non de his (quæ & προσεχῆ & συμπεφυκότα non πεφυκότα, appellantur) agere vult Vallesius. De his etiam solis instituitur quæstio, *Quo modo sibi constet Galenus in numero illarum, cum quasdam illarum collocet inter* ἀνομοιομερεῖς? Quidam distinguunt inter *Partes* & *Instrumenta*. Sed reuerà πρόληψις est hæc

προ-

[illegible]. Vera & ex rei naturâ conciliatio est, quam Vallesius heic innuit, *Similares aut reuerà sunt, aut sensu tantùm.* Vide vel *tract. ipsum de Simil.* vel *χν. φυσιολ. cap. 5.*

CAP. II.

218. Notum est, Medicos habere suam quandam libertatem, nec ex æquo colere Veritatem, quin quæstiones Logicas seu inutiles vocare, quæ nihil mutant in arte. Quamobrem meritò ridendus erat Medicus, qui cum ægro, petente sibi restitui actionem, disputare vellet, *Non est actio, sed passio, quia receptio.* Aut, *fiine visio emissione, an immissione?* Cura me, dicet, de illis litiga cum Philosophis. Talis est quæstio proposita, Procedátne actio à parte aliquâ similari, an à toto?

CAP. III.

219. Si vspiam alibi, certè heic Vallesius ostendit juuenilitatem suam. De alimento enim acturus in genere, affert ex Gal. *3. Fac. nat. 6.* nescio ex quo ἀρχαΐζοντα (habeo enim pro sententiâ communi.) *Omnes partes trahere alimentum sui ipsius gratiá,* adeóque (quod inde colligo) in gubernatione animalis esse ἀναρχίαν quandam. Quantò sapientius Aristot. qui gubernationem hanc Monarchiæ cōparat, in quâ sunt onera & honores publici. Hinc nata est Interpr. distinctio actionum in publicas & priuatas. Hæc olim tam nota erat rusticis, vt Menenius Agrippa hinc sumserit occasionem fabulæ, quâ tumultuantem populum Rom. senatui restituit. *Ergóne,* inquis, *partes vtuntur intellectu?* Iam suprà Parisano ostendi ex *5. Aph. 39.* aliisque duobus Gal. locis, *Non vtuntur, sed vsus est dudum Conditor nostri, à quo sunt facultates partibus insitæ, quibus reguntur.* Huc cum nondum peruenisset per ætatem Vallesius, quid facit? Ringitur immensum, commentus multa de ventriculi nutritione, de aliis quæ attulisse magni sit laboris. Tandem, vt cum Horatio loquar,

Humano capiti ceruicem imponit equinam.

Naturæ particulari (hoc permittit fluxus orationis) *surrogat vniuersalem, cuius officium sit, gratiâ aliorum operari, non sui tantùm. Spectatum admissi!* Quæ enim est *Natura* illa *vniuersalis?* Quis Philosophorum somniauit vnquam? An est *anima mundi Platonica?* aut potiùs ὁ δημιουργὸς *Gal.* Sic rear: quia ait ipsus, *Non quod partes aliorum preuideant mala: sed quoniam Natura artificiosa præuidit.*

CAP. IV.

220. Turbauit Vallesius hactenus: iam multò magis. Ego verò conabor κατὰ δύναμιν,

——— motos componere fluctus.

Consideratio hominis vel Physica est, vel Medica. Physica, diligenter separat animam à corpore. Medica, quia anima est forma ἔνυλος, quidquid quouis modo corporeum est, sibi transcribit, quia omnia talia alterationibus Physicis subjacent, sola anima non subiacet. Sanguis & spiritus, de quibus agit Hispanus noster, reuerà sunt medium quid inter materiam & formam: quare ad

Medicum ſpectant ratione materiæ ſolius, quæ alterabiles facit. Huius reſpectu ſunt partes corporeæ. Nec refert, ſi ſanguis eſt alimentum cæterarum, humida pars ſolidarum. Viuunt, non ſimpliciter tantùm, ſed excellenter, quia tam vicina ſunt animæ, imò, ſunt copula animæ & corporis, quibus conſumptis conſumpta eſt anima. Quapropter meritò dubitant quidam, an numerus ternarius Hippocratis bene ſe habeat, cum ſpiritus habeant ſe formaliter? Bene habet, & Medica eſt conſideratio, eáque craſſiuſcula, propter vſum tamen admittenda. Auferat igitur Valleſius in deciſione *mirabilem ſanguinis naturam*, auferat *animæ inſtrumentum*, & ſi quæ alia ſunt. Omnia ſunt mirabilia, & ſuperant captum noſtrum. Ideo hymnis opus eſſe etiam Gal. cenſebat.

CAP. V.

221. Et vngues & pili creſcunt eo modo, quo plantæ, vt Galenus definit. Hoc ſatis eſt huic loco.

CAP. VI.

222. Fruſtrà rationibus tendimus, vbi ſenſus ſatisfaciunt. Hunc quia habemus ex ouis incubatis, acquieſco. Vide *lib. 3. de Gen. hominis.*

CAP. VII.

223. Cur heic de vtroque ſemine agit, cum ſermonem inſtituerit de partibus ſolidis? Neſcio ſanè, niſi quia ita libuit. τὸ ἐπιθυμητικὸν ſæpe præponderat. Res ipſa fusè demonſtrata eſt *d. libris de Gen.* qui hactenus etiam intacti manſerunt à Mundino, eiúſque aſſeclis, ὡς ἐγὼ οἶδα. Mihi hoc libet notare, Valleſium non feciſſe officium viri induſtrij, cum cæcì modo iudicat, Ariſtot. apertè docere, ſemen in flatus abire! Apertè verò, cum contrarium ſit verum apud mediocriter intentum!

CAP. VIII.

224. Et falſum non abſque his, *Semen ex toto decidi:* & verum eſt abſque his, *In vaſis ſpermaticis, non ſine tamen teſtibus, elaborari.* Hoc miror, Valleſium tam copioſum eſſe in regeneratione partium ſolidarum, cum non auſit ab initio deducere ex ſemine! Inter rationes, quæ negant regenerationem, potiſſima eſt ſiccitas ſeu durities. Italorum prouerbium eſt, *Duro col duro non fà muro.* Vt igitur murus fit addito cæmento, abſque quo lapides non cohærent: ita oſſa non continuantur niſi intermedio callo, quod vocant, ſolidari κατὰ δεύτερον σκοπόν. Quod autem venæ ex toto deperditæ regenerari poſſint, apud me inter ἀδύνατα eſt. Opus eſt aliâ fornace, vtero, & alio calore efficiente, ſeminis.

CAP. IX.

225. Apud Galenum res eſt tam certa ſemen eſſe animatum, vt, non minus quàm ouum fœcundum, conſtituat tertium viuentium genus, Ariſtoteles

etiam accuratè explicat, quâ potentiâ viuat. Ab hoc Scaliger habuit *contra Cardanum*, à quo ego *lib. de Generatione.*

CAP. X. & XI.

226. De partu octimeſtri grande volumen ſcripſit Italus quidam, cuius nomen iam non occurrit mihi. Etiam parum curæ eſſe mihi ſcias, quod homo, præ cæteris animalibus, habeat heic prærogatiuam quandam. Iuriſconſulti certè conſentiunt Hippocr. qui ſeptimeſtrem pro legitimo agnoſcit.

CAP. XII.

227. Neſcio quomodo ſit odioſa mihi hæc quæſtio, *Sitne caput factum propter oculos?* Videtur enim inquirere velle in rationes Naturæ. Omnia, quæ facta ſunt, ſapienter facta ſunt.

CAP. XIII.

228. In hunc ſcopulum impingit Valleſius etiam heic, quod ait, *Decentius eſſe plures eſſe virtutes, &c.* Imò Naturæ ſecus eſt viſum. Id ipſum & κατασκευαστικῶς & ἀνασκευαστικῶς tam clarè oſtendi iam olim, vt nemo hactenus ſe mouerit. Quod de Cerebro ait, Galenum expugnâſſe Ariſtotelis ſententiam, cachinno dignum eſt. Rurſus, laudanda eſt modeſtia Valleſij, cum litem de teſtibus tam facilè dimittit, cum verbo, *De nomine eſſe, & Galenum ambidextrum eſſe.* Quo loco animaduertenda eſt Valleriolæ audacia, qui illa *6. Vſ. par. 7.* ἢ εἰς πάντων φυλακήν, vertit, *Aut ad generis conſeruationem.* Ne vmbram quidem rei præ ſe ferunt. Interim locum eſſe in vitio quiuis videt.

CAP. XIV.

229. Dogma propoſitum de Cerebri membranis eſt inter ſputa Fernelij. Cæterùm, illud non prætereundum eſt, Valleſium eſſe inter illos, qui vaſa in neruis agnoſcunt.

CAP. XV.

230. Venuſtum eſt, quod heic ab initio diſſerit de affinitate ſenſus & motus: inuenuſtum contrà, quod in ſeq. vult debilitare modum, qui apud pleroſque omnes in confeſſo eſt, *Actiones omnes fieri mediantibus ſpiritibus, qui è partibus principibus emittantur.* De *animalibus* certa res eſt apud me, fieri hoc modo, quia agendo defatigamur. Vide Coſtæum, *Diſquiſit. Phyſ. f. 554.*

CAP. XVI.

231. De *naturalibus* facultatibus & actionibus peculiare eſt dubium apud Gal. *1. Loc. aff. vlt.* vbi negat fieri ab vllo corpore, ſed ſolâ illuſtratione, quo modo Sol agit. Ego verò alibi oſtendi, ſi Hepar habet vllum in conficiendo

ſanguine principatum, neceſſariò etiam habet *ſpiritum* accenſum, vt Scaliger ſolet appellare. Influit ille à Corde, non tam per truncum venæ cauæ deſcendentem, quàm per ἀναστομώσεις venæ d. cum arteriis, per totum corpus diſcurrentibus.

CAP. XVII.

232. Hoc ſi acceptetur, non poteſt non aſſumi *ſpiritus naturalis*. Hunc validè adſtruit Valleſius ex ſpiritu gignitiuo ſeminis maſculi, quem ego dixi non ſolùm à teſtibus eſſe, ſed & à Corde (& quidem præcipuè) vt & à Cerebro.

CAP. XVIII.

233. Videtur Valleſius ſtudioſè conquirere ſibi controuerſias, & fingere aliquando hoſtes. Res eſt, quam ſuprà dixi, *Vnus* naturâ eſt ſpiritus, factus in Corde ex ſolâ ſanguinis ebullitione ſine aëris externi acceſſu, Galeno *Vitalis* appellatus: ex quo in Cerebri corpore, non autem ventriculis, fit *Animalis*: in Hepate, *Naturalis*. Et hæc ex hypotheſi.

CAP. XIX.

234. De facultate *generatrice* cupio repetita illa, quæ ex Gal. dixi, Mirifica illa eſt, inſtituta quippe à Conditore noſtro, vt hoc, non alio modo, ſpecies fiant perpetuæ. Si plura vis adde Th. à Veiga, *Com. in 6. Loc. aff. vlt.* Fabium Pacium, *in 3. Meth. f. 559.* De Valleſio, hoc miror, quâ fronte heic auſit dicere, *Generationem fieri ſemine in generatum abſumpto*, cùm ſuprà dixerit, *ſemen in flatus abire?*

CAP. XX.

235. *Auctricem* cum *Nutrice* eſſe eandem concederem Valleſio, ſi cauſam mihi daret diuerſæ animalium magnitudinis. An eſt proportio illa, quæ in genitis?

CAP. XXI.

236. Tribus facultatibus Principibus, *Generatrici, Nutrici & Auctrici*, ex æquo famulantur quatuor *Miniſtræ*, vulgò dictæ. Hunc numerum rectè initum defendit Valleſius contra aduerſarios. Nec pluribus eſt opus. Iiſdem armis Coſtæus vtitur. *6. Diſquiſit. Phyſ. f. 495.*

CAP. XXII.

237. Τὸ ἡγεμονικὸν dictum habet ſub ſe tres alio ſenſu dictas principes, λόγον, νοῦν, διάνοιαν: φαντασίαν: μνήμην. Habet & Miniſtros quinque ὅρασιν: ἀκοὴν: γεῦσιν: ὄσφρησιν: ἁφήν. Vide περὶ φυσ. *cap. 346.*

CAP. XXIII.

238. Εὐηθέστατον est vel quærere tantum, *An tres illæ τοῦ ἡγεμονικοῦ facc. in Cerebro sint distincta locis?* Quis enim sanus dixerit? Qui ergo fit, vt vnâ læsâ integra sit altera? NESCIO. Sequor autem in medendo Galenum, qui topica semper imponit syncipiti, quod os ibi sit tenuius.

CAP. XXIV.

239. Vetus heic quoque error est, distinctos esse *neruos sensiles à mobilibus.* Tactus enim nos destituit. Hoc autem miror tacuisse Vallesium. Cur vnus neruus heic quidem sentiat tantum: heic autem moueat etiam? Sentit, vbi caro simplex tantum est: mouet etiam, vbi musculum inuenit. Fortassis etiam hoc addi debet, Spiritus etiam paucus sentit: at mouet non nisi multus.

CAP. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII.

240. *Tactus an vno plures sint,* indaginis nostræ non est, vt & qui sensus quibus elementis respondeant. A quâ determinatione quia pendent instrumenta, ne illa quidem morari nos debent. De visu & auditu dixi suprà, non esse nos in curatione feliciores, quod interiora magis nobis pateant, cum nesciamus modum tam audiendi quàm videndi. Cui iam addo, de excrementorum vacuatione tam solicitam fuisse naturam, vt pro vtroque organo peculiarem fecerit machinam, de quâ alibi. De odoratu non est cur Vallesius vllam spem sibi figat *in lib. Gal. proprio.* Est enim mancus, vt alibi deduxi. Est etiam anteriorum ventriculorum tam nulla communio cum naribus, quàm nulla est cum neruis opticis. Deficit Vallesius in probando, *Odoratum fieri naribus.* Nerui enim odoratorij dicti aliud persuadent.

CAP. XXIX. XXX. XXXI. XXXII.

Omnia hæc sunt subtiliora, quam vt Medicus in illis occupari debeat. Nec indecorum est Medico quædam nescire.

LIBRI TERTII.

CAP. I.

241. Ad quæstionem, *vtrum signum pulsus an vrina* sit certius? dico paucis, Vtrumque æquè fallax est, adeo vt inde natum sit prouerbium, *Pulsus bonus, vrina bona, æger moritur.* Contigit mihi, cum in peste Noricâ anni 32. tractarem egregium quendam Medicinæ studiosum, & ad fenestram inspiciens vrinam admurmurarem, *Est melior hesternâ!* Hò, inquit ille, vrina bona, pulsus, &c. Cum quærerem, Vnde hoc habes? A te, infit. Atqui ita euenit. Mortuus est enim altero die. Erant in illâ lue omnia infida, tam bona, quàm mala.

CAP. II.

242. Si vllibi infelix fuit Vallesius in demonstrando, certè fuit in respiratione! Dixi suprà causam, cum aduersus D. ab Aquapendente agerem, iam hoc addo ludicrum. Quærebam de Candidato, adhærente id, quod Vallesius. Dic ergo mihi, potésne tamdiu respirationem cohibere, quàm diu ego manum surrectam tenere? Possum, inquit cum ingenti cachinno. Cui ego, Scísne, quem derideas? Tuam infamem stultitiam! quæ cum tibi communis sit cum magnis quibusdam nominibus, hoc te rogo, significes illis meum factum, discasque in posterum non temnere diuam ADRASTEAN.

Ab hoc ego impulsus, non possum non tangere confidentiam quasi similem Plempij nostri. Nam *2. Fund. Med. 3.* paria facit cum Vallesio aliisque, adeóque ridiculus fit cum ipsis. Quid enim? Ita docuit *Gal. 2. Mot. musc. 5.* Ita est? Adducamus hominem aliquem Ramisticum, & formemus tale argumentum.

Quemcunque motum sistere aut ciere possumus, quando volumus, is est animalis.
Huic maiori quid deest? Nihil, inquiet, & rectè.

Talis est Respiratio. Huic Minori quid deest? Nihil omnino, nisi quod tota perspicuè falsa est. Probo, Manum meam tollere possum, & seruare sublimem, quamdiu volo: potésne tu eodem modo cohibere respirationem? Age, faciamus periculum, Hem tibi, tollo manum, tu, noli intereà respirare!

Mi Plempi, potésne tibi temperare hic à risu? Non puto, nisi è saxo factus, aut è quercu dolatus es. Interim seruus barbarus apud Gal. *lib. 1.* respiratione cohibitâ mortuus est. O sanctam simplicitatem! Faciamus aliud experimentum, quod factu perquamfacile est. Cohibe spiritum, quamdiu potes. Vbi non ampliùs poteris, & natura habuerit, quod voluerit: iam redibis ad te, non morieris. Nisi igitur aliquid aliud accessit, mors consequi non potuit, verbi gratiâ nisi linteum, pomum, aut tale aliquid intruserit, quod reuocare non potuit, mortuus non est. Audi verò hoc amplius, Tu ipse mox affers duo Gal. loca, *ex 3. Aph. 23. 3. Off. Med. 36.* quibus disertè negat Galenus, posse nos cohibere respirationem, quamdiu volumus. Hoc ab Adrastea esse si dixero, vt etiam alibi dixi: videorne tibi φορτικὸς? Tu verò si persuades tibi, me credere gerris tuis: imò si cogere vis, vt credam, verè φορτικὸς es. Atqui, inquis, quid respondes ad stertorem quorundam Apoplecticorum? Non potes enim aliò referre, quàm ad impeditam facultatem naturalem, aut, si ita vis, vitalem. Cùm enim ebullitio, ζέσις Aristotelica, non inuenit opitulatricem facultatem animalem, patitur, vsque dum succumbat. Hinc est illa facultatum mistio. In hanc an consentiat Spigelius noster, nescio. Nam Bucret. *4. Anat. 8.* ita se inuoluit, vt expedire me non possim. In eo certè illi consentire non possum, quod quandam respirationem fieri vult à solo diaphragmate: Imò, in liberrimâ etiam concurrunt inferiores intercostales: in coactâ omni, etiam superiores, cum externis.

DISC. Ignosce, mi Domine! Quid aut quis facit illos tam feroces?

243. PRÆC. Μεγιστᾶνες ipsorum, iidemque μαψυλάκται GAL. magnifici, cum aliter vindicare se non possunt. Sed DEVS videt! Interim, in sinu gau-

deo, me ſcutum ipſorum, *Vitalem facultatem*; ita perforâſſe, *Com. 2. de Thorace*, vt amplius ſcutum non ſit. Cur? Quia, diffiſi rebus ſuis, hactenus in publicum non prodierunt, quod ſciam. Quò minus ſpero fore tale quid poſt mortem meam. Si tamen, NOLO QVISQVAM ſe moueat.

CAP. III.

244. Heic ego miror, Valleſium tam præfidentem eſſe, vt tantum non inuectiuam ſcribat in eos, qui Gal. deſerunt in quæſtione manifeſtè falsâ, *Cordis & arteriarum eundem motum eſſe.* Contrarium eſſe verius, adeóque Eraſiſtrati ſententiam eſſe Naturæ rerum conſentaneam, vide vt probem. Galenus vult eſſe à facultate peculiari, ſed cui omnia ſunt contraria. Ariſtoteles vult eſſe ab ebulliente ſanguine, cui omnis ſenſus adſtipulatur. Quo admiſſo, neceſſariò ſequitur, *Cor moueri, dum ſanguinem expellit, quo tempore arteriæ quieſcunt.* Vide *χεν. φυσιολ. cap. 47.*

CAP. IV. vſque ad XVII. incluſiuè.

245. Saltum ſupero. Neque enim dubito fateri ignorantiam meam, in re non fallaci tantùm, ſed & dubiâ, tenebricoſáque. *Dubiâ*, dico; Quis illorum non eſt ebuccinator pulsûs ſerrati in pleuritide, quem tamen exercitatiſſimi quique, longâ annorum ſerie, non obſeruârunt? Teſtis mihi ſit vnus, *πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων*, HERCVLES SAXONIA, *in Opere de pulſibus.* Contrà, quis non expaueſcit ad intermittentis mentionem? ARGENTERIVS tamen in propriâ ægritudine ſine periculo expertus eſt. Eius rei experientiam tam certam habebam, vt ex Italiâ redux 1605. publicè defenderem Baſileæ, *Tenebricoſâ*, Vt ne de affectibus animi, præſertim metu, quidquam dicam, quid non turbant flatus?

CAP. XVIII.

246. Neſcio, an quiſquam alius, ante Valleſium, duplicem ſtatuerit vrinæ materiam. In confeſſo eſt illa, quam potus, quà potus, præbet: dubia illa, quam quatuor humorum, in Hepate genitorum, ſera, vt ſic loquar. Vt enim humores ipſi procul omni dubio ſunt commentitij; ita hi ichores, Nullum eſt dubium, Laur. *1. Anat. quæſt. 39.* ex hoc fonte habere ſerum quatuor humorum, quod ego eodem iure repudio. Eundem ibidem *ex Epid.* confundere ſtatum ſecundum naturam, cum ſtatu præter naturam, & miror, & doleo. Quaſi non ſatis turbarum eſſet!

CAP. XIX.

247. Rem difficilem facit heic, quod nondum ſatis clarum ſit in arte, *Vnde ſit ſubſtantia & color vrinæ? & à quo viſcere?* Ab Hepate petit vulgus. Ego alibi conſiderandum propoſui, annon à Corde ſit? & quidem à permiſtione? Quemadmodum iuſcula in culinâ non aliunde habent ſubſtantiam ab aquâ

diuersam, quàm ab absolutâ coctione, à quâ etiam saporem habent, depositâ aliquâ carnium parte, quæ nondum solidè agglutinata fuerat: ita heic. Quemadmodum color à bile est citra controuersiam: ita apud me bilis illa non est ab Hepate, sed à Corde, vstâ ibi parte sanguinis tenuiori in bilem. Hinc tu pete decisionem, Neutrum fit in febribus, antequam coctio, quæ fieri assolet, fiat antequam Cor sit in officio. Ergo substantia verisimiliter præcedit colorem. Hinc patet, quid sit dicendum ad quæstionem

CAP. XX.

Non potest. Eandem resolutionem postulat

CAP. XXI.

Non. Res declarata fuit *cap. 18. lib. 1.*

CAP. XXII.

248. Siue liuida sit vrina, siue nigra, res est solliciti plena timoris.

CAP. XXIII.

249. Videtur esse institutum eo fine, vt bene distinguamus vrinas crassas, quæ à perfectâ coctione factæ sunt, ab iis, quæ iam fiunt, & sunt in feruore.

CAP. XXIV.

250. Apud me dubium nullum est, vrinas tenues non esse à sola cruditate, sed & ab obstructione. Videmus enim in calculosis

CAP. XXV.

251. Vrinam nigram, & tamen tenuem, iam diu est cum obseruaui *in historiis Epid.* crassam, & tamen pallidam, subruffamque non item. Quo loco discere velim à Vallesio, quei fiat, si sanguinis serum quoddam, seorsim à sero totius massæ sanguineæ, adsit, vt non ostendat colorem rubeum? Addo historiam commissæ fraudis in vrinâ nigrâ insignem. Vxor mariti Medici oderat illum, & quærebat modum expellendi domo. Simulabat igitur morbum, & atramento inficiebat vrinam. Maritus cum non expediret se, communicat rem cum Collegis. Quos cum videret hæsitabundos illa, *O ich narm alle mutteinan*, inquit, *soltet ihc nicht sehan dinten vvere?* Quo verbo exacerbatus ille, non domo tantùm cessit, sed & vrbe, Dantiscum vsque. Intereà quod factum sit, me latet.

CAP. XXVI.

252. *Ambages longa, longa heic iniuria!* dicat quis ex Marone. Multi sunt anni

anni cùm condidi *tract. de Humoribus*, & ſub incudem vocaui cogitationes aliorum de *Contentis vrinarum*: ecce tibi, viſum fuit tandem, nihil eſſe eorum quæ alij tradidiſſent. Quid autem? *Tenue* excrementum Cordis, coctionis, inquam, illius, quæ in Corde celebratur. Tum verò quod alterum erit, *Craſſum?* Fuligo, quæ ſurſum abit, per os naréſque. Hinc enim reſponſiones ſuppetebant ad omnia problemata hinc orientia, quæ *d. tract.* diligenter excuſſi. Neque hactenus quidquam ſub oculos venit, quod me moraretur. Quò magis confirmor in concepta opinione, & volo, iubeóque bonos omnes, examinent rem abſque animi perturbatione. Conuictus, mora nulla, quin cedam è veſtigio.

CAP. XXVII.

De *Contentis præternaturalibus* actum mihi quoque dicto tractatu.

CAP. XXVIII.

253. Claudit cum Auicennæ pipulo, reumque agit introductæ conſuetudinis nefariæ, quæ iubet Medicos vaticinari de adfuturis propediem partheniis, *Von don iungfraè hinderlein.* Cum cælebs eſſem in conuictu D. SONERI, Collegæ poſteà mei, & diceret ille, ſe conſultum ſuper tali negotio, reſpondiſſe, *Ita, eſt grauida iſta, cuius eſt vrina iſta!* Et factum eſſe. Eia, inquam ego cum modeſto riſu, audeſne tu Iuriſconſultum agere? Horum enim officiũ eſt ventrem inſpicere. *Non*, inquit, *ego ex vrina cognoui.* Amabò te, referebam ego, quo ſigno? Oportet enim aliquid ſit in hâc vrinâ, quod in illa non ſit! *Eſt aliquid*, inquit, *quod dicere non poſſum.* Ergo nihil eſt & diuinaculus es, ignoſce! Audi (pergebam) quid D. PLATERVS, communis noſter Præceptor, interroganti reſponſi dederit, *Si vrina eſt ſana, & nulla adſunt ſymptomata ex iis, quæ prægnantes comitari ſolent, abſoluo me ridiculo aliquo. Sin, audacter dico, Sin dregt nin hinet.*

LIBRI QVARTI

CAP. I.

254. De morbi definitione acturus Valleſ. bene quidem orditur, ſed non rectè decurrit tramam. *Bene* ſe habet, quod ex Gal. ait, ſumendam eſſe definitionem (eſſentialem innuit ille) ex communi hominum opinione, ſed *malè* colligit, Galenum velle, *Vt ſanitas eſt ſymmetria: ita morbus eſt ametria.* Imò verò hoc vult, *Omnes homines vocare ſanitatem διάθεσιν ſecundum naturam, ex quâ obire poſſint actiones ſecundum naturam: morbum pariter eſſe διάθεσιν præter naturam, ex qua non poſſint, adeóque agant præter naturam.* Si vlterius quæras, Quæ ſit vtrinque διάθεσις illa? in ſanitate quidem eſſe συμμετρίαν ait: in morbo autem ἀμετρίαν. At verò ſecus ſe res habet, tam apud Gal. quàm in rei veritate. Quod vt intelligatur, altius ordiendum eſt. Notum eſt ex Dialecticis ſcholarũ etiam triuialium, duplicem eſſe definitionem, ὀνοματώδη & οὐσιώδη. Ex poſteriori ordine eſſe vulgarem Gal. *Morbus eſt diſpoſitio præter naturam, &c.* cenſuerunt

L

hactenus omnes. Quæ cauſa eſt, cur in χρ. παθολογικῆς ſequutus ſim filum hoc Ariadneum. Nec muto nunc quidquam, ne ſapere ſolus videar. Atenim cum ex ſeriâ inſpectione duorum Gal. locorum, *Diff. morb. 2. 1. Meth. 2.* didiciſſem, nec Gal. id velle, nec Veritatem admittere, *principio Obſ. Mont.* accommodaui me, & docui. *Definitionem d. eſſentialem minimè eſſe; eſſe autem merè nominalem.* Hoc habito, corruunt ædificij ſtatuti columnæ primores. 1. Διάθεσιν non eſſe genus Logicum, ſeu vniuocum: ſed eſſe, vno verbo. *Tranſcendens.* Hoc inprimis vult Gal. cũ exponit per καταχρηστικῶς. Et quo modo ille aliàs genus Logicũ è vulgo petat? 2. quod ab hoc pendet, Διάθεσιν *Gal. non eſſe eandem cum* διαθέσει *Ariſt. in Categ.* Quis enim id auſit? Et auſi ſunt multi inter quos Vall. licet viderent ineuitabile hoc incommodum, *Ergo omnis morbus eſt qualitas.* At verò morbus in numero, verbi gratiâ, quo modo eſt qualitas? Quid ergo eſt? 3. Id, quod Gal. vult in ſeq. *Vt ſanitas eſt* συμμετρία*: ita morbus eſt* ἀμετρία. Et hoc eſt genus Logicum, quod ad conſtituendam definitionem eſſentialem eſt neceſſarium. Heic inflammatus Valleſius, primùm quidem pro magno abſurdo habet id, quod ex Fuchſij ſententiâ ſequitur, fore, vt morbus ſit in pluribus prædicamentis: deinde autem, morbum eſſe ἀμετρίαν, hoc eſt *Relationem,* & quidem *Realem*, vt loquitur. Atqui, dicam ego, te ipſo fatente, ô Valleſi, & Ariſtoteles & Galenus id docuerunt, nec deſunt affirmantibus rationes! Conatur quidem ille ſe expedire, ſed fruſtrà, ſi quis attendat. Maneo ego cum Ariſt. & Gal. aióque, *Modum loquendi parare nobis hos laqueos.* Eſt in Relatorum doctrina apud Melanchthona regula ſeptima, *Omnes linguæ vtuntur relatiuis loco abſoluti ſeu fundamenti.* Vide *Animaduer. Mont. cap. 2. §. 11.* Hoc qui accipere nolit, delicatus ſit. Ita loquor, quia Valleſius eodem venit, non tantùm *f. 176. extr.* ſed & *quæſt. ſeq. f. 185. initio.*

CAP. II.

255. Miror ego & demiror, quomodo ſolidi quid dici aut ſcribi poſſit, de morborum differentiis, non præmiſsâ doctrina de *triplici corporis noſtri conſtitutione!* Non minus miror tentari tale quid, antequam docueris, *ſanitatis eſſe latitudinem*, ex quâ nata ſit ſumma artis diſtinctio εἰς ὑγιεινὴν καὶ θεραπευτικήν, inter quas limes ſit τὸ οὐδέτερον! Maximè miror, non excluſum fuiſſe *ſtatum neutrum* Herophili, quem Gal. *6. San. tuen. 2.* expreſsè damnat, ſimúlque *Artem-paruam*, tanquam ſe indignam, tacitè abiicit! Rudiſſ. eſt illud, *magis & minus non mutare ſpeciem in arte noſtrâ.* Sunt alia, non valdè huic diſſimilia, à quibus manum abſtineo.

CAP. III.

256. Confuſa & longa eſt heic cauſarum morbificarum διήγησις, cui præfero illam, quam Ill. SENNERTVS habet *in Inſtitut.* cum noſtrâ *in Aberrâ*-*ſimâ.*

CAP. IV.

257. In differentiis ſymptomatum virum ſe præſtat Valleſius noſter. Poſt enim enumerationem, accingit ſe ad refutationem Argenterij, qui arguere

volebat Gal. imperfectionis. Verùm ita contundit illum, vt nec fures ipsius (nescio, quos ita vocet) amplius oblatrare possint. Posthæc solidè demonstrat, dolorem propriè in solo tactu esse. Mox conuersus ad somnum & vigiliam, ablegat inanes quasdam quæstiunculas, à quibus ad somnum præter naturam, peruigiliumque venit. Tandem ad symptomata naturalis facultatis descendens, dissentit leuiter à Gal. quem defendere non possum.

CAP. V.

258. Pergit Vallesius ad causas symptomatum, & disertè ait, eos, qui contenti esse nolint doctrinâ Galeni, arrogantes esse, sed luere hanc pœnam, quod refutentur ab ipso Galeno.

CAP. VI.

259. Explicat, quid sit affici per ἰδιοπάθειαν, συμπάθειαν, περιπάθειαν, &c. & eius rei occasione incidit in quæstionem, *Quid imaginatio possit in corpus humanum?* Quâ de re post alios accuratissimè scripsit Th. Fienus Louanij, 1608. Eâdem occasione vult exponere συμπάθειαν Hippocratis inter facultates, de quâ Gal. *4. Vs. par. 13. 2. Sent. Hipp. 6. 2. Caus. puls. & alibi.* Verùm ille non videtur aspexisse scopum Gal. qui est, velle defendere triplicitatem animæ. Si, dicebat Plato & Aristoteles contra Veteres, *plures sunt vnâ animæ, quid vnit illas?* Responsat Gal. ξύῤῥοια μία, &c. & explicat de vasis. Ego verò regero, O Gal. dicis tantum materiale quid, oportet afferas formale quid, quod in vasis sit. Hoc autem est *Calor, commune animæ instrumentum, è Corde permanans.* Vide opellam nostram, in quâ confertur doctrina de Animâ Arist. cum Gal. *Helmstadij & Parisiis editam.*

LIBRI QVINTI

CAP. I.

260. Parum profectò attentus fuit ad rem Vallesius, cum dicit; *Neque qui dicunt, vomitum esse naturalem vacuationem, neque qui negant, videri conuinci posse manifestâ aliqua ratione.* Sed neque autoritas *lib. de Sectis, cap. 18.* tam ponderosa est, vt det mihi momentum ad partes affirmantium. Manifesta apud me ratio est, *Qui bene nati sunt, & ordinatè viuunt, nunquam vomunt.* Hanc nullatenus firmant argumenta Valles. sed constat suo robore. Contrà, valdè stabiliunt, quæ ex Gal. dicit ipsius, toto genere præter naturam. Alia non dico, ne videar præiudicare velle bonis, sapientibúsque.

CAP. II.

261. Audeo dicere, *sudorem esse eâdem ratione præter naturam.* Quod enim serum cum sanguine in habitum proficiscitur, vacuari debet per ἄδηλον αἰσθήσει διαπνοήν. Et fit in iis, qui non omnino laboris (ad quem homo conditus est,

vt auis ad volatum, piscis ad natatum) fugitantes sunt. Hoc in latitudine sanitatis confirmant sanguinei. Cum enim multo sero abundent, facilè sudant. Si non sudent, facilè corrumpitur, & fœtent instar hircorum, *8. Meth. 2.* Sudor hic opus est Naturæ, nequaquam symptoma. Hanc sententiam si duram vocârit Valles. dicam ego, satis esse, si probabiliter confirmata sit. Vide *Gal. 2. Temp. 5.*

CAP. III.

262. Heic non æquè facilè est respondere, *Ita* vel *Non.* Lex naturæ est, in morbis non vacuare vllo alio tempore, quàm in declinatione. Ergóne Medicus, Naturæ imitator, etiam cohibetur intra tam angustos cancellos? Minimè. Vox enim Hippocr. est *2. Aph. 29. In principiis morborum si quid mouendum videbitur, moue.* Quemadmodum igitur venæ sectionem in principio docuit hæmorrhagia quædam salutaris: ita purgationem (minoratiuam vocant) leuis diarrhœa. Ibi verò vt præcipuè consideranda sunt duo, *Si purgentur, quæ oportet, Si bene ferat æger:* ita in purgationibus cauto opus est. Sed & datur peculiaris occasio, *Si materia turgeat.* Aliis morbi temporibus res est periculosa. Spes enim in solâ tolerantiâ est, quæ tamen posterior est. Hæc ego ex antiquis.

CAP. IV.

263. *Concoctio* & *putrefactio* non tantum frequenter occurrunt in Medicinâ: sed & altera sæpe occupat nomen alterius, vt cùm alibi, tum *Animaduers. in Theoph.* monui. σῆψις enim aliquando dicitur, quæ πέψις est. Distinctio apud Recentiores est, πέψις à calore naturali est: σῆψις à præternaturali. Vtraque cum adest, & signa vtriusque cum se exhibent, quid faciendum? Imò, quis credat iungi posse? Febres salutares cogunt nos credere. Putredinem arguit calor febrilis ad tactum: coctionem, sedimentum in vrinis. Est hoc quidem præcipuum argumentum pro sententiâ meâ, de quâ *sup. libri cap. 26.* sed non est satis. Scripsi alicubi, esse hoc vnum ex iis, quæ verbis explicari non possunt. Tamen ita est habendum. In febribus salutaribus incenditur quidem Calidum natiuum in Corde: sed nunquam ita, vt efficacia ipsius prorsus lateat. Esset enim mors. Quod igitur superest, coquit, & quò magis cum tempore exstinguitur febris, eò fit robustius, vsquedum in integrum restituatur. Ad quæstionem propositam, in inflammationibus particularibus fit pus à putredine propriè dictâ.

DISC. Quid sit denique de duplici seu medio motu Galeni & Vallesij?

PRÆC. Silentium. Non intelligo.

CAP. V.

264. Confragosissima est disputatio de *causis doloris*, quas ita nunc definio, Fit à duabus, *Intemperie* & *Solutione continui.* A quibus voluptas? A contrariis, inquit Vallesius. Pax!

CAP. VI.

Multò hæc confragoſior eſt, nec valdè negat Valleſius, cum Veterum excuſat varietatem. Non omnia ſcimus. Et præſtat alicubi ſilere, quàm fruſtrà iactare ampullas!

CAP. VII.

265. Heic ego te iterum, quiſquis es, moneo, conſideres hæc, & dicas. Annon Valleſius mecum ſit, cum dicit, *Superat* (fames & ſitis) *omnem diligentiam!* Tamen alicubi hoc ſum auſus, quod iam etiam abiicio, Fameſcimus ob ventriculi à calidis viſceribus contactum. Apud Veteres eadem obſcuritas facit, vt ad lienem diuerterentur.

CAP. VIII.

266. Quidquid dicat Gal. credo, iram omnino interficere, non minus quàm gaudium, quod hiſtoriæ teſtantur: vbi ſcilicet ἀσθενὴς ψυχάμον, vt loquitur *2. Cauſ. ſympt. 7.* ſuccumbit. An fuerit tum *Syncope cardiaca*, morbus hodie incognitus? Affatim enim affluente ſanguine, ſuffocatio in propinquo eſt.

CAP. IX.

267. Iucunda ſunt, quæ ex Fracaſtorio & Valleriola commemorat Valleſius de riſu & fletu. Tu potes iucundiora tibi facere ſuperaddito Ioſſio. Ego cumulo quæſtione pragmaticâ, hactenus non ſcriptâ, quod ſciam. Ex apoplexiâ in paralyſin deciderat M. GEORGIVS LICTENTAHLER, & iam iterum obambulabat. Sed aderant duo præcipuè ſymptomata, riſus & fletus inuoluntarius. Quod cum referrem SCHERBIO τῷ πάνυ, *Ita fit*, inquit, *cum dimidio corporis vitiatus eſt dimidius animus.* Erat in hoc ſtatu miles quidam in Heluetiâ, qui cum fleret contra voluntatem, *O*, inquit, *ſi eſſem in campo coram hoſte, oſtenderem illi me non eſſe mulierem.* Cum anno 1641. ingruente vere, obtigerit mihi paralyſis leuior dextri lateris, non prægreſsâ apoplexiâ, cum riſu (per DEI gratiam) nihil eſt mihi negotij: ſed quamprimum aliquid accidit ad animum, ſiue lætum id ſit, ſiue triſte, lacrymis inundant oculi, cum ſingultu. *Et cur iam fles?* inquit ſæpe vxor. *Si in meâ poteſtate eſſet, non flerem.* Hoc refero ad amiſſum tonum Cordis, de quo Chryſippus apud Gal. *4. Sent. Hippocr. 6.* Ad hunc refero quoque, quod tam facilè cado.

CAP. X.

268. Duæ ſunt vicinæ quæſtiones, *An fieri poſſit, vt pereat motus illæſo ſenſu? & viciſſim?* Vtrumque fieri poſſe demonſtraui *tract. de Simil. cap. de Neruis.*

CAP. XI.

269. Quæstio non Logica tantùm, sed & stolida. Quid enim sibi vult illud *Ex accidenti?* Calor remissus nunquam fit frigus. Mihi penitus placet ioculare illud Valles. *Fernelius est diuinus totus, non Philosophus.* Tu puta, quatenus *in Abd. rerum causis*, reducit nobis Philosophiam Stoïcam.

CAP. XII.

270. Inter maximas difficultates practicas est, *Quomodo phrenitis mutetur in lethargum?* inflammatio in œdema? bilis in pituitam? Ego χρ. παθολ. *cap. 76.* dixi, *Videri vulgus potius quàm Medicos, phrenitidos statum illum vocâsse lethargum, cum ex tumultuosis fiunt quieti, malo videlicet iam hectico, cum videntur dormire, quies autem illa nihil minus quàm somnus est.* Hinc τυφομανίαν vocant, q. d. *Insaniam torpidam, & senilem*, qualis in τυφογέρουσι. Heic non possum tegere manifestam turpitudinem illorum, qui dubitant, *an Cerebrum inflammari possit? Videtur enim nullis venis aut arteriis præditum esse*, inquit Vallesius. Et in fine, *Venas magnas aut arterias non habet.* Iudicium cæci, dico confidenter! Annon enim *ductus* vocati ab Anatomicis, ex *sinubus* dictis scaturientes, in homine tam euidentes sunt, vt stylum sat magnum admittant? annon in vniuersâ Cerebri substantiâ stigmata visuntur verè innumera, quibus oppletis inflammationem fieri quis neget?

CAP. XIII.

Saltu supero. Causam videbis, vbi legeris.

CAP. XIV.

271. Irrisorem Galeni Auerroëm heic vicissim rideo; & quidem duce Auicennâ. Ille enim, vt vides, causam *metus & tristitiæ in Melancholicis*, non refert ad colorem atræ bilis, sed ad spiritus, condensatos vaporibus melancholicis. Ait enim, *Permutato spiritu splendido ad tenebras.* Hoc Galenum dixisse puto iis verbis, quæ Vallesius citat, si modò non respuis correctionem, in hoc vestigio mihi natam, *Sed atræ bilis vapor.* Cùm enim *humor* aspellatur, quomodo resumi potest tam cito? Ita sensus Gal. fit, *Quia in melancholicis spiritus non sunt lucidi, vt in aliis, sed atris vaporibus inquinati, mirum non est, melancholicos videri sibi ambulare in perpetuis tenebris, & ideo timere.* Hæc ego ex re præsenti: tu vide textum Gr. *3. Loc. aff. 7.*

CAP. XV.

272. Veteres non semper concordes sunt in nominibus, hinc seminia litium maleferiatarum, κῶμα & κατάφορα esse eundem affectum dubium non est. Cum his aliquando confunditur κάρος, aliquando contra distinguitur. Dicitur

ita alicubi symptoma febrium malignarum: aliquando est somnus profundus sine febre. Hinc soluitur quæstio, *Sitne carus semper cum febre?* Non. Cum symptoma est, est cum febre: cum morbus per se, sine illâ est. Sed quid? *Semperne læditur respiratio?* Aduerte, esse heic aliam confusionem. Aliquando enim leuior apoplexia, seu imus ipsius gradus dicitur *Carus*: & tunc læsa est respiratio. Oportet autem heic iterum distinguere stertorem à roncho. Ille est in apoplexiâ cum manifestâ dyspnœâ: hic est in Caro, præsertim in iis, qui sani etiam non sine sono dormiunt. His (sanis) cum accedit τὸ δυσδιέγερτον, iam *Carus est*.

CAP. XVI.

273. Heic opus est spongiâ Auerrois. Rectè enim is ait 3. *Coll.* 33. *Repletionem* & *Inanitionem*, 6. *Aph.* 39. 5. *Aph.* 1. *& alibi*, esse verba Musicorum, hoc est sententiam communem seu proletariam, quales Galenus acceptare solet, reuerentiâ Hippocratis. Cæterùm, quæ contra vtramque dici possunt & debent, iam dixit Erastus, *de Conuulsf.* θ. 38. *& seq.* Vnde petere licet. Vera, & ad legem naturæ exasciata causa, tam *Conuulsionum*, quàm *Motuum conuulsoriorum*, quæ κλόνοι sunt Græcis, *Vapor* est seu *Flatus*, & fit in Epilepsiâ, quam pro exemplo do, hoc ordine. Ex parte aliquâ definitâ intemperatâ proficiscitur *Vapor*, per certa interualla, ad principium neruorum in Cerebrum, cui principio impingitur. Hunc vaporem cum tolerare non possit Cerebrum, excutit in *neruos*. Hi porrò deorsum amandant ad *musculos*. Hi rigidi facti, vectis ad instar, attollunt membrum, cui innexi sunt, idque per vices. Et hic κλόνος est. Hæc ego *Animadu. Mont. cap.* 9. tam clarè proposui, quàm humanitus potest. Tibi autem obiter iam hoc instillo, Cum partium mittentium tanta sit multitudo; cum *Vaporis* missi tanta sit varietas: potésne tibi promittere certam curationem?

CAP. XVII.

274. Haud æquis oculis ista intueor, quod videam & deesse *Inæqualitatem febrilem* vnà cum *Lassitudinibus*, & non distingui *Rigorem* à *Frigore & Horrore febrili.* De his videris χρ. παθολ. *cap.* 272. *& seq.* Pariter indignè fero *Conuulsionem*, *paralysin*, & reliquum aceruum.

CAP. XVIII.

275. Quod febris omnis sit *calida & sicca intemperies* probatum mihi est d. χρ. *cap.* 252. *Humida* tantùm hinc abest, quantum ignis ab aquâ. In *lipyria* calor non extenditur per totum corpus: quia impeditur.

CAP. XIX. & XX.

276. Videtur Vallesius his duobus *capp.* docere quædam inexplicabilia. Primùm persuasus sum, *putredinem Medicam* nihil aliud esse quàm *Combustionem*. Deinde, spiritus putrescere nihil aliud esse, quàm tenuiorem sanguinis

partem ſuperficialiter ardere. Tertiò, ſanguinem putreſcere idem dictu eſſe, & propterea ſynochos ephemeris accenſeri. Quartò, hecticas ab initio inuadentes (ſi modò vllæ inuadunt h. m.) eſſe ephemeras intenſas, niſi ſi duplex febris eſt. Sumus aliquando nimis accurati. Et verum eſt, quod Valleſius tandem dicit, *Omnem febrem poſſe ab initio inuadere.*

CAP. XXI.

277. Dicit ab initio quod non puto verum eſſe, *Omnem febrem peſtilentem eſſe ab aëre putri.* Nam & humores malignè putreſcere poſſunt. Ab aëre dicebat SCHERBIVS, non niſi rariſſimè fit, & moritur tertia pars hominum, aues è tectis decidunt, veterina paſcentia corruunt, &c. ἔργον Valleſij eſt, febrem hanc non putridam ſolùm eſſe, ſed & hecticam. Hoc cum veriſimiliter impugnarent quidam, reſpondet inſolentius, *Voca ergo blityri.* Parcius! Hectica vulgaris eſt benigna: peſtilens hæc maligna, cum videlicet ſubſtantiam Cordis occupat putredo maligna.

CAP. XXII.

278. In febribus tam *Continentibus* (ſynochis) quæ ſunt vel ἐπακμαστικαὶ, vel παρακμαστικαὶ, vel ὁμότονοι: quàm *Continuis* (ſynecheſi) quæ ſunt vel τριταιοφυεῖς, vel τεταρταιοφυεῖς, vel ἀμφημερινοφυεῖς, ſæpe magnæ ſunt Practicorum concertationes 1. An vtræque καῦσοι ſint appellandæ? 2. Vtræ ſint grauiores & periculoſiores? *In vtroque genere* conſentio Valleſ. *In primo*, Cauſus eſt duplex, quidam exquiſitus, in quo omnia ſunt in ſummo: quidam nothus, qui quædam aut non habet, aut valdè remiſsè. *In altero*, ſynochi ſunt mitiores, quia ſunt à ſanguine. Vide Valer. *2. Enar. 2.*

CAP. XXIII.

279. *Febris ſymptomatica* quicunque dicit, malè dicit: *febris, ſymptoma* dicere debebat, per appoſitionem, vt Grammatici loquuntur, vt febris, morbus. Inter priores eſt ὁ λειπυρίας πυρετὸς, de quo tamen diſſona ſcribit Gal. Conciliationem quærit Valleſius, quam vel non intelligo, vel nulla eſt. Dico, vt non ita pridem, Veteres non conſentiebant in nominibus, & tu vis conſenſum eſſe, vbi non eſt. In vniuerſum, *febris ſymptoma* eſt, quæ comes inflammationis eſt, & habet naturam ephemeræ. Tu *comitatum* intellige, quod cum inflammatione incipit & deſinit. Aliud eſt, ſi morbo alicui iam conſtituto iungatur febris, quæ nullam cum illo ſocietatem habet, nec curatur illo curato. PLATERVS, Præceptor, vocabat *Febres comitatas.* Cæterùm, videor mihi obſeruâſſe aliud *febris ſymptomatis* genus, quam *Catarrhalem* iure vocârit, & deſcripſi *in App. Poſt-curarum.* Fuerunt interea, qui pertendere voluerunt, nihil aliud fuiſſe quam *Quotidianam.* Hos iuſſi, iubeóque denuò accommodare ſigna *Quotidianæ Veterum.*

CAP.

CAP. XXIV.

280. De *epiala* febre nihil habeo compertum, & ex aliis deſcribere nolo.

CAP. XXV.

281. Magni momenti res heic agitur. Compulit enim Practicos quoſdam, *in omni febri putridâ reſpicere obſtructionem*, quod deteſtantem ſæpe audiui SCHERBIVM. Ego deduxi rem *χε. παθολ. cap. 292.* & nunc dimitto volentes ad trigam nobilem, *Cæſ. 2. Febr 12. & 2. Quæſt. Med. 1.* Sennertum *2. Febr. 1.* Maſſ. *5. Pract. ſeu de Febr. 8. f. 365. edit. Francofor.*

Ego heic commodùm in mediâ viâ ſubſiſto, recordatus iudicij, quod vir eximius, & ab omni liuore alieniſſ. LEONARTVS DOLDIVS, Medicus Noriberg. de toto opere hoc faciebat, *Non eſt magnæ rei.* Cui quia ſe opponunt alij, in obſequium quidem illorum, dicta volui, quæ dixi: in honorem autem d. viri, manum de tabulâ. Quæ enim ſequuntur, vel ex medio triuio ſunt accepta: vel tam ſubtilia, vt cum Pariſano certare poſſit.

DISC. Intellexi aliquando, magni cuiuſdam Doctoris Patauini non diſſimile fuiſſe iudicium *de Com. in Method.* FABII PACII. *Non peſca al fondo.* Quid iudicas?

PRÆC. Examinare placet breuiter, productis tantùm κατορθώματα quibuſdam viri, quaſi in exemplo.

DE FABIO PACIO.

CAP. XII.

282. PRÆC. Vt quantocyus me abſoluam, I. κατόρθωμα eſt *f. 55.* de *Miſtione*, quo docet, *Elementa manere quidem in miſto: ſed ita, vt qualitates ſe inuicem retundant, vocetúrque totum à qualitate prædominante*, verbi gratiâ Piper eſt calidum.

283. II. Eſt *f. 137.* de *Occultâ proprietate*, quam rectè ait eſſe *Totam ſubſtantiam* Galeni.

284. III. Eſt *f. 159.* de *Calore proportionato ſtellis* apud Ariſt. quem & ipſum rectè negat *cæleſtem* eſſe.

285. IV. Eſt *f. 161.* de *Diuino* in morbis Hippocr. quod non minus rectè cum Galeno *Aërem* ſtatuit.

286. V. Eſt de *Morbi naturâ*, ſeu, vt ego intelligo, de *definitione eſſentiali.* Quam quatenus recipiam, explicatur *in veſtibulo Animaduerſ. Mont. de Morbo.*

287. VI. Eſt de διαθέσει παρὰ φύσιν Gal. in eâdem definitione, quam pro *genere æquiuoco* habet.

288. VII. Eſt *f. 154.* quod *Morbus* non ſit ſubſtantia.

289. VIII. Eſt *f. 260.* quod *p. & c. naturam* ſint idem.

290. IX. Eſt *f. 262.* quomodo *ſanitas & morbus* ſint oppoſita?

291. X. Eſt *f. 276.* quanta ſit *læſio in morbo*, ne ἀπειρία introducatur?

292. XI. *Morbi* etiam *latitudinem* quandam eſſe, *Neutrum* verò *ſtatum* locum non habere.

Hæc & alia multa bene ſe habent in illo Opere, & temerè iudicauit bonus Senex.

DE IOH. COSTÆO.

CAP. XIII.

LIBRI PRIMI.

293. PRÆC. Dixi ſuprà de hoc viro, laborare ingenti ſtudio omnia conciliandi. Id verò cum pariat moleſtam prolixitatem, adeóque quædam κίβδηλα abiiciendα potius ſint, quàm huc illùc trahenda: ſoleo monere bonos, dicant, quod res vult, cætera ſinant. Scripſit aliquammulta, è quibus carpam quædam ex *Diſquiſit. Phyſiolog.* ipſi dictis, quæ ſunt *Com. in 1. Fen primi Can. Auicen.* Bononiæ 1589. in 4. In huius veſtibulo (ita voco ſect. 1.) cum Arabs genus Medicinæ ſtatuiſſet *Scientiam*, quàm copioſus eſt Coſtæus, quàm largus vanarum diſtinctionum! Reuerà eſt *ſcientia* non niſi latè accepto vocabulo, quo modo *Scientia eſt Ars*, & *Ars eſt Scientia*. Neque eſt, quod obiiciat mihi vulgarem diſtinctionem in *Theoricam* & *Practicam*. Nihil heic θεωρίας nudæ eſt, omnia ſunt πρακτικῶς (ne arguteris, ποιητικῶς) quia omnia referuntur ad vſum, quem quæ non attingunt, *Logica* vocantur apud Gal. Hinc eſt differentia inter *Phyſicum & Medicum*, quod ille quidem conſiderat res ſimpliciter vt in Naturâ ſunt, non habito reſpectu vllo ad vſum: hic autem, vt ſeruiunt vſui ſuo. Huc planè tendunt quatuor illæ differentiæ, quas ſtatuit Coſtæus inter *Phyſicum & Medicum*. Huc illud, quod à ratione alienum eſſe ait, Medicinam eſſe *partim ſcientiam, partim artem*. Huc illud voco, Medicinam eſſe *medium quid inter ſcientiam & artem*. Quod ait, in omni arte eſſe & *Theoreticum* quid, & *Practicum* quid, perſpicuè falſum eſt. Nam *Medicina docens* non differt ab *agente*, quia docet, quæ agere debeat is, qui Medicinam exerciturus ſit. Hoc verò longè abeſt à theoriâ. Quare meritò ineptum dico illud, *Medicinam à potiori parte appellandam eſſe Practicam*. Contradicunt enim omnes Philoſophi: quin nolunt, Socraticam illam diſciplinam dignari nomine Philoſophiæ. Non ineptum, ſed planè olidum eſt illud; *Medicinam totam* (pro eâ etiam parte, quæ *Practica* dicitur) verè *Contemplatiuam* eſſe. Scilicet θεωρία eſt πρᾶξις, πρᾶξις eſt θεωρία!

294. Sed ſatis de primo: alterum ſit *f. 21.* vbi vide quàm ſcitè excuſet, *Neutrum ſtatum Herophili!* Continetur ſub morbo. Primum delictum in eo eſt, quod ſtatus ille recipitur in agrum Medicum, à quo perpetuò exſulare debebat. Secundum, quod contrarium eſt verius. Continetur enim ſub ſanitate. Me vide, qui ſum, non ὠμογέρων aliquis, ſed τυμβογέρων, ſeu, vt Ariſtophanico verbo vtar, σορέλλη, videorne tibi ægrotis accenſendus? Imò, ſum in

latitudine ſanitatis, quia per gratiam DEI, obambulo, comedo, bibo, dormio, hæc meditor. Sed vt ad Coſt. redeam, vide ſodes, quàm in hoc veſtigio clarè damnet *Neutrum ſtatum ! Quia*, inquit, *ſanitas virtus eſt, & æqualitas quadam, morbus vitium, inter ſanum & ægrum non datur medium.* Contrà, vide quàm frigeat in ſeq. *f. 23.*

295. *Súntne ſpiritus ſubiectum ſanitatis ?* Non ſunt. *Cur? quare ? quamobrem !* Non habent actiones, inquit Coſt. non viuunt : non ſunt organici : non ſolidi, ſed fluxi : nec animâ, nec vitâ præditi. Hei mihi, diſrumpor, inquit ille apud Ter. ! Talia effutire magnos viros ! quæ in ſcholis triuialibus virgas merebant ! *Pars* eſt vocabulum ab vno, & definitio apud Gal. *Quidquid totum implet :* non autem vt Fernelius ! Nec ſcit Coſtæus quod dignitatis loco ſint *Spiritus* apud Hipp. & Gal. Sed tempero mihi.

296. Huius commatis eſt illud *f. 25. & 203.* vbi calorem & humorem concipit tanquam duo entia, cum de *Calido-natiuo* loqueretur, quod eſt vnum *πάθη*, quod pueri ſciunt, &c.

LIB. II.

De Elementis.

297. His compar fit in *Elementis*, in quibus tot definitiones ſtruit ? quot Vett. ſimiles cumulat ? quàm vafer eſt in negotio ipſo ? Cum *f. 42.* vult probare, Hippocratem *lib. 1. de Nat. hum.* aſſeruiſſe 4. elementa Ariſtot. tacitè incurrit in ſententiam meam, librum illum non eſſe fœtum Hippocratis. Quas verò molitur *f. 46.* reſponſiones pro Hipp. & Gal. quam ſunt illæ aqueæ ! quas vocat tamen demonſtrationes ! Cum ib. ſermo illi eſſe deberet de 4. elementis, labitur ad 4. humores fictitios, vt ſæpe voco ! Quæſo te, agamus parumper Ramiſticè, & formemus ſyllogiſmum, in quo conſideremus, quot terminos habeat ! Ibi tum clarè ridens

DISC. Eia, verò, inquit, ſuperueniat potius LOSSIVS aliquis, & fuſtibus ſuis exigat è Lyceo illum, qui ficto habitu ingreſſus eſt.

PRÆC. Tum verò carebimus ſubtilitatibus, quas *f. 55.* incipit minari tam Medicis quàm Philoſophis ! Quæ ipſæ ne tædium afferant prandij, cautio eſt.

LIB. III.

De Temperamentis.

298. *Fol. 105.* Heic ſubſiſto admirabundus, quid ſit illud, *Miſtorum natura non omnis ex elementis eſt, cum habeant rationem materiæ tantùm : ſed & præterea, quod in miſcendo, effectricis cauſæ rationem habet.* Quid verò, ô bone Coſtæe, eſt illud ? Dum circumſpicio, nihil inuenio, præter *Animam mundi Platonicam*, quam poſteà ſuſcepere Stoïci fouendam, & noſtro ſeculo nouator Fernelius. Illud etiam moratur me, quod diſtinguis *Formas elementorum* à *Qualitatibus.*

299. Scis ſatis, ô Coſtæe, quæ diſputatio vrgeat Philoſophos, *Súntne*

Qual. forma Elementorum? An eras μετέωρος, nec volebas te applicare alterutri parti, cum neutri posses satisfacere? Animosior Præc. CREMONINVS, *in peculiari opella 1602.* ita agit, ne elementa amplius sint informia, ceu in suis ad me literis loquitur SCHERBIVS. Alioqui rectè habet, quod distinguis, κρᾶσιν ἀπὸ τῆς μίξεως, itaque expedis te tricis *f. 101.* propositis, & mox iterum *f. 106.* proponendis.

300. *Fol. 107.* Tacitè lacessit Gal. qui in libris huic negotio dicatis definitionem neglexerit. Non erat φιλέριστος, & satis illi erat innuisse *Qualitatem Auicennæ* per τὸ κεκρᾶσθαι, vt suprà dixi. Cæterùm, non est *qualitas composita*, sed vna illa, quâ agit mistum, verbi gratiâ, caliditas in pipere. Multò minus *concentus* est, vt Fernel. somniauit, quem sæpe cum suaui risu exagitabat dictus SCHERBIVS. Is etiam docebat nos, quæ sint partes illæ minimæ, quæ ab Arist. in mistione quæruntur, *Vapores*.

301. *Fol. 109.* Extr. pueriliter lapsat, cum *Temperamentum ad pondus*, adscribit qualitatibus secundis. Longè aliter Galenus. Interim rectè ait, *Importunè de illo agere Medicos.* Ita, dico ego, si alio fine quam docendi considerent, vt suprà scripsi.

302. *Fol. 110.* Grauissimam inchoat disputationem, cui Galenum etiam implicat, *An temperamentum sit forma substantialis, seu Anima?* Ipse quidem non explicat se disertè, quamuis tota oratio inclinet in negatiuam: ego verò, *Est forma, non substantialis superior: sed inferior*, adeóque *Anima Medica*, vt alibi locutus sum. Vide χειρ. φυσιολ. *cap. 351. Non ergo substantia est?* inquis. Quei possit, si *Qualitas* est? Et hoc satis est pro defensione Galeni omniumque Medicorum, ne porrò impietas illis obiectetur, ne de ignorantiâ Philosophica dicam. Heic magnum ego facio saltum, & quo magis prolixitatem affectat Costæus, eò magis breuitatem ego. Nimirum Auicennista vult esse ille: ego nolo.

LIB. IV.

De Humoribus.

303. Heic statim moneo, qui vel limis aspexerit definitionem Auicennæ, ille statim intelliget, me non posse esse discipulum illius. Hoc tantò citius dicet, quò turpius viderit labi Costæum. Cùm enim simpliciter dicere posset, *Humores sunt partes.* & quidem similares, apud Arist. enim sunt, apud Hipp. & Gal. qui distinctiorem volunt doctrinam. Ita simul deseruisset Fernelium, in cuius tamen sententiam visus est pedibus ire suprà. Et quid monstri alunt *Humor bonus & non bonus?* Nihil dico, quia sine me intelligis: quæstiones de humoribus variæ quid portendunt? Sunt nugæ Arabicæ. Illud planè non intelligo, Arist. dissimulâsse vsum lienis! Imò, quei potuit rectius de illo loqui? Illa verò quæstio, *An sanguis sit trium humorum congeries?* iamdudum à doctis conculcata est, inter quos iam colloco Costæum ipsum, *f. 229.* Quid tamen fluctuet, vide, sis, *f. 237.* De secundis Auicennæ humiditatibus dixi suprà, quid sentiam & maneo in sententiâ, & postquam hæc tam multa legi. Ita enim est, indulserunt cogitationibus suis & Gal. & Auic. scripseruntque, non φαινόμενα, sed φανταζόμενα.

304. De *ſanguinis temperamento* (naturâ, inquit ille) obſcuriſſimam tra-ctationem orditur *f. 343.* & de Ariſt. *2. part. 2.* aſſerit, non Gazam tantùm corrupiſſe locum, ſed & Cod. Gr. eſſe mancum, perditâ negatiuâ *μή*. Quâ de re quidquid ſit, & ſuprà dixi ſententiam, & fuſius *χ. φυσ. cap. 295. & ſeq.* Quod ipſum cum ferè dicat Noſter, gaudeo, & ita me abſoluo.

305. De *humorum*, vt loquitur, differentiis quæ tradit *f. 252. & ſeq.* examinata mihi ſunt Tractatu *de Humoribus*, nec temerè repetenda ſunt. Hoc ſolum videtur animaduerſione dignum eſſe, quod ſociat ſe illis, qui de ſanguine ex ſectâ venâ iudicaturi, dicunt, fibras illas albas, ramulis betulaceis adhærentes, pituitam eſſe. Profectò nimis populariter! Rectius enim Cæſalpinus, ni fallor, fibras eſſe ſanguineas, non niſi ſuperficialiter rubentes.

306. An ſanguis ſolus nutriat? *f. 280.* diſcuſſum pariter eſt *dicto tractatu*, vt & *χ. φυσ. cap. 291. & ſeq.* Tu verò iam para, vt ſeriò fleas?

DISC. Quei verò me componam ad contraria?

PRÆC. κλαυσιγέλωτα vocant Græci, cum miſeremur quidem inepti hominis, ſed cum riſu. Talis heic eſt Coſtæus, cum conciliare vult *Nutrire & Non-nutrire*, vt tamen Ariſt. ſimul verus ſit, & Philoſophi probabilia attulerint. An hæc longè aliò tendunt? Exſculpſit, inquam, Adraſtea à Gal. & Coſtæo inuitis? huc videntur ſpectare, quæ poſt datas reſponſiones ſcribuntur, *Hæc ſi rationibus philoſophorum ſatisfaciunt, &c.* Atqui non ſatisfaciunt, inquiet Diua. Huius commatis non pauca alia animaduerterit diligens lector. Ego verò parco pudori hominis.

LIB. V.

De partibus ſimilaribus.

307. Laudandus heic eſt Coſtæus, quod *f. 336.* cum Valleſio harum partium duo genera agnoſcit: culpandus viciſſim, quod *f. 339. & ſeq.* in materiâ oſſium & cartilaginum coniungit Hippocr. & Ariſt. niſi ſi νοθεύουσιν Hipp. illa. Certè in *lib. de Carn. principio*, Cous expreſsè ait, ſe κοινὰς γνώμας ſcribere. Hoc facere Ariſt. quoque abſurdum dictu non eſt. Sed ſint hæc, vt quiſque volet. In rei veritate, ad conſtitutionem rei ſolidæ requiruntur *vapores tantò tenuiores*, quantò ſoliditas eſt maior, vt partes minimæ cum minimis arctius coëant. Quò minus damnare poſſum τὸ *Pingue* Hippocratis.

308. De neruis *f. 342.* hoc mihi videor obſeruâſſe, Coſtæum velle quidem cum Gal. refutare Praxagoram, *7. Sent. Hipp. 3.* ſed præ metu Adraſteas tam timidè loqui quàm vllus, qui fingit, conuicto iam τῷ ἔσω λόγῳ. Senſus enim tam clarè teſtatur, *neruos eſſe paruum Cerebrum*, vt Gal. loqui ſolet, vt nec Sol meridianus ſereno cælo poſſit eſſe clarior. Vide *χ. φυσ. cap. 20.* Hinc fit, vt concluſio Coſtæi *f. 345.* ſit talis, qualis ſolet eſſe in re manifeſtè falſâ.

309. Tendines *f. eodem* eſſe partem ſingularem, diſtinctam à muſculis, nego & pernego. Nego etiam ſtructuram tragicam Gal. ſed dico cum *D. ab Aquapendente, totum muſculum eſſe partem ſimilarem ſui generis.*

310. Diſputatio in Ariſtotelem inſtituta *f. 362.* de *Cordis principatu*, videtur in impietatem deſinere, etiam Galeno odioſam futuram, Diagoraque (qui

ἀπὸ τῆς dictus fuit) digniorem. Et miror, alterum hunc Conciliatorem non quæsiisse potius colorem, quo & suum dolorem tegeret, & suam stultitiam.

311. De *testium vsu* quæ commemorat *f. 366.* ferè in confesso sunt, si demas magnum calorem. Vt enim ex Iacch. dixi sæpe, non debetur ille testibus, sed *sanguinis motui* in συνουσίᾳ.

312. Quam *f. 373.* orditur telam de vtriusque sexus semine, pertinet ad *lib. de Gen. hom.* Huc pertinet, ni fallor, an Arist. voluerit, quod ille vult. Ait I. docuisse Philosophum *2. Gen. 6.* ossa, pilos, neruos, vngues fieri ἐκ τῶν περιττωμάτων τῆς ὕλης. Vbi quæro, sitne verisimile, vllibi illum subiecisse semen τῇ ὕλῃ? Deinde aio, locum totum esse de sanguine materno, ex cuius purissimâ parte fiant carnes, ex impurâ ossa, &c. Hoc volo exaudire omnes, qui heic ferociunt. Tertiò, si omnino ita fit, quei dicere potest *f. 382.* semen post efformationem *dissolui, atque in flatus dissipari?* Imò, quei *f. 387. semen, non minus quàm coagulum in caseo, permanere in fœtu?* Vidésne hominem tam manifestè heic teneri, quàm vulpes in laqueo?

313. Sed pergo, Cum *f. 386.* accingit se refutationi principij illius adamantini, *Vnum, quà vnum, &c.* quid est, quod ait, *Verum quidem est, sed in semine non succedit?* Cur non? *Sicut, edito in lucem animali, anima in corpore habet rationem efficientis: ita seminis anima, actu iam anima, in corpus seminis agit, & hoc pacto habet rationem agentis & passi.* Hercules, tuam fidem! τί πρότερον, τί δ' ὕστερα? Ignosce, Costæe, intelligisne reduplicationem, *Quà vnum, constans ex materiâ & formâ!* quatenus, inquam, duo hæc sunt in semine, λόγος καὶ ὄγκος σπερματικός? putásne λόγον hunc agere in suum ὄγκον, & vicissim ὄγκον pati à λόγῳ? Atqui actio non fit nisi inter duo contraria! Hac ratione semini contrarius est sanguis muliebris, vti loqueris: non autem semen sibi ipsi. Dic etiam, quomodo λόγος σπερματικός sit *iam actu anima,* ante (puto) organisationem? Quod enim imaginaris tibi, & præsupponis, omnes partes formari simul, vno momento, & mox euolare semen, atque auem è caueâ: id refutat historia ouorum incubatorum. Dic amplius, quæ similitudo est huius actionis, quæ producit corpus organisatum, pro formâ hac ἀνάλογ: & illius, quâ anima regit & gubernat corpus productum? Ibi omnia sunt in fieri, heic contrà facta & perfecta. Dic tandem & hoc, putásne te propriè loqui, cum dicis, *Animam, per hanc manum literas pingentem, agere in manum?* Imò agit per manum, tanquam instrumentum. Ita, putásne *Mentem, contra te differentem, agere in Cerebrum?* Summa, hoc genus Conciliatorum vbique est ineptum! Et quæri heic conciliationem arguit consensus Marginatoris, qui fortè est ipsus Costæus.

314. Quidquid sit, libet mihi addere duo ἀξιόλογα. I. Accedit ad me *f. seq.* Costæus, cum *Grandinem* in ouis pennatorum ait esse semen masculum. *In subuentaneis* non est, expresè ait. Quod cum fugisset diligentiam Ill. *D. ab Aquapendente,* commentus est mirabile quid, quod non repetam, ne pudorem amplificem.

315. II. Idem *f. 438.* scribit, *Auulso Corde, animalia quædam non prorsus, neque penitus destitui motu.* Hoc quale sit vt intelligerem, præsertim, cum offenderem apud Arist. *de Iuu. 2.* testudinem ἀφῃρημένης τῆς καρδίας moueri: inueni, tam in terrestri, quàm in palustri, falsum quidem esse de toto animali: verum

autem de ſolo Corde, quod aliquandiu palpitat. Si canem mihi obiicis, dicam, hunc etiam me vidiſſe: ſed intellexiſſe, quàm deſpicabile id ſit Ariſtoteli. Ait enim *lib. περὶ νεότητος, cap. 7.* vitæ illius eſſe οὐδένα χρόνον. Idem dixeris de iis, ſi quis oppoſuerit tibi ea, quæ Gal. habet, *2. Sent. Hipp. 4. extr.* Sunt παίγνια, quibus pueri capiuntur, non ſapientes. Quò minus conſulere poſſim vlli Anatomico, vt multum operæ in illis ponat, vel ideo, quia operationes tales non rarò deſtituunt etiam exercitatos, vti ſibi videntur, nedum mihi, qui ob id calumnias tuli.

LIB. VI.

De Facultatibus.

316. Ariſtotelis ſententiam fouet quidem Coſtæus *f. 488.* ſed tam ruditer explicat, vt opus tibi ſit Diatribâ noſtrâ *de vſu Cerebri.* Fateri etiam oportet, ſi boni eſſe volumus, ξύρροιαν, ξύμπνοιαν, ξυμπάθειαν Hipp. neutiquam ſufficere: ſed eſſe heic peculiare, & verè admirabile Naturæ inſtitutum, *In Cerebro quidem retundere feruorem ſpirituum; in neruo autem, qui paruum eſt Cerebrum, vt appellare Galenus ſolet, alteratum hoc modo ſpiritum ad partes ſenſiles, & mobiles deferre, ne animal ſit in perpetuâ furiâ, vt ſic loquar.* Hâc de re prouocat Coſtæus ad AVGVST. BVCCIVM, profeſſorem Taurinenſem, quem ſæpe laudabat SCHERBIVS: ego verò, quæ infelicitas mea eſt, nunquam, nec extra, nec intra Italiam offendere potui. Sed neque PASCH. GALLVS, nec ISR. SPACHIVS offenderunt. Sed neque in bibliotheca mortui inuentus fuit.

317. Poſt aliquam multa, *f. 529.* procellam cit Coſtæus non minus grauem quam olim, cum à ceruicibus ſuis auertere vellet principium illud, VNVM QVA VNVM. Conatur enim Ariſtoteles quidem obtrudere facultatem VITALEM: cum Medicis autem pacem facere. Quod profectò auſum eſt terribile! Ego quidem *Com. 2. Thor. 13.* ſimpliciter expoſui argumenta Coſtæi, & reſpondi: nunc videor aliud obſeruare, Vti ſcilicet illum heic oratione populari, ſed (vti poſteà fatetur) metaphoricâ. Quaſi dicat. Vos quidem Medici *non immeritò ſtatuitis* hanc facultatem: te verò, ô Ariſtoteles, fateri oportet, *Caloris quoque natiui operas requiri.* Hoc quis expectet à PHILOSOPHO-MEDICO? præſertim hoc poſterius, de quo legeris Bon-amicum, *1. Alim. 18.* Ego potius ſperem à Centurione, vitem præferentis, & imperantis, non docentis. Quid enim? Ariſt. non requirit *Calorem.* Tu verò, ne quid grauius dicam, ô Coſteæ, es φορτικός, cum contentus eſſe non potes facultate VEGETANTE EXALTATA, ſed vis etiam nouum nomen, cuius in Philoſophiâ nec vola, nec vnguis! Hoccine eſt conciliare, & conſenſum quærere? Sed neque quiſquam, repudiatâ animâ, *Naturam* ſubſtituerit, niſi qui Stoïcus ſit! An Ariſtoteles repudiauit *Vitalem facultatem*, ideo, quia non facultas eſt, ſed actus ipſe, qui nunquam potentiæ, ſed actûs ſemper rationem habet, vt Coſtæus loquitur, *fine f. 531.* Atque ita reſpondi ad quæſtionem *f. ſeq.* quò pertineat noua hæc facultas nouitia?

318. Quæ deinceps eſt *f. 534.* Fernelij ἀτοπίαν ſapit, de quâ ego alibi.

Quæ porrò *f. seq.* extremè inepta est apud eos, qui principia Peripatetica degustârunt. Ita decipimur à magnis etiam viris! si modò magni sunt, qui tantoperè frigent!

DE FRANCISCO BON-AMICO.

CAP. XIV.

319. DISC. Magnum nomen lacessimus!

PRÆC. Sed in re non magnâ! Ita loquor confidenter *de opere Alimentario, Flor. 1603.* Nam magnum illud *de Motu, ibid. 1591.* superat captum meum. Vt discas mihi incorrupto credere, vide quàm mirificus sit statim à principio.

LIBRI PRIMI

CAP. XV. & XVI.

320. Vult enim persuadere, *Alimentum assumptum, & in ventriculo, vicinoque Hepate alteratum, ascendere ad caput, vt ibi refrigeretur, mox relabi ad Cor, vltimæ perfectionis ergo, in quâ scilicet nutrire potest.* Scio, quid ex Arist. *lib. de Somno*, eliciant quidam, Non fieri somnum, nisi vapores, ex cibo elati ad Cerebrum, decidant iterum, quos refutaui *2. Post-cur. 24.* sed id huc non facit. Sed & aliud est vapores ascendere causâ somni, & alimentum totum, cui fini? Refrigeratio enim Arist. fit in pulmonibus, qui sunt τὸ πρῶτον καταψυκτικὸν, & fit eo modo, quo dictum est, circulo, inquam, instructo per pulmones ex dextro Cordis ventriculo in sinistrum. Huic refrigerationi respondet tota rerum Natura, & vni huic attestantur omnia φαινόμενα, cum alteri repugnet. Hoc etiam mali subest, quod Bon-amicus distinguit *Naturam ab Anima*, quod Stoïcum est. Sed condonemus hoc ei in gratiam Galeni Medicorumque.

CAP. XVII.

321. Heic scire velim, quæ sit ratio progressus ab vniuerso sanguine ad humores Auicennæ secundarios, qui reuerà imaginarij sunt!

CAP. XVIII.

322. Heic iterum offendiculum sentio in methodo. Debebat enim primùm distinguere *duplex* suum *Calidum* (*Spiritum* ille vocat) deinde quæstionem instituere, de vtro velit loqui? Ille verò subitò irrumpens, subitò pronunciat de illo, quod infrà dicat *sobolem esse seminis masculi*, quod perpetuum sit, siue (vt loquitur) quod permaneat vsque ad finem vitæ, sine vllo alimento. Deinde, cùm alia tum hoc de illo prædicat, sedem habere in dextro Cordis ventriculo, cum Hippocrates & alij omnes sinistro tribuant. Posthæc facit duplicem, *Implantatum & Influentem.* Vbi rectè quidem tribuit illum substantiæ

ſtantiæ Cordis: noue autem hunc ſanguini forinſecus affluenti. At Veteres olim *Influentem* dicebant, non Cordi, ſed è Corde reliquis partibus. Harum reſpectu, ſi propriè loqui vellemus, *Spiritus* potius dici debebat, vt facit Noſter. Iam verò & ἀλλοφασεῖ cum tres ventriculos agnoſcit: & ἀλλοφρονεῖ, cum cognitionem tribuit alteri, motum ſeorſim alteri. Quæ omnia annon portenta ſunt?

CAP. XIX.

Quæ ratio ordinis? inclamo iterum. N V L L A. Sed & res ſunt confuſaneæ, vt ſtatim apparet.

CAP. XX.

323. Iterum deſidero ordinem. Cur non potius primo loco de *Alimento*, quod titulus habet, ſecundo loco de *Excrementis*, quæ per accidens heic tractantur? Quæſtio etiam princeps inepta eſt? Debebat eſſe, *Cur tanta in animalibus excrementorum copia? &, Cur plura in perfectioribus?* Alimenti heterogeneitas, vt ſic dicam. Loquor de Vtilibus apud Ariſtotelem, quæ Galenus prorſus peſſundat. Videt autem vnuſquiſque, primam hanc eſſe excrementorum diſtinctionem, vt etiam eſt

CAP. XXI.

Verùm ne heic quidem ἀνέγκλητος eſt autor. De *cauſis* enim agens obiter aſpergit tantùm: in ipſis cauſis tam friget quàm vllus Thrax. Ita enim debebat fortè. *Excrementa* vel *Vtilia* ſunt, vel *Inutilia. Illa* ſeruiunt vel *Indiuiduo*, vel *Speciei*, & ſunt περιττώματα ſanguinis iam facti, vnde intelligitur, quæ ſint cauſæ illorum legitimæ, &c. *Hæc* Indiuiduo ſoli, & ſunt ſanguinis, qui fit, adeóque generantur per accidens, eo modo, quo arculario naſcitur ſcobs. Et quia coctiones ſunt plures, in ſingulis duo ſunt, *Craſſum* & *tenue*, prout explicantur ordine in opere noſtro *de Humoribus*. Hæc ipſa ſunt *Propria coctionum, quà coctiones:* præter illa eſt vnum *Commune*, quod tranſit per omnes coctiones, quatenus, inquam, materia coquenda indiget vehiculo, vt de officinâ in officinam transferatur, & vocatur vno nomine *Serum*. In hoc, vt & ſpeciebus ipſius, ſi ſic loqui poſſum, non ſunt omnes cauſæ, vt in illis. *Formam* enim & *Finem* quis quærat in illis, quæ Natura abiicit? Interim quorumdam eſſe abuſus quoſdam, iam non nego. Et hæc ego ex Naturæ libro, quem ille non aſpexit. Te verò obiter moneo, mi homo, conſideres diligenter, quæ heic de *pituitâ* ex *1. Gen. 18.* dicuntur *principio f. 62.* quibus addas licet Cæſalpinum, *5. Peripatet. 2. f. 114. b.* Ego hactenus ne ad veriſimilitudinem quidem peruenire potui! Tantò magis hoc fieri cupio, quod Bonamicus.

CAP. XXII.

324. Duplicem facit *pituitam*, nuſpiam lectam mihi, niſi ſit duplex *Ichor* Ariſtotelis, de quo ſcripta mihi ſunt *Collect. d.* Hæc verò inſignita fuerit inſolentia, tam facilè tranſſilientis ὀνομαθεσίαν vetuſtam! Tu verò, ô carum ca-

N

put, vide mihi *hoc ipso cap.* μεγάγγειαν stupendam de echinis, araneis, Sericis vermibus, apibus, aliis.

CAP. XXIII.

325. De *Cruditate*, hoc est, vt ego intelligo, de omni causâ morbificâ, incipit agere. Facit autem duas causas, alteram internam, alteram externam, quas typographus (ita enim putabo) ita obscurauit, texitque aliis nominibus, neque verò in Erroribus signauit, vt nemo intelligat, nisi quis v. 16. pro *Oblata* legat *Externa*, & seq. pro *Intestina Interna*. Qui cap. extremo catalogus est partium affectarum, imperfectus est.

CAP. XXIV.

Cruditatem naturalem, puto, vocat defectum, qui nos ab vtero vsque comitatur. Eius rei causâ satis multa cumulat de iusto nuptiarum die, cuius definitio ad Politicos pertinet. Vnum noto, quod alibi scriptum non reperi, Atyn, Crœsi filium semestrem, adeóque in cunis locutum esse, inclamando militem, qui patrem occidere volebat. Apud Herodotum certè alia omnia leguntur, quæ ego non describo.

CAP. XXV.

326. Videtur velle incipere frugi esse Bonus noster, & numerare excrementa secundùm coctiones: sed profectò labitur cum onere in ipso vestibulo. Primùm enim pro coctione agnôsse non vult elaborationem, quæ fit in ventriculo, propter hanc causam, quod nulla ibi fiat vllius excrementi separatio. Miseret me hominis, qui nescit, Galenum aliquando sub ventriculi nomine habere bulgam illam, in quam cibum & potum demittimus: aliquando non illam, cuius gemina sunt orificia, sed intestina quoque, quæ nihil aliud sunt, quàm ventriculus in longitudinem expansus. Et heic fieri secretionem boni à malo, tam certum est, vt nec vulgus ignoret, aliud esse chylum, qui assumitur à mesaraicis: aliud excrementa, quæ relinquuntur. Deinde, ne mentione quidem factâ duplicis excrementi, *crassi & tenuis*, applicat se duplici ichori Arist. *3. Hist. 19. 2. part. 4.* cuius memini nuper *cap. 22.* Tertiò iungit valdè dissentanea, cum alterum per se ait, necessitate materiæ cui calor debilis non sufficiat, & causet lienteriam: alterum per accidens, à calore ambientis nimio, qui vstulet cibos, & dysenteriam faciat. Hæc cur appellem *Dissentanea*, vides! Sunt enim contrarij effectus, qui vno præcisè tempore, in vnum idemque indiuiduum non cadunt. Quantò sapientius nostri, qui duplicem in cibo agnoscunt ἀλλοτριότητα, alteram, ob excessum substantiæ aqueæ, è quâ vtplurimùm fiat *Pituita tenuis*: alteram ob terreæ, quam calor ne aggreditur quidem, sed relinquit inalteratam, excretioni quippe debitam. Hoc duplex excrementum fuisse Veteribus valdè familiare, argumento est, quod pro potu quidem vterentur vel aquâ, vel vino valdè lymphato: pro cibo autem oleribus, sub quo nomine habeo, & olera ipsa, & radices & semina, seu legumina,

à quibus ſperes tu aliud quàm alterutrum excrementum? Accedit, quod panis ipſe, obſoniis additus, ſiue is puriſſ. ſit, ſiue domeſticus, vt Ariſt. opponit, prorſus inclinet ad alterutrum, præſertim in otioſis & vigilantibus. Hinc, ſi coniecturæ locus, cum ferè pituitoſi eſſent Veteres, nata fuit quæſtio, quæ tractatur

CAP. XXVI.

327. Vtrum ſecunda coctio poſſit emendare vitia primæ? Ego διαῤῥήδην nego, niſi lapſus ſit valdè exiguus. Bon-amicus diſtinguit, In priori caſu, vbi ὠμότης eſt, fieri poteſt: quia in ventriculo non fit ſubſtantialis mutatio: in poſteriori, quia μόλυνσις, non poteſt. Pax!

328. Disc. Ergóne concedis, noſtro quoque viuendi more, aut ſemper præcedere pituitam, aut ſemper adeſſe hoc excrementum tenue?

Præc. Ex noſtrâ oratione neutrum erueris. Vt enim alibi docui, In victu calido audeatne quis ſperare pituitam? Vbi ergo tum tenue huius coctionis excrementum? Satis eſt, ſi in pleriſque ſit. Neque enim circino heic opus eſt.

CAP. XXVII.

329. Cur agit heic de *Vomitu* & *Ructu?* Neſcio. Cur coniungit. *Quia duplex eius materia*, &c. An ſubodorabatur quid de duplici noſtro excremento? Efficiens duplex valdè impar. Flatus quidem, expultricem ſtimulantes, faciunt: at muſculi adiuuant. Qui verò muſculi? Non thoracis certè, ne quidem diaphragma: ſed abdominis. Vomiturientes enim ilia ſtatuminant. Ergóne actio erit animalis? Ex parte. At Bon-amicus Naturalem eſſe ait? Ex hypotheſi. Dixi ſuprà contra Valleſium.

CAP. XXVIII.

330. Heic latè exorbitat Noſter, vrinam iubens eſſe ventriculi excrementum. Tantum enim abeſt à vero, vt ne quidem ſit vllius partis proprium, ſed commune, vt prædixi. Sed Ariſt. id ſtatuit? *1. Hiſt. 2.* Non opus habere Interprete vel me vel Bon-amico: ſed correctore. Videtur enim locus talis eſſe, quales alij, qui Apellicontis Teij παραδιόρθωσιν experti ſunt, vt ſuprà dixi de tribus Cordis ventriculis.

CAP. XXIX.

331. Pergit errabundus Bon-amicus, & contra Galenum Medicóſque (inter quos Mercurialis, *1. de Vrin. 2. & 3.*) concludit, *f. 87.* Vrinam ſecerni poſt primam coctionem, nec vllo pacto vehiculi loco eſſe. Et ſubinde ſe explicans, *Noſtra ſententia* eſt, &c. quæ vide, & seriò conſidera, quâ re differat à Mercur. Et tamen concludit, *Videri ſibi hanc magis Peripateticam.* Dic age, ô Bone? Ego dico, abſurdum eſſe, quia renes neutiquam attingunt inteſtina. Dic verò etiam, Quo modo non ex Hepate eſt, cum ſtatim ſub illo *Emulgentes* hauriant ex vena caua? Addo, quomodo non ex Corde etiam, cum Emulgentes etiam ex Arteriâ magna ſumant?

CAP. XXX.

332. Excurrit in generationem calculi in corpore animato, látéque deducit sententiam Cæsalpini, 2. *Quæst. Med. vlt.* quamuis non meminit illius. Ait, fieri non à solo calore, sed & à frigore. Huic quia non consentiunt omnia φαινόμενα, adstipulari hactenus non potui. In rerum enim substantiâ si sit, vbi frigus? vbi, si in Hepate? Vidimus enim Patauij in Xenodochio, administrante D. CAMPANA, Hepar hydropicæ ostracosum, vt ille appellabat, in quod adactus culter strepebat, quasi lapidem secaret. Hæc res nisi frequens esset, non inuenisset nomen. Frequentem esse affirmat Matthiolus, *lib. 5. Epist.* Sed mittamus Hepar: in pulmonibus & ipso Corde inueniuntur, vbi heic frigus? Vide Ill. Sonnertum, *Instit. lib. 2. pag. 2. cap. 9.* Idem secutus PLATERVM, *3. pract. 7. sect. 1. cap. 6.* causatur exhalationem calidam & siccam, quod inde ratio reddi possit, cur in renibus & vesicâ tam frequentes sint calculi? Huic ego consensi aliquantisper: nunc non video, quomodo stem in vestigio per principium illud, VNVM QVA VNVM. Dico igitur, nisi exhalatio, tanquam efficiens, inueniat pituitam, tanquam materiam, nihil fit. Sed non omnis calculus est albus? Neque omnis pituita est sincera. Vide Χο. παθολ. *cap. 209.*

CAP. XXXI.

333. Redit Bon-amicus in viam regiam, & pertexit excrementa. Vbi statim notandum, laborare illum defectu, cùm ait, fæces aluinas esse reliquias terrestres chyli. Non enim terreum tantùm chyli hac vacuatur: sed & geminum secundæ coctionis excrementum, vt mox patebit.

CAP. XXXII.

334. Hic irascor primùm Bon-amico, quod iterum mutet τὴν κακοζηλίαν λέξιν, *Cruditatem* vocando Melancholiam. Deinde, quod concedit, fieri quidem coctionem in Liene: sed non explicat, quid sit id, quod coquit. Ego, cum antè multos annos chyli quandam partem huc deriuârim, constans etiamnum sum vel ideo, quia Galenum habeo ὁμόψηφον. Tertiò, quod Bon-amicus rectè quidem refutat cum Vesalio παλίρροιαν illam excrementi melancholici in ventriculum: sed non apertè damnat abusum illius in fame ciendâ. Quartò, quod nihil dicat de expulsione eiusdem. Omnes quidem amplexantur ingentes illas ambages, ex Liene in ventriculum, è ventriculo in gyros & circumuolutiones infinitas intestinorum, vsquedum per podicem cum reliquis huc destinatis elabatur: sed nemo vult videre compendiosam illam viam, quam ego monstro, per vasa rami splenici, in substratum ventriculo *Colum*, & inde foras in connatum *Rectum*. Atque hæc ita habent in naturâ, neque vlla est pugna, quæ conciliationem requirat.

CAP. XXXIII.

335. Ex hâc inſcriptione diſco, Bon-amicum *quoquo modo* agnôſſe duplex ſecundæ concoctionis excrementum. Ita enim eſt, quod pauci tamen nôrunt, ſecunda coctio partim in Hepate fit, partim in Liene, ideóque bilis quidem in Hepate ſegregatur: melancholia autem in Liene. Vide *lib. de Liene.* Vbi volo animaduerſum τὸ *Quoquo modo.* Diluit enim ipſe bonam de ſe conceptam opinionem, dum acceptat abuſum bilis antiquum & falſarium, arcendi Hepar à cupiditatibus nimiis. Tamen fatendum eſt, exculpare ſe ipſum, propoſito axiomate memorabili *ex 4. part. 2. In corpore non eſſe omnia vsûs gratiâ: ſed quædam fieri ex neceſſitate materiæ, vt bilis.* Corollarium quod addit, eſt inter inuerecunda huius autoris.

CAP. XXXIV.

Hæc inſcriptio prorſus eſt ἀφιλόσοφος, vt & res ipſa. Plura non dico.

CAP. XXXV.

336. Saltus planè Rhodius! ad ſternutationem! Poſſet tolerari, ſi explicaret veram rationem motus tam mirabilis! Pro expurgatione Cerebri (non autem diaphragmatis, cui tuſſis dicata eſt) inſtitutum eſſe non dubito: at quod ſit eius initium, quique progreſſus, vt tandem deſinat in conuulſionem muſculorum thoracis, iuxta cum ignorantiſſimis ſcio. Sed cur tranſcribis ſoli Cerebro? Quia Cerebrum, ob temperamenti frigiditatem, eſt *metropolis pituitæ* apud Hipp. *in Epiſt.* Ideo Natura ſecuit illi duas vias, alteram per os ethmoides ad nares: alteram per ſphenoides in palatum, in quo duo ſunt foramina ſenſui conſpicua.

CAP. XXXVI.

337. *Vara vibiam ſequitur*, vt in prouerbio eſt. Æquè enim admirabile eſt negotium lacrymarum, quod fluant ex contrariis cauſis. Bon-amicus nihil affert, quod me dimoueat ab iis, quæ ſcripſi *lib. de Humoribus.*

CAP. XXXVII.

338. Farrago inſipida! Agit primò de ſputo & ſaliuâ. Deinde de oſcitatione, ſingultu, & ſuſpirio. Singultus quia conuulſio eſt, deduco inde, gulam (cuius præcipuè affectio eſt) eſſe muſculum, cuius exterius corpus carnoſum conſtituat ventrem: interius & neruoſum, tendinem. Dubium illud, Annon ſingultus ſit potius pulmonis affectus? ſenſus diſſoluit. Nec diſplicet, quod Bon-amicus ait, In problem. Ariſtot. vitium eſſe.

CAP. XXXVIII.

339. Non intelligo inscriptionem. Quo enim modo vitia secundæ concoctionis in cute apparere possunt, præsertim *Satyriasis?* Interim testari possum, lichenem in brachio sinistro insignem curâsse me solâ venæ sectione in eodem latere.

CAP. XXXIX.

340. Quo modo *Sudoris & vrinæ* eadem sit materia, & tamen sit sudor σύντηγμα alimenti, quod iam agglutinatur non capio.

CAP. XL.

341. Et *Pili* & *Vngues* aluntur secundùm trinam dimensionem. Nec refert, quod sine dolore vruntur & secantur, eâ scilicet parte, quâ exstant è cute.

342. Ibi tum quasi attonitus DISC. tandem erupit in hæc verba, *Ignosce*, inquit, DOMINE, *quod minus attentus sum his rebus! Dum enim pensiculatius cogito, quàm longè hic Autor hactenus excesserit è σεαυτῷ, in quo tamen altus & educatus esse videri vult: eò magis fastidire incipio embammata hæc exotica, planè insipida.*

PRÆC. Meministi verborum illorum, *In re non magnâ?* Respiciunt enim factum quoddam PICCARTI olim nostri, qui in familiari colloquio, per occasionem ita, *Quæso te, Hofmanne, legisne etiamnum* BON-AMICVM! *Ego verò, hactenus non attigi, occupatus ferè in studio Botanico, vt scis. De me* (reddidit ille) *hoc habe, me prorsus alienum esse ab illo, partim, quod ab Interpretibus Arist. studiosè recedit, & noua quædam, inutiliaque comminiscitur: partim, quod tam latè à scopo euagatur, vt videatur*

Oblitus decorisque sui, famaque magistræ.

Quamobrem nuper vendidi vili precio, quod quiuis è nostro seminario possit meliora docere. Hæc ille tum: Quare etiam nunc quoque à nobis deserendum esse puto, & ad alium transeundum.

CAP. XV.

DE ANDREA LAVRENTIO.

LIBRI PRIMI

QVÆST. I.

343. VIde, sodes, infelicitatem hominis in primo limine! Concludit; *Ea tantum corpora nomine Partis insignienda esse, quæ sanitatis & morbi subiecta sunt; at ea sunt, quæ Dissimilares vocantur, à quibus actiones*

eduntur. Ergo similares non sunt partes. Verbo, Pars est vocabulum ab vno, adeóque Pars est, quidquid complet totum, *1. Meth. 5.* Hinc rectè damnat definitionem Argenterij, tanquam nimis argutam, & extra considerationem Medicam. Talis quoque Fernelij est, quantumuis illam commendet.

QVÆST. II.

344. Vide infelicitatem alteram in principatu partium! *Non possunt ab vno Corde esse Venæ, arteriæ, nerui.* Hem tibi consiliarium Naturæ! *Si primum & commune instrumentum, Calor, potest esse, quidni secundaria quoque?* Quo modo Arteriæ ex Corde sunt, sensu iudice, eodem Venas quoque esse, conuincam. Eodem sensu docebo, in Neruis propriè dictis in Venas & Arterias. Quod dum negat Laurentius, & ait, *Cerebrum nullam vim sentiendi & mouendi à Corde habere, βίαιος* est. Annon accipit vim vitalem apud Galenum? Annon spiritus apud Aristotelem, quos refrigerat? Ex his intelligitur, qualis in Corde quæratur principatus? Qualis in statu monarchico. Vt enim in hoc omnia pendent à Rege, & solus absolutam habet potestatem: ita in animali. Vt à Cancellario, Maiore-domus, Consiliariis hoc, illudve fit, sed mandante Rege: ita à Cerebro, Hepate, aliis, fit aliquid, accepto calore à Corde per vasa adnexa. Hoc dum concedit Laurentius (reliquas à Corde partes esse principes, non absolutè, sed secundum quid) cadit causâ, adeóque herbam porrigit. Cadit etiam, cum τὰ φωλεύοντα ait esse exsanguia. Hui verò, vrsus éstne exsanguis? Cadit etiam, cum testes annumerat, ratione speciei conseruandæ. De indiuiduo quæritur, non de specie. Summa, Quod maximè vrget Laurentium est, triplex principatus portat in tergo triplicem animam, & facit ex homine monstrum, quale Geryon fingitur. Hoc vlcus ille non tangit. Statim enim increpo illud Platonis, Arist. omnium Peripateticorum, omnium bonorum, sapientumque, *Quid vnit illas?*

QVÆST. III.

344. Intricatior heic est Noster. *Solidum* simpliciter est id, quod opponitur *Fluido*, hoc est, *Humori*, & est apud Hipp. illud quidem ἴσχον (μόελον) hoc etiam ἰσχόμενον. *Pars similaris solida* est illa, si Medicè consideres, quæ ad constitutionem dissimilaris, seu organi concurrit. *Numerum similarium* si venari voles, oportet distinguas primum, quod quædam illarum reuerà sunt tales: quædam illarum videntur tantùm, cum sint compositæ ex illis. In quæstione, quæ *actio sit similaris*, quæ *dissimilaris*, oportet iterum distinguas, Actio simpliciter dicta est totius organi, verbi gratiâ, Visio oculi: actio similaris est illius, quæ princeps dicitur inter componentes, verbi gratiâ, humoris crystallini in oculo. Distinctio partium in *humidas & siccas* est Physica, non Medica. Vt enim alibi dixi, partes apud Arist. simpliciter dictæ sunt illæ, quas *Solidas* etiam vocat ille: quæ verò *Humidæ*, peculiari nomine vocantur à Medico *Humores*. Distinctio inter *seminales & sanguineas*, Medicorum quidem propria est: sed iam falsi conuicta, vt dicam. Nimirum,

QÆST. IV.

345. Illa proponitur. Sed reuerà *seminales* seu *spermaticæ* inædificantur arenæ seu potius mari, cum in naturâ non sint. Nulla enim consequentia est, *Partes illæ sunt albæ, Ergo sunt ex semine albo.* Imò, in recens natis sunt rubræ. Sed & obstat illud, *Vnum non potest simul esse agens & patiens.* Hinc tot sunt προσθῆκαι pro defendendâ hac sententiâ: vt subitò faciant nauseabundum τὸν μετρίως πεπαιδευμένον. Quare disertè assertoribus in os dico, *Omnes partes sunt sanguineæ, omnes constant ex sanguine materno, omnes rubent ab initio, extra vterum omnes aluntur sanguine,* nisi fortè sanguis ille primùm fit semen, quod tandem nutrit. Nimirum, hoc obnunciant nobis illi, quibus frons periit. His habitis, pronus corruit Ioubertus, in

QVÆST. V.

346. Nec opus habet contradictione, nisi apud σπερμολόγοις. Eiusdem valoris est

QVÆST. VI.

Nec opus habet vnâ ratione contrariâ, nedum quatuor.

QVÆST. VII.

347. *Cutis* non est organum tactus, ne apud Medicos quidem. Et hoc *Volumus* Laurentiano opponimus. Vide, sis, *ἐγχ. φυσιολ. cap. 254.*

QVÆST. VIII.

348. 1. *Cutis* non est temperata: sed frigida & humida. 2. Alitur sanguine calido: sed substantificè alterato. 3. Oritur in vtero, vt reliquæ partes. 4. Non habet actionem, sed vsum. An est calida, vt sanguis apud Arist. κατὰ πάθος?

QVÆST. IX.

349. *Adipis* materia est pars sanguinis tenuis & aëria. Concrescit vbi Natura voluit, calidis & frigidis locis.

QVÆST. X.

Turpicula est, & sapienti viro indigna.

QVÆST. XI.

350. *Musculus* est pars similaris, & inter illas maximè composita. Galenus enim *2. Vs. part.* facit illum principem inter similares manus. At idem

lib.

lib. de Diff. 4. inter *instrumenta* habet? Senuit iam distinctio illa partium in Instrumenta: contrà conualuit illa in *Similares & Dissimilares*, quæ (diss.) solæ sunt instrumenta. Interim cum antiquis licet vocare musculum organum motûs. Sed quid ad rationes pro & contrà, vt solemus loqui? Sunt φλυαρίαι ἢ καυχήματα hominis arrogantis.

QVÆST. XII.

351. In *musculo* nulla est pars princeps: musculi toti, verbi gratiâ, brachij, sunt pars princeps huius actionis, apprehensionis.

QVÆST. XIII.

352. Litem de *ortu musculorum abdominis* obliquè descendentium non facio meam. Conciliationem locorum Gal. de situ, accipio. Vide autem χ. φυσ. *cap. 18.*

QVÆST. XV.

353. Licet in viris quoque sit ἀναστόμωσις illa vasorum mammariorum & epigastriorum: dici potest, primariò institutam esse propter consensum vteri & mammarum. Vide infrà *lib. 2. quæst. 10.*

QVÆST. XVI.

354. a. Laurentius agit virum, dum distinguit officium intestinorum publicum à priuato: frustrà autem est, cum adimit illis vim attractricem, ratione officij publici. Est ἀνεξερεύνητόν τι.

QVÆST. XVII.

355. b. Eiusdem sortis est hæc. At verò certa res est, intestina conferre aliquid ad perfectionem chyli, quod & eiusdem cum ventriculo substantiæ sit, & omentum illis incumbat, veluti definitur quæstione seq.

QVÆST. XX.

356. Mirabile quid habet de motu, qui Veteribus περισταλτικὸς dicebatur, de quo mihi abundè *Com. in 4. Vs. part.*

QVÆST. XXI.

357. Clysteres ad ventriculum vsque naturaliter ire posse nolo credere, obstante *Coli valuulâ.* Vnde concludo, si fiat, affectam esse valuulam. At verò clysteres nutrientes efferri ad Hepar vsque, apud me est inter ἀδύνατα, idque ob dictam valuulam.

QVÆST. XXII.

358. Fæces aluinas in craſſis inteſtinis deſeri à calore natiuo, & ideo fætere apud me nouum eſt. Habent enim craſſa quoque vaſa meſaraica. An igitur fœtor eſt à miſcellâ variorum liquidorum? Præter enim quatuor excrementa primæ & ſecundæ coctionis, ſeri etiam aliquid ibi eſt.

QVÆST. XXIII.

359. Quia ſenſus heic deficit, dandum eſt aliquid induſtriæ Naturæ, quam & Gal. celebrat *3. Fac. Nat. 13.* Chylus it ſurſum trahente Hepate: ſanguis deorſum, trahentibus inteſtinis. Fit hoc neque per diuerſa vaſa, neque diuerſo tempore. Naturalia enim opera non ſunt interrupta, præſertim in iiſdem genere partibus.

QVÆST. XXIV.

360. *Fames animalis* ſemper mihi fuit ſuſpecta, ſemper dubitaui de quinque illis ſymptomatis, ſibi inuicem ſuccedentibus. Vnica eſt fames naturalis, eáque in ore ventriculi, cum ſentit indigentiam, ob quam eſt αἰσθητικόν πως apud Gal. Sed quei fit? Non tam à calore ventriculi proprio, quàm Hepatis incumbentis illi. An autem admitti poſſit effatum noſtri, *In bulimo eſt fames ſine appetitu; in caninâ appetentiâ appetitus ſine fame:* DVBITO. Non enim differt appetitus atque fames aliter, quàm vt definitum & definitio.

QVÆST. XXV.

361. De *oris ventriculi* conſenſu cum Corde (vnde & καρδία dicitur) quæ dicuntur, omnia fiunt ratione neruorum ſexti paris Cerebri, ori dicto implicatorum. Huc referuntur etiam vomitus & alia ſymptomata, quæ in vulneribus Capitis quibuſdam ſe oſtendunt. Ego verò nondum perſuaſus ſum.

QVÆST. XXVI.

362. Heic magnas nugas operosè agit Laurentius. Dico paucis, ἡ χύλωσις, quæ nihil aliud eſt quàm [illegible] ſolidorum ciborum, non habet opus formâ peculiari: ſed fit à calore moderato, cibos commanſos ope potûs affuſi, colliquatis in liquorem lacteum, quem præ foribus iacentia inteſtina mox actu ſeparabunt in partem vtilem & inutilem. Vbi quàm venuſtum eſt, quod quatuor illas Hepatis ſubſtantias, vt loquitur, vocat excrementa! Hærent Galeniſtæ, tanquam mures in pice, quomodo appellent in ſpecie ſubſtantias, ne cogantur dare, nos excrementis nutriri! Ne videar tibi obſcurus, de ipſorum mente, quatuor illæ ſubſtantiæ alimentales, vt vocant, iuxta ſe habent quatuor alias excrementitias, vt iam octo ſint: quæ omnes quomodo fiunt diſtinctè ab vno Hepate? Tu ſi imaginari tibi id non potes, non miror, quia nec

ipſe poſſum. Vbi autem latet obſcuritas, in me, qui ſcribo, an in te, qui legis? Tranſeat verò! Vtro nomine ſunt, Alimenti, an excrementi? Laurent. qui poſterius acceptat, malam gratiam init apud conſecrancos. Nimirum, oportet tandem pudefieri illos, qui MENDACIO patrocinantur!

QVÆST. XXVII.

363. Ab hoc ſe liberat Noſter, diſertè negando, ventriculum chylo nutriri. Ego quia id ipſum ago *χ. φυσ. cap. 289.* meritò iam quieſco. Tota res conſiſtit in diſtinctione officij publici & priuati.

QVÆST. XXVIII.

364. Heic iterum Laurentius declinat in auia, *Venas ab Hepate eſſe.* Hunc ſi non confeci d. *χ. cap. 11.* non eſt, cur amplius quid exſpectes. Hoc miror, contra Veſalium quod leoninam induat miſer ipſe cuniculus. Si verbis ageretur res, poterat arrogantia huius hominis toti exercitui ſatis eſſe.

QVÆST. XXXII.

365. Mera ἀκαιροθαλογία eſt, *In venis, an in parenchymate Hepatis fiat ſanguis?* Quis enim vidit? Omnes tenet ſanguinea Hepatis ſubſtantia: at verò chylus non excidit venis! Breuiter, fit à calore Hepatis totius, qui calor in densâ illâ ſubſtantiâ longè fortior eſt quàm in ventriculo. Et quid tantopere ſoliciti ſumus de rubedine, quæ non minus accidens eſt in ſanguine quàm albedo in chylo?

QVÆST. XXXIII.

366. Spinæ heic quoque ſunt. Si enim in Hepate eſt peculiaris anima, quod Laurent. admittit, cur adimit illi *ſpiritum adminiſtrum?* Et affluit hic à Corde, & fit ὁμοῖος, non tam per exilem illam arteriam, quæ in cauis eſt, quàm per truncum cauæ, Hepati attenſum.

QVÆST. XXXIV.

367. *Veſicam felleam* trahere bilem, apertæ veritatis eſt. Hoc planè vult confirmatio ductuum cholagogorum, in omnes Hepatis angulos diuiſorum. Ali eandem bile credant illi, qui Cyſticas gemellas non vident. Familiaritatem bilis cum veſicâ admirentur illi, qui non diſtinguunt officium publicum à priuato.

QVÆST. XXXV.

368. Vtut Fallopius optimè ſit meritus de ſtudiis Anatomicis: cogor tamen me iungere Laurentio, qui errorem eius detegit in ductibus cholagogis. Quem errorem cum reſumpſiſſet IVL. IASOLINVS, *in ſcripto ſinguları quæſt. Anat. Neapoli 1573. in 8.* immiſcuit ſe D. CASP. BAVHINVS, doctor meus, cùm alibi, tum *1. Thea. 45.* Hanc ego trigam aggreſſus ſum

χυ. φυσιολ. cap. 111. & inprimis hoc oſtendi, Galenum nunquam ita ſenſiſſe. Sed neque conſentaneam eſſe ſententiam Naturæ libro. Inde igitur petant, qui volent.

QVÆST. XXXVI.

368. Ariſtotelis de vſu Lienis ſententiam heic *pueriliter & temerè* laceſſit Laurentius. Huic, vt & Vlmo, me oppoſuiſſe meo libello Lipſiæ edito anno 1613. noſtrum eſt. Nec minùs notum eſt, poſt decurſum anno 30. curante CL. V. D. IOH. VALÆO, Med. D. & P. in illuſtri Batauorum Leida, redditum fuiſſe prælo. Quod vt non improbo: ita laudo ingenuitatem viri honeſtiſſimi, qui hac ratione obturare voluerit ora maleuolorum, qui in angiportibus ſuis ſenſim mihi oblatrant, prodire tamen in publicum non audent, argumento certiſſimo, tacitè illos porrigere mihi herbam.

QVÆST. XXXVII.

369. Quid de hoc commento ſentiam, patet ex *d. tract. cap. 19. & ſeq.* Iam optem, Laurentium & eius ſectatores coacto concilio decernere quid certi, in quem ventriculi locum exactè *Vas* illud *breue*, vt appellitant, inſeratur, vt de abuſu ſucci illius melancholici ſtatui poſſit certi quid.

QVÆST. XXXVIII.

370. Agnoſco *d. tract. cap. 15.* hanc melancholiæ vacuationem: ſed perpetuò fieri per eaſdem vias, nec definiui tum, nec definire auſim nunc.

QVÆST. XXXIX.

371. Renes expurgare ſerum, quod erat vehiculum ſanguinis tam venoſi, quàm arterioſi, tam certum eſt, quàm certum eſt, præter venas *Emulgentes*, adeſſe etiam arterias. Sed, quo modo fit expurgatio? Meo iudicio, ſolâ renum tractione, quia & ſanguinis aliquid trahunt pro ſui nutritione. In ſtatu ſecundum naturam trahitur ſolum ſerum: in ſtatu præter naturam etiam alia, vt Laurentius ſuadet ex Hippocrate.

QVÆST. XL.

372. Ita quidem eſt, tam ſunt vicina ſymptomata doloris *Colici & Nephritici*, vt ab initio nihil referat: tu verò ſi diſtinctionem ex dictis venabere, falleris. Imò, calculus tam latet in obſcuro, vt nullum eius ſignum pathognomonicum ſit, antequam exeat. Hoc inprimis ambiguum eſt, qualis dolor ſit, acutus ſeu acerbus, an grauis ſeu grauatiuus? Tam renalis quàm veſicalis grauat tantùm, quamdiu quieſcit: at cum mouetur vel per vreteras, vel per οὐρήθρας, acerbiſſimus eſt. Sed quæ cauſa eſt ναρκης τῶ μηροῦ κατ' ἴξιν apud Hippocratem? Vnam cauſam tantùm agnoſco, compreſſionem τῶν ψοῶν. Vomitus & nauſeæ cauſa in calculo à Laurentio data, συμπάθεια, nimis longè abeſt.

Proxima causa in neruo est, qui è sexti paris Cerebri ramo stomachico ad renes fertur.

QVÆST. XLI.

373. Quemadmodum *renes* certò *trahunt* vrinam: ita vesica quoque vrinaria. Ex vesicâ enim explantati & sursum porrecti vreteres, quasi manu capiunt è renibus, & demittunt. Diabetis causa est calor renum præter naturam.

QVÆST. XLII.

374. Hoc primum est habendum, *sphincterem vesicæ* nequaquam facere ad expulsionem, sed ad retentionem. Fluit enim vrina illo laxato. Naturalis enim cum sit actio, musculus dictus facit, vt modulari illam possimus, quo verbo Cæsalpinus vtitur in respiratione.

LIBRI SECVNDI

QVÆST. I.

375. *Testes* à principatu remoui suprà vnicâ voce, *Species huc non facit.* Quod attinet mutationem temperamenti, quæ in eunuchis accidit, non fit illa, vel ratione testium, vel seminis, sed, vt *ex problematis Iacchini* dixi late, ratione motûs & agitationis insignis in συνουσίᾳ. Argumentum Galeni rhetoricum esse sinam, sophisticum non, licet elenchus sit τὸ μὴ παρὰ τοῦτο.

QVÆST. II.

376. *Testium vsus* Aristotelis exposui sigillatim, *lib. 4. de Gen. hom.* & ostendi, quia in iis, in quibus sunt, δέχονται τὴν σπερματικὴν περίττωσιν, *1. Gen. 4.* fieri id ad vlteriorem absolutionem in perfectioribus.

QVÆST. III.

377. Inanis est distinctio, & frustrà tecta Gal. scuto, aliud est *glans*, aliud *glandosum corpus*: vera est, & Gal. cognita *16. Vs. part. 2.* duplex est glandularum natura. Aliæ enim sunt fulcra tantùm vasorum diremtorum: aliæ gignunt succum, animali vtilem. In posteriori ordine Testes sunt.

QVÆST. V.

378. Rectè determinat Laurentius, *penis erectionem* esse actionem mistam. Ratione enim præuiæ imaginationis est Animalis: ratione vaporis implentis, Naturalis. Inter erectionem naturalem & Priapismum, videtur esse analogia illa, quæ est inter Motum voluntarium & Conuulsiuum. Ille enim à spiritu animali est: hic à vapore crasso & præter naturam.

QVÆST. VII.

379. Fabula profectò est, quamuis Galeno celebrata *14. Vs. par. 6. Genitalia feminæ differre à masculis situ tantùm.* Hermaphroditarum alia est ratio. Licet enim contingat Naturam errare, dum condit vtraque genitalia: ferè tamen perficit posteà alterutrum. Huic si accedat alter error, matrum seu obstetricum, vt non rectum ferant iudicium de præualente sexu, fieri potest, vt alter sexus posteà se ostendat. Hinc aliquando fit; vt

Vota puer soluat, quæ femina vouerat.

Alia rursus ratio est *feminarum barbatarum*, nondum (credo) à quoquam patefacta. Nam quod Noster de mœrore dicit, ἄλογον est. Locus est *8. in 6. Epid.* de Phaëthusâ & Namysiâ, vbi Vallesius silet, Martianus saltum facit. In meâ adolescentiâ publicè vænibat icon puellæ barbatæ, quæ in aulâ Græcensi Caroli, Archiducis Austriæ, nutriebatur. Sint monstrosa, vno verbo.

QVÆST. VIII.

380. Non minus fabulosus est *vteri motus*, de quo ex Hippocrate, Platone, & Aretæo. Credo, quidquid huius est, à flatibus esse, diaphragma prementibus. Motus contractionis in prægnantibus in confesso est. Conuulsorius in hystericis, dubius. Tertius & mistus hactenus mihi incompertus est.

QVÆST. IX.

Perquam mirabile est, quod experientia quotidiana confirmat, vterum percelli *Odoribus!* & quidem moscho, zibetto, & aliis huius generis tantum non efferari: asâ autem, castorio, aliis fœtidis sedari! Nec Laur. nec quisquam alius hactenus mihi satisfecit. Cupio & hoc intelligere, quod à præceptoribus Patauinis habeo, Cur adeo oblectetur *dulcibus*, etiam inodoris, verbi gratiâ, melle, saccaro, præcipuè in insessibus?

QVÆST. XII.

381. Odiosè exsultat heic Laurentius contra Aristotelem & Galenum, quod femineum sexum dixerint *imperfectum*, παρέκβασιν, πήρωμα! Sed profectò est exaggeratio Oratore dignior quàm Philosopho-Medico. Dixi satis *Com. in 14. Vs. part.* quid velit vterque dux noster.

QVÆST. XIII.

☞ 382. Affinis huic est altera, Vter *sexus sit calidior?* Videtur autem rhetoricis suis flosculis Tullium superare velle, qui tamen pro mare concludit tandem, vt ego quoque *1. Gen. hom.*

QVÆST. XIV.

383. Apparet iterum in habitu oratorio, & non ſine ſolennitatibus definitionem *ſeminis*, exſtruit, omnibus numeris abſolutam, ſi Diis placet. Sed ſit: in hoc certè errat, cum in fine ait, ſeminis naturam eſſe igneam & aqueam. Quo enim modo ſimul ſtabunt, cum ſymbolum non habeant? Ego dico, aëriam eſſe, quæ tamen ignea dicatur aliquando, ob caloris gradum. Ita quadrant omnia.

QVÆST. XV.

384. Apparet denuo in eodem, & probare ſatagit, *ſemen non decidi à toto*, neque à Cerebro eſſe, quod Hippocrates & alij voluerunt: ſed generari quidem in partibus ſpermaticis, affundi autem ſpiritus à partibus principibus, præcipuè à Corde. Quâ in parte totus illi conſentio.

QVÆST. XVI.

385. Perſeuerat etiamnum in eodem, & vult probare, *Feminas habere proportionatum huic ſemen.* Alioquin enim verum ſemen femineum apud Ariſtot. eſt *ſanguis maternus.* Ego verò in toties laudatis *lib. de Gen. hom.* triplicem facio concluſionem. I. Subſtantiam illam albam, quæ in quibuſdam reperitur, non eſſe ſemen, niſi analogicè. II. Eidem ſubſtantiæ nullum eſſe aditum ad vterum. III. Neque ſi habeat, γόνιμον eſſe. Ibidem detexui fictitios vſus eiuſdem ſeminis. Iámque addo, Adraſteam non ſiuiſſe quieſſe Laurentium, ſed coëgiſſe fateri *2. Hiſt. 7.* diſparitatem teſtium, vt & *quæſt. 7.* abſentiam tam παρεστώτων κηρυκωδῶν, quàm παρεστώτων ἀδηνωδῶν.

QVÆST. XVII.

386. Nihil mutat in habitu, pertendítque, *ſemen maſculum* habere in ſe non tantùm principium actiuum, ſed & materiale. Oh, hoc per rerum naturam fieri non poteſt! Quò deducit nos principium ἄφυκτον, *adeo certum, vt non habeat inſtantiam.* VNVM QVA VNVM, non poteſt ſimul agere & pati. Miraris, quei Veteres venerint in has abſurdas cogitationes? Statim expediam te. Diſputabant, hoc vſi dilemmate, Semen, aut manet in vtero, aut dilabitur; Si manet, vt manet, oportet fiat inde aliquid. Quid autem niſi partes ſpermaticæ? Huius concluſionis neceſſitatem tollit ſubitò explicatio falſaria τῷ διαλύεται ἢ πνευματοῦται. Quo modo enim ſimul dilabitur ſeu euaneſcit, ſimul conſtituit partes ſpermaticas? Ego autem in portu ſum, Manet, & διαλύεται, quomodo coagulum in caſeos, vt ſæpe me explicaui. A Gal. autem ſciſcitor, quomodo ἄχει ἐνίαυτης appellare Ariſtotelicos huius explicationis autores, cum ipſe ſequatur illos? Cogita vtrumque ſi ſenſum communem habes?

QVÆST. XVIII.

387. Neglectis, quæ dicit ille, apprehendo duas Hippocr. voces principio *lib. περὶ γονῆς, ἀφρέει ἢ κλονέει*, quas ita explico. Vt sanguis arteriosus φρύζει ob copiosos spiritus, vel, quod propinquius, vt riuulosè fluit etiam venosus, idque ob d. causam: ita semen cum impetu salit. Hoc modo *naturalis* est motus.

CAP. XX.

388. *Sanguinem menstruum*, in bene sanâ muliere peccare solâ quantitate: nunc reuocat me hæc Experientia, oculis à me vsurpata: Virgo floridissima, quo tempore menses habebat, speculum ita infecit, vt retrorsùm plumbum absceederet, & fieret tantùm non inutile. Vidi etiam, floccum bombycis, quem anus in bulgulâ gestârat, non ardere, & ideo à Chirurgo abiici, longâ experientiâ edocto.

CAP. XXI.

389. *Morbillos & variolas*, esse reliquias sanguinis materni credo: cur tam serò se ostendant, NESCIO.

CAP. XXII.

390. *Motum mensium* sequi motum Lunæ indubitatum apud me est: sed non fit in omnibus eodem quadrante, multò minus eodem die. In meis domesticis vidi, singulis mensibus anticipâsse vnum diem, adeoque per annum tredecies purgatas fuisse. Ita in eodem indiuiduo apparuisse oportet modò in nouilunio, modò in plenilunio, & sic deinceps.

QVÆST. XXIII.

391. Trimembris hæc dubitatio nec me, nec quenquam Peripateticorum quidquam tangit. Nullam enim actiuitatem habet semen femineum, etsi admittatur.

QVÆST. XXIV.

392. Apud Aristotelem vterus tantùm est ager Naturæ.

QVÆST. XXVI. XXVII.

393. Non est opus tragico illo schemate, Solus DEVS nouit. Scimus ex ouis incubatis, generationem esse opus successiuum, in quo Cor habet primum locum, &c. Illud de membranis, πάρεργον est.

LIBRI

LIBRI TERTII

QVÆST. I.

394. Conſenſum præbeo illis, qui mammarum primarium vſum eſſe dicunt lactis generationem, & quidem ex ſanguine. Quæ enim Martianus *in Hipp. lib. de Nat. pu. Romæ 1626. in f.* ſcribit, de cibis nondum mihi perſuaſerunt.

QVÆST. II.

395. Non placet diſtinctio inter *lac verum & non verum.* Ariſtoteles enim cum aſſeclis de vero loquuntur, quod nutrit, inquam. An Martiano concedi poteſt, dilui quidem liquore ex ventriculo tranſſumpto, vt copioſius ſit κτ̀ φαντασίαν tantum: non verè augeri.

QVÆST. IX.

396. Heic verò Laurentius magnum & memorabile quid affectat, cum probare nititur, *Vitalem facultatem Galeni reuerà diſtinctam eſſe* ἀπὸ τῆς φυτικῆς, ἢ θρεπτικῆς Ariſtotelis. Sed reuerà non facit impunè. Habet enim Adraſteam ſubitò in veſtigio, *Sit iſt ihm in eiſtn,* vt milites noſtri loquuntur. Hoc vbi probâro, perſuadebo mihi, occubuiſſe Laurentium cum Titanibus iſtis, quos *Com. 2. de Thor.* confeci. I. concludit, *Eſt igitur peculiaris quædam in nobis facultas, ſpirituum vitalium procreatrix, per quam vita conſeruatur, non eſt tamen vita.* Hæc προσθήκη quid ſibi vult, mi Laurenti? Quò magis intueor, eò dignior mihi videtur Apolline Loxia. An Adraſtea vox eſt, quam malus quidam Genius corrupit in contrarium ſenſum? Rides? Non tamen ridebis, quod ſequitur, *Supereſt igitur, vt ad Vegetantem referatur.* Et mox, *Nos cum Ariſtotele, Vitalem à Vegetante non diſtinguimus.* Et iterum, *Cum tamen reuerà non diſtinguantur.* Vis quid clarius? Non datur, triplici ſcilicet aſſertione, tanquam triplici ſcuto fultum?

QVÆST. X.

397. Negotium *facultatis vitalis* apud pleroſque omnes intricatum eſt, vt & apud Laurentium. Hoc alibi ita expedij. Cor (vt & ouum fœcundum) vnum eſt ἀφῇ, non φύσει. Vtrobique enim duæ ſunt φύσεις, quarum altera formalis eſt, altera materialis. In ouo, illa quidem eſt ſemen galli, quod quia in duas partes diuiſum eſt, χαλάζας vocauit Ariſtot. hæc autem, itidem duplex, attamen cum ſuo vitello. In Corde *duplex* eſt *calidum*, vnum quidem ἔμφυτον, quod formale eſt, reliquiæ ſeminis paterni, ſubſtantiâ aërium: alterum autem σύμφυτον, quod materiale, pars elementorum calidorum, ex quibus Cor factum eſt. Iam, vtrum præſtat motum Cordis, vno verbo, pulſat? *Formale* illud, quod ſubſtantiâ quidem eſt: calore autem ita exaltatum, vt κτ̀ μίμησιν τῶ ἀεικινήτου, καὶ αὐτοκινήτου πυρὸς, *imitatione ſemper: & per ſe mobilis ignis cæleſtis,* vt ex Ga-

leno & Gregorio Nysseno loquutus sum, semper sit in motu sursum & deorsum, quorum illud à respiratione est, hoc à pulsu. Quâ ex oratione veneris in eas cogitationes, τὸ ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ non consistere in calore moderato, vt plerique explicant, sed in lumine & motu. Ex his paucis habebis veram causam motûs huius, quam si ex multis illis Laurent. exsculpere poteris, gratulabor. Ego vnguem imprimo, & pro Adrasteas voce iterum declaro illa *f. 445. pendere motum à facultate vitali, quæ naturalis sit.* Nec refert, quod dicit, *Naturale* esse, quod *Voluntarium non est.* Hoc enim sensu apud Aristotelem, & respiratio & pulsus est naturalis, quàtenus *Natura* & *Anima* distinguuntur. Si libet tibi ἀκριβοῦν, est *Actus*, non vlla *Facultas*, vt suprà dixi.

QVÆST. XI.

398. Iterum satis multus est Laurentius in illo, *Cordis & arteriarum motum concurrere in idem tempus.* Ego χει. φυσιολ. *cap. 49.* Erasistrato me dedi, securus quid Galenus oppedat & socij.

QVÆST. XII.

399. Iterum expandit homo alas suas pauonis ad instar. Ego nihil moratus verba, redeo ad χει. φυσ. *cap. 55. & 56.* vbi Columbi sententiam tueor.

QVÆST. XX.

Iam suprà hæc discussa fuit.

QVÆST. XXII.

400. Pulmonum motum pendere à vacuo consensi d. χει. φυσιολ. *cap. 73.* nec intereà occurrit melius quid.

LIBRI QVARTI

QVÆST. III.

401. Nisi fallor Aristotelem & Galenum ita vsu Cerebri ita conciliaui *in Diatribâ peculiari*, vt contenti esse possint boni & non pugnaces.

QVÆST. IV. & V.

402. Idem conatus sum in principio neruorum d. χει. φυσ. *cap. 20.* Faciat vnusquisque, quod volet: ego neminem cogo: In transmutatione Colicæ in Paralysin stat sententia ὁμωνύμου mei Archiatri Brandemb. *apud Cratonem in Consil.*

QVÆST. XI.

403. Motum Cerebri proprium, nisi fallo me ipsum, ita conculcaui *Com. in 8. de Vs. part.* vt non putem, quemquam in posterum mutiturum.

DE ALOYSIO MVNDELLA.

CAP. XVI.

404. SCRIPSIT is Epist. Med. *Bas. 1538. in 8.* quibus annexuit *annotationes in Examen simplicium Brassauolæ*, quod impressum est Venet. 1545. de quo pauca.

I. *Fol. 509.* insurgit in Brassauolam dicentem, *Rha-Pont. & Rha-Barb.* esse res diuersas, vt loquitur *f. 21.* Ille verò, Manardum sequutus *5. Epist. 5.* asserit, *Diuersas quidem esse, sed non specie, verùm solo loco natali.* Huius vestigiâ calcantes nos, *lib. 1. Officinal. Medicam. cap. 29.* (quod quidem Opus meum magni mihi laboris, & multarum vigiliarum, propediem prodibit in lucem Parisiis editum, cura & studio viri Illustriss. GVIDONIS PATINI, *Doctoris Medici Parisiensis*, amici mei magni, cuius in me amori & beneuolentiæ, dum Germania nostra tam diutino bello opprimitur, *Manuscriptum* meum, vt typis illic mandaretur, non inuitus commisi, & ante sex menses per virum Clariss. alterum Achatem meum, CAROLVM SPONIVM, *Doctorem Medicum Lugdunensem*, transmisi) probamus, *Rhabarbarum* quidem esse radicem Lapati Chinensis: *Rhaponticum* autem Thracici. In vtroque habeo consensum Illustriss. Bauhini *in Pinace f. 116.* vbi *Rhabarbarum* quidem stat primo loco, cum catalogo eorum Botanicorum, qui recipiunt: *Rhabarbarum* autem tertio, & est id, quod Alpinus describit peculiari opellâ Patauij 1612. & cum aliis Exoticis, *lib. 1. cap. 9. Venet. 1628.* Interim pleræque Officinæ pro Rhapontico habent quintum illud Bauhini, quod in Matthiolo pingit sub nomine *Rhapontici folio Helenij incano.* Aliæ verò etiam *Centaurio maiore* vtuntur illo, quod statim sequitur apud Bauhin. 1. in ordine.

405. II. *Fol. 517.* de *Chamæmelo dubium* mouet non contemnendum, licet aliis secus videtur. Πηγάνου folia tribuit illi Dioscor. licet minora, & sequitur Plin. Ego ne sic quidem comparari posse video. Pena subindicare videtur πυρέθρου legendum esse.

406. III. *Fol. 518.* dubitat de *vi narcoticâ violæ Martiæ*, quam Mesue illi tribuit. Brassauola dicit, habuisse se codicem, in quo *Optima* legebatur, quod damnat Mundella. Quidquid sit, ego, autoritate Cæsalpini, *in Arte*, syr. viol. simpl. in febribus malignis pro soporifero sæpe feliciter vsurpaui, dosi vnc. iij. aut iiij. cum aq. still. eiusdem violæ. Epistolas ipsas, vt neque Dialogos, *Ib. in 4.* non attingo. Putent enim.

DE PETRO-ANDREA MATTHIOLO.

CAP. XVII.

DE magno in Dioscoridem Opere non sum solicitus: *Epistolas* strictim tangam.

407. I. *1. Ep. 1. 112.* contradictionem proponit Gal. de Aloë. 8. κ. τόπ. 2. dicit, *illam non admodum purgare:* at *lib. de Ther. ad Pis. purgare totum corpus.* Respondet Iul. Alex. *Liber non est Gal.* Rectè. De *Trifolio asphaltite* quæ subiungit iam mihi examinata sunt *in Variis*, Lipsiæ impressis in 8. quo tempore non videram, quæ heic scribuntur.

408. II. *Ib. Ep. 2.* alteram meditatur contra eundem de *Macere*, de quo scribit 7. *Simpl. Non insigniter calefacere.* At 6. κ. τόπ. quà de compositione δῐὰ ῥοιῶν, *Multum calefacere.* O Matthiole, si Græcè didicisses, carere potuisses hoc pudore. Ostendo enim tibi in loco posteriori τὸ καλῶς, quod non semper *Egregiè* significat, vt Cornarius putat, sed aliquando *Sufficienter, Satis multum.*

409. III. *Ib. Ep. 3.* dubitat, *quomodo pulmones per renes purgentur?* Non abhorreo quidem à sententiâ I. Alexandrini: sed veram esse puto Anatomicorum recentium, quos nominat, qui viderunt, τὴν ἄζυγι venæ cauæ in pectore ramum desinere in Emulgentes. Quâ de re videris *Bauhinum, 2. Thea. 18.*

410. *Ib. Ep. 2.* inconstantiam obiicit Galeno, qui 4. *Meth. 5. hordeaceam farinam* fecerit calidam, cum alibi *hordeum* faciat frigidum. Respondi Notis in eum locum, non est idem dictu hordeum ἡ ὠμήλυσις, aut seorsim ὠμὴ λύσις: non est etiam idem dictu ὠμὴ λύσις, καὶ ὠμήλυσις κριθῶν. Vide, post Foës. *in Oecon.* Fabium Pacium *in lib. cit. Meth.* & Iul. Alex. *Epistola sequenti.*

DE MVND. MVNDINIO.

CAP. XVIII.

QVIA spes erat, me intereà habiturum ex Italiâ scriptum huius viri *de Geniturâ*, quod extremo subtilitatum suarum carpit Parisanus, volui esse illum αὐτόπτην eius esse. Verùm, quia nemo amicorum hactenus vidit, EAT, QVO VOLET.

Finis Exercitationum Iuuenilium.



CASPARI
HOFMANNI
ANT-ARGENTERIVS.
III.
LECTOR.



QVISQVIS *es, sis certus, ne nunc quidem aliam scribendi causam habere me, quam dudum,* VERITATIS iubar latius extendendum. *Cum enim fas piumque non sit claudi illam angustis Norici terminis, id verò non fiat vnico aliquo libello, quem exoptant illi, qui subitò ditescere volunt: consultius visum est mihi, varios comminisci, vt hic quidem obuiet illi, alius alÿ, quo duce perueniat bonus omnis ad scopum, ad quem conditi sumus homines.* GLORIAM DIVINAM. *Quâ voce monitus, noli putare, perinde esse quid sentias: imò patere tibi persuaderi, omnes errores, quà tales, temerare maiestatem Dei, & fore vt respondendum sit in extremo iudicio vnicuique nostrûm de omnibus* VANITATIBVS, *multò maximè autem* TIBI, TIBI, *inquam, qui calumniaris. His cogitationibus intentus, tantò alacrior fio ad persequendum officium, quò maior est gratia diuina in me in extremâ hâc senectâ. Ergo cum, post absolutas* Exercitationes, *sub manus mihi venerit grande Opus* IOAN. ARGENTERII, Francofurti elaboratum, 1610. ab Offenbacchio quondam nostro, *tam non tergiuersandum mihi esse ratus sum, vt gauisus sim potius, dari mihi occasionem vlteriorem* MONENDI, *quod hactenus tribuerunt mihi boni, sapientesque, & quidem seorsim. Tantò magis quò maior heic necessitas in eo, qui publicè* NOVATOR *audit. Fuit is, vt ipse*

præscribit libris quibusdam, Pedemontanus, *qui olim Allobroges, vt puto, sed magnam partem æui in Italiâ consumpsit. Cæpit scribere circa* A. C. 1550. Pathologica *quædam, quibus se opposuit* IVLIVS ALEXANDRINVS, *Medicus Cæsareus, Venet.* 1552. *in* 4. *His, sub nomine* REINERI SOLENANDRI, *vt quidem* COMES MONTANVS *refert, respondit* ARGENTERIVS, Florentiæ 1556. in 8. *Huic iterum paria fecit, vt significat, idem Montanus*, ALEXANDRINVS. *Verùm ego neque vidi, neque videre cupio. Procul enim dubio sunt in eorum censu, quæ* nimium altercando Veritatem destruunt. *Vt enim prouerbium Italicum habet*, Chi troppo sottiglia, scauezza. *Sumo igitur in manus Autorem ipsum, & quasi fugiendo, quomodo Canem è Nilo bibere dicunt, noto, quæ necessaria videbuntur. Hæc volui.*



ANT-ARGENTERIVS.

Comment. in Artem-paruam.

LEMMA I.



SÆPISSIME miratus sum, ſcribi à noſtris tot Comment. cum Gal. non ſit. Sed cuius eſt? Vel Herophili, vel Herophilei cuiuſdam. Habebant enim peculiares ſcholas, vt de Strabone habemus. Potiſſimum argumentum petitur à Neutro ſtatu, cuius pater Herophilus. In hoc Commentatores iſti ſudant vſque ad vertiginem, neque vllum vſum oſtendere poſſunt. Quanto præſtabilius erat acceptare *Sanitatis latitudinem*, qnam Galenus ſubſtituit, quod in illâ omnia ſint plana. Nimirum, heic omnes ſunt ſani, qui ὀρθοβάδιοι, *ſolang & copſ ebor ſich gehet*. Hinc etiam petitur ſumma Medicinæ diuiſio, εἰς ὑγιεινὴν καὶ θεραπευτικήν, quam alibi induco.

II.

Non minus miror cur tantæ cieantur procellæ de *genere* Medicinæ *Logico*, Vtrum *ars* ſit, *ſcientiave*, an potius *miſta quædam facultas* ex vtroque? vt Argenterius, *f. 64.* Vno verbo, ARS eſt. Omnia enim referuntur ad finem, quem quæcunque non habent, Logica ſunt, imò Sophiſtica apud Galenum. Sed quid obſtat, Argenteri, quo minus mera ars ſit? Quia non omnia pendent ab arte, ſed quædam ab artifice. Eho! ſúntne omnes artes eiuſdem naturæ? Imò, quædam ſunt δυνάμεις, vt ex Alexandro docui, *principio Inſtitutionum Medicinæ.* Et his nunc acquieſco.

III.

Ringuntur, qui audiunt, *Medicinam dici coniecturalem.* Noſter auertit conuitium, vt putat, ab arte ad artificem. Subtiliter profectò! SCHERBIVS, ὦ πόποι, diceret, *Medicina non eſt Ars ſimpliciter dicta, ſed coniuncta cum Prudentiâ*, quales ſunt omnes δυνάμεις dictæ, *Inſtit. l. c.* Quamobrem ſi conuitium eſt, redundat etiam in Politicum, agricolam, ducem militiæ, gubernatorem nauis, &c.

IV.

Ringuntur non minus, qui *Subalternatam* eſſe nolunt. *Argenterius l. c.* ait, ſubalternatam eſſe Philoſophiæ, remoto fine. Quo quid ridiculum magis? quid monſtroſius? Conſiſtitne ars vlla abſque fine? Credo dicere voluiſſe Phyſicæ. Tum verò ars erit ſubalternata ſcientiæ, quod abſurdum eſt. Sed non ſit. Habet vtraque demonſtrationes de corpore humano, ſed diuerſiſſimas. Phyſica aſſumit ex omnibus cauſis: Medicina ex fine tantùm. Quod amplius eſt, Phyſicus finem intuetur ſimpliciter: Medicus refert illum ad opus ſuum. Huic vicinum eſt alterum conuitium, vt illi quidem æſtimant, *Medicina eſt Naturæ miniſtra.* Reſp. Dignitas famuli pendet à dignitate heri. Sic ſutor Imperatoris vult præſtare dignitate Cancellarium Bauari. Sed ita eſt, *Medicina* in ſuo genere eſt *Architectonica*, vt explicat Galenus, *5. in 6. Ep. 1.* αἱ φύσεις, &c. Quæ porrò dicit Argenterius de cognatione Medicinæ & Philoſophiæ, nugatoria ſunt. Toto genere differunt.

V.

Multò nugaciora ſunt, quæ longâ oratione perſequitur de ſubiecto Medicinæ. Solus homo eſt ſubiectum Medicinæ, *quatenus alterabilis ad ſanitatem & morbum.*

VI.

Similis ſui eſt Argenterius in fine Medicinæ. Res breuiter ita habet. Finis eſt duplex, ᾧ & οὗ. Hic eſt *Internus*, & Sanitas dicitur: ille *Externus*, & *Actionum integritas.*

VII.

Quid video? In partibus Medicinæ planè Pyrrhonius fit, adeo neſcit, quò ſe vertat. Rectam quidem inſiſtit viam, cum negat cum Bapt. Montano, vllam eius partem eſſe *Theoricam*, vt loquuntur: totam autem eſſe *Practicam*, latè accepto vocabulo. Interim non expedit ſe, cum non poteſt diſtinguere *conſiderationem Phyſicam à Medicâ.* Phyſicus conſiderat Sanitatem & Morbum, tantùm vt πάθη corporis naturalis, neque aliam ob cauſam, quàm vt ſciat: Medicus ideo, vt conſeruare poſſit *Sanitatem*, pellere *Morbum.* Vtrumque vt fieri poſſit, pluribus indiget methodis, quarum hæ quidem faciunt, vt Medicus ſit: illæ autem, vt Medicè operetur. Has qui non omnes didicerit eo modo, quo ſcripſi in θ. 1641. (explicatur ea res *in Inſtit.* quoque) nunquam erit Medicus. Adeo operoſa res eſt Medicum eſſe, vt dixi in Epiſtola liminari ad amicum meum eximium GVIDONEM PATINVM *Doctorem Medic. Pariſ.* præfixa *meis Officinalibus medicamentis.* Harum difficultatum expeditionem iure quidem exſpectes à definitione Herophileâ, *f. 85.* ſed ſpondeo tibi, te neque ex Manardo, cuius ſententiam producit Argenterius *f. 86.* neque ex Montano, cuius exſtat *f. 89.* neque ex Acakiâ, *f. 92.* neque ex Argenterio, *f. 104.* accepturum, adeo ſubtilitatum magiſter, Herophilus; vt quidam

quidam vocant illum ex Plinio, *lib. 11. cap. 37.* extr. homonymiis inuoluit! Et hæc ſufficere poſſunt bonis.

VIII.

Heic riſum excutit mihi vetus dicterium,

Ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ἔχιν, δράκων οὐ μὴ γενήσεται.

Fernelium nouatorem accuſat nouator Argenterius *f. 176.* quod nouam confinxerit definitionem, per quam partes quædam non erunt partes. Quid igitur ſunt? inquit. Accidentia fortè. Cur igitur Ariſt. & Gal. è numero partium quædam excludunt? Non ſemper de eodem toto loquuntur. Nihil eſt. Τὸ *Pars non eſt genus vniuocum*, ſed æquiuocum, ſeu vocabulum ab vno, nec poſſunt de illo prædicari æqualiter omnes. Ideo *pars eſt, quidquid complet totum*, ex Galeno, *1. Meth. 5.* Hinc apud Hippocratem eſt pars vel *Continens*, vel *Contenta*, vel *Impetum faciens*. Quibus aliis vocibus explicet Galenus, notum eſt. Atque huc tandem peruenit Argenterius ipſe.

IX.

Vicina huic quæſtio eſt, Quæ ſit *definitio partis ſimilaris?* Notum eſt, quid ſit ſimilare apud Ariſtotelem: ſed id huc non facit. *Similaris* heic *pars eſt, quæ non eſt diſſimilaris ſeu organica.* Hinc fit, vt ſimilares partes quædam reuerà ſint ſimilares, hoc eſt quarum ſingulæ partes eiuſdem ſint naturæ cum toto, idemque nomen habeant: quædam ſint ad ſenſum tantum, hoc eſt, ideo, quia ad conſtitutionem organi alicuius concurrant, vt alibi fusè me explicui.

X.

Inſignitè errat Argenterius, *f. 179.* & qui idem patrant, cum texit tam longam *Elementorum* telam. Docuit enim præceptor S T V P A N V S, eſſe inter præſcita, quæ adoleſcens affert ſecum ex ſcholâ Phyſicâ, quibus inædificat *Temperamenta*, quæ reuerâ primum locum tenent in Phyſiologiâ Medicâ. Ita loquor propter differentiam conſiderationis Phyſicæ & Medicæ, de quâ dixi. Peccat etiam in principia Medica, cum pſeudo *Hippocr. 1. de Nat. hum.* concedit, humores eſſe vocandos *Elementa*. Iam enim verus Hipp. *in Epid.* recenſuit inter *Partes*, totum corpus conſtituentes, ἰσχόμενα μόρια vocans, quæ poſterior ætas ſeorſim à Partibus *Humores* appellauit, vt diſtinctior & aptior eſſet doctrina, veluti decor Artis requirit. Peccat etiam in eo, quod *f. 198.* *ſanguinem* facit ex quatuor partibus, quibus nomina excrementorum affingit. Hei mihi, quantum confuſio ſemper nocuit omnibus diſciplinis! Ea verò tantò eſt deteſtabilior heic, quod contraria miſcentur? Abſcindo igitur totam hanc *de Elementis* farraginem, & tanquam faſcem inutilem ceruicibus demo adoleſcentum.

Q

XI.

Venimus ad *f. 200.* quo Argenterius verè vir sapiens est! Vide iterum infrà *f. 415. & f. 567.* Acturus enim de proximis corporis humani principiis, *semine, tanquam efficiente, & sanguine, tanquam materiâ,* ita rebus suis consulit, vt videatur altus & doctus in scholâ Peripateticâ hodie dictâ, hoc est in Asclepiadum familiâ, è quâ prodiere Hippocrates olim & Aristoteles; quorum ille quidem secreta Medica vulgauit, hic autem Philosophica. De semine quidem disertè asseuerat, *habere solam efficiendi rationem, nec quidquam ex illo fieri, sed contabescere:* sed opus habet candido interprete. *Nihil ex eo fit,* & nulla pars spermatica, sed *Calidum natiuum,* quod in Corde stabulatur. *Contabescit,* id est dissoluitur, διαλύεται, *instar coaguli.* Nam & hoc simili vtitur. Hæc interpretatio videri possit violenta: sed est ex rerum naturâ, necnon mente Arist. Hoc clarum fit ex alterâ expositione, quæ ἀσύστατος est. *Quomodo enim fiunt inde partes spermaticæ, si versum in spiritum euanescit, vt Gaza apud Aristotelem loquitur?* Verum fateor, non possum sine indignatione aspicere talia, non possum non conspuere, quoties aut oculis meis obiiciuntur aut auribus! Et tamen Galenistæ exsultant super hoc hermæo! Et hæc de semine: de sanguine paucis se absoluit, *Non habere vllam vim efficiendi.* Hoc probat per inductionem. In auctione, nutritione, & reliquis actionibus habet tantùm rationem materiæ, Ergo in generatione quoque. Quod verò valdè miror, Cur non vtitur catapultâ illâ, VNVM QVA VNVM! Vtrobique enim verum est, Si semen habet rationem agendi, non habebit vtique simul rationem patiendi! Si sanguis habet rationem patiendi, perfectò non habebit etiam agendi! Sed ita fit in hâc vitæ imbecillitate, sæpe obliuiscimur maximè necessariarum!

XII.

Obstabat illi maximus obex, semen femineum album, cuius tot vsus recenset Galenus. Ille verò parcissimus est, *Non possunt mente concipi.* Hoc à generoso spiritu est! Tibi si indignum esse videtur, abi ad *lib. 4. Gen. hom.* & dices fortè, me in contrariâ culpâ esse, qui nimis me diffuderim in redarguendis ἀνήκοις.

XIII.

De *Temperamento.* I. variè fluctuat, idque ob confusionem τῆς κράσεως & μίξεως. Qualitatum est κρᾶσις: corporum μῖξις. II. refutat quidem Fernelium, qui Temperamentum volebat esse ἁρμονίαν seu *concentum,* quod SCHERBIVM memini valdè indignari: Auicennam autem non satis validè tuetur in possessione *Qualitatis.* Ego ita aio, Quemadmodum qualitates sunt formæ Elementorum: ita partium similarium forma est *Temperamentum,* per quod agit vnaquæque, quod agere nata est, sed in gradu inferiori. In vnoquoque enim indiuiduo plures esse formas, sed in se inuicem coordinatas, absurdum dictu non est. Sed, estne forma substantialis, adeoque *Anima?* Duplex quæstio. Est anima Medica: quia vltra illam non ascendit Medicus, hoc est tempera-

mento ſeruato ſeruat animam. Hanc diſtinctionem tanti facit Noſter, vt dicat, *Qui eam non recipiat, indignum eſſe, qui hæc ſtudia tractet.* Et videor mihi credere, quatenus actio ab vnâ aliquâ ſimilari pendet: ſed quatenus actio editur à toto organo, aliud eſt. Verbi gratiâ. Vt apprehenſio fiat, non ſatis eſt muſculum eſſe bene temperatum: ſed & conformatio requiritur & vnitas.

XIV.

Cur Medicus de temperamento ad pondus agat, cauſam dat *f. 247.* quia ſit artifex ſenſitiuus. Velim audire, quot terminos habeat argumentum? Et quis vſus eſt ante Argenterium? Tantum abeſt, vt verum ſit hoc temperamentum eſſe in rerum naturâ, vt ſuprà probaui. Vti etiam moneo, docendi gratiâ ſolummodò eſſe introductum. An huc trahi poſſunt illa *f. 302. Dari hoc temperamentum, ſed non ſecundum exactam rei veritatem?* An illa quoque, *Poſitum eſſe in quodam indiuiſibili? Ec iſt mihc halb vvahc.*

XV.

Cum principia corporis noſtri numerat *f. 255.* & dicit tot eſſe, quot ſunt animæ facultates, inconſultus eſt. Quæ enim *Iraſcibilis* Platonis eſt? quem viuentium ordinem conſtituit? Tam non poteſt dicere hoc, quàm non poteſt Galenus cauſam afferre, quæ ſit illi affinitas cum *Vitali!* Adeo vbique locorum nuda ſtat Thais illa περίεργοτατος!

XVI.

Quæ multa & varia cumulat *f. 247.* partim pro Galeno, partim contra illum, de facultatum numero & eſſentiâ, caſsâ nuce non ſunt meliora. Sed & rancidum eſt *f. 266. de vſu Cerebri contra Ariſtotelem.* Vide *Diatribam* noſtram. Quò vbi veneris, noli mirari, ſi nullas inueneris reſponſiones ad machinamenta hæc Argenterij. Sunt enim κίβδηλα. Eiuſdem commatis illa ſunt, quæ contra *Cor* ſpuit, *f. 267.* Sunt & illa, quæ contra *ſpiritus f. 271.* Vetuſtas, non leuibus inductâ cauſis, poſuit ſpiritus, licet in ſenſus non incurrant: nos, propter eaſdem, retinemus, necdum conſtituimus gratificari velle vel Argenterio, vel cuiquam alij.

XVII.

Quod philoſophema inſtituit *f. 287.* de materiâ & differentiis pilorum, vnguiumque, deſinit tandem in riſum. Eſſe has duas partes mediæ cuiuſdam naturæ inter viuentes. Hoc explico, *Viuunt*, quatenus nutriuntur: ſecantur & ſcinduntur, *quatenus ex cute exeunt*, & quaſi liberant ſe à corpore viuo.

XVIII.

Quod deinceps eſt *f. 289.* de temperamento & materiâ cadaueris, extremè ineptum eſt. Diſtinguere oportet inter temperamentum commune &

proprium. Cadauer amisit *commune*, quod habebat à Calido natiuo iam exstincto: retinet *proprium*, quod ab elementorum corporibus habet. Summa, Periit calidum ἔμφυτον: durat σύμφυτον, quod tandem per putredinem dissoluitur. Præter hæc duo, tertium non datur, quod fingit *f. 294.*

XIX.

Quod *f. 303.* contra inæqualem intemperiem dicit, confirmat me in opinione, *Libellum, quem habemus sub titulo Gal. non esse Galeni.* Quin audeo dicere, non esse hanc intemperiem in rerum naturâ. Quæ eodem loco obiicit signis Cerebri, stabilit opinionem meam alteram, *Nec Artem paruam, Galeni esse.* Huc tendit & correctio loci *6. Epid. f. 312.* & crebra repetitio quærelæ illius, Galenum non stare in vestigio.

XX.

Quæ de neruis sensoriis & motoriis *f. 314.* sunt (vno verbo) incredula.

XXI.

Memoriâ dignum censui, quod marginator (Offenbacchius, credo) alliinit, Actiones partium non esse adscribendas soli temperamento. Vide nuper Lemma 13.

XXII.

Seriò monendus est Argenterius, In quæstione de *partium principatu* non esse instituendam comparationem inter facultates; nec de Cerebro pronunciandum esse, præstantius esse ratione facultatum principum: sed simpliciter, *Quæ sit pars illa, quæ maximè sit necessaria ad vitam sustentandam?* Ea cum *Cor* sit, consentientibus etiam aduersariis, non est opus aliis. Cæterùm, quod ad numerum facultatum principum; tres tantùm sunt, licet Galenus plura habeat nomina.

XXIII.

Rectè statuit Argenterius facultates principes in Cerebro non distingui locis. Neque verò argumenta aduersariorum vllam afferunt necessitatem.

XXIV.

Noto obiter, quod *f. 386. & f. 392.* ait, *Neque Cor esse principium arteriarum, neque Hepar venarum, quod parenchymata posterius gignantur.* Totum hoc pertinet ad historiam ouorum incubatorum. Illa verò ait, vtrumque vas è Corde esse.

XXV.

Παραμυθίαν sententiæ Arist. de vſu teſtium *f. 402.* petere oportet *ex 4. Gen. hom.* Eodem modo, quod ſit ſemen maſculum, *f. 404.* ex primo eiuſdem operis. Ita, vbi fiat, &c.

XXVI.

Magnum quid audet Argenterius, *572.* cum morbos in continui ſolutione, non expungit quidem, ſed ablegat ad morbos conformationis. Fateor, me hucuſque non obſeruâſſe; & dici poſſe, eſſe inter morbos in ſitu, & fruſtrà gloriari Galenum, ſe morbo huic dediſſe hoc nomen: tamen, pro defenſione Gal. ſociorúmque dici poſſe, factum eſſe clarioris doctrinæ gratiâ. Locus eſt *lib. Cauſ. morb. vlt.* vbi ait, ſe ὀνομαθέτην eſſe. Puto, eſſe τὰ ἀφιστῶτα (μέρεα) Hipp. ἐν ἰητρείῳ, *in Off. Med.* adeoque ἕλκος ἢ τρῶμα.

Commentarij in 4. priores ſect. Aph.

XXVII.

SAtagit Argenterius, vt quæ Ariſtotelis Interpretes in frontiſpicio explicant prolegomena, huic quoque operi accommodet, auſu profectò infelici! Quid ſit ἀφορίζειν, quid ἀφορισμὸς, ſciunt vel mediocriter docti in Græcis: quo modo heic accipiatur, ne quidem perfecti Medici. Quid Galenus ſenſerit, patet ex his, quæ colligit Argenterius *cap. 3.* ſed profectò eſt difficile obtentu. Mihi, ſi quis vrgeat vnam vocem Latinam, iamdudum inclinauit animus ad *Sententiam*, ſed vt addatur *Pragmatica.* Pleraque enim omnia reſpiciunt praxin nobis dictam, & videntur congeſta, non vllo ordine, ſed memoriæ gratiâ, vt fortè fortunâ ſe obtulerunt Hipp. peregrinanti, aut etiam diſcipulis, huc illuc ad curam ægrorum ablegatis, quales poſteà περιοδευταὶ ſunt dicti. Hinc in diſtributione operum Hipp. Galenicâ, Erotianum ſecutus & Foëſium, *Aphoriſmos* habeo inter ἐπιμικτά. Sed neque ſuperbire debent nomine Hippocratis, cum obſeruatum ſit, ſeptingentis ante illum annis, notos fuiſſe quoſdam ex illis. Multò minus dici debet, αἱ ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνειν σύνεσιν, *eſſe oracula*, cum multi illorum non vulgares habeant ἐνστάσεις. Quæ ſit *Aphoriſtica doctrina*, fateor me neſcire. An ſunt χρησμῳδίαι?

XXVIII.

Inter illa, quæ *f. 777.* fusè diſputat de *Vitâ*, hoc placet, quod Fernelium tam arctè ſtringit! Iubeo autem ex Gallis illos legere, qui pro ſingulari gentis ſuæ ornamento habent, cum inter ſcriptores medicos ſit mihi longè alius. Quod huc pertinet, eſt, *Vita* eſt πολύσημον, præcipua ſignificatio eſt, quæ ait, eſſe μονὴν τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς, *de Reſp. 18.* Quod ipſum cum in plantis quoque ſit, cogitet Argenterius, an non *f. 782.* peccet, cum adimit illis τὸ θερμὸν ἔμφυτον?

XXIX.

Argenterius vult agere bonum Peripateticum, cum defendit illud, *τὸν νοῦν θύραθεν ἐπεισιέναι.* Ratio ipsius est, quæ & aliorum, *Incorruptibilis ad corruptibile nulla est proportio.* Cui ego obuiam eo, *Si hoc vniuersale est, quomodo corruptibile potest suscipere incorruptibile? vt vna fiat anima?* & *quando Mens, in cælo facta, sociat se Nutritiuæ à patre introductæ?* Ita enim est, vt *in lib. de Gen. hom.* deduxi, *Homo non est deterioris conditionis quàm canis, equus, &c. Atqui canis generat canem perfectum, Ergo homo hominem quoque! Quei igitur fit, vt &c.* NESCIO iuxta tecum, quomodo fiat VNIO: Boni Philosophi est quædam ignorare. Ad argumenta non respondeo, quia voluntaria sunt.

XXX.

In problemate *f. 789. Cur vita non sit perpetua?* valdè ambagiosus est. Quorsum enim triplex ille humor, cum de vno sit sermo? de illo, qui in Corde? Huic cum tribuit perpetuam ab alimento accessionem, infans est. Infantior, cum augmentum corporis in iuuentute causatur: Infantissimum, cum ait non æque bonum restitui posse atque absumptum est. Talia fiunt, cum principia non habemus præ oculis! Calidum natiuum Cordis, cum originem suam debeat semini paterno, quis credat restitui posse? Sed & in eo peccat, quod diminutionem Calidi huius transscribit causis internis tantum. Habent enim locum externa quoque, (vt Galenus nos erudit in illo *1. San. tu. 2.*) sex, inquam, res non naturales. Quod huic vicinum est de *vitâ vel breuiore vel longiore*, caussam habet in latitudine præstantiæ Calidi huius, qualis etiam est in virtutibus & vitiis. Vt de quibusdam dici possit, *Gaudeant bene nati*: quidam erigendi illo, *Patientia!* Ita in animalibus hic canis est vigilantior illo: hic equus est fortior in stadio: hæc vacca abundat optimo lacte. Nec necesse est, si mater dat plenum sinum, det tantundem filia, cuius rei querelam audiui à rusticâ his diebus.

XXXI.

Quàm frigida est excusatio *f. 820.* Cum Gal. dicit, partes omnes nutriri sanguine, intelligendus est de partibus in habitu? Ideo impunè dicere potest, Ventriculum nutriri chylo. Idem canticum est *f. 858.* Dolent certè aures!

XXXII.

Olim iuuenem me deterruit à lectione Mercati magnum illud de Indicationibus opus: nunc seni tenebrosam vertiginem minantur *Indicantia, Contraindicantia, Coindicantia, Correpugnantia, f. 824.* Verùm age, reseruemus nos *ad lib. de Officio Medici*, in quo ista denuò excutiuntur.

XXXIII.

Quàm confusa est locutio *f. 528. Omnem vacuationem fieri à plenitudine!* præsertim, quia exempla dat fæcum alui & vesicæ! Sed tu vide *f. 838.*

XXXIV.

Quàm præceps iudicium est *f. 833. Indicationem à magnitudine morbi penitus absurdam esse!* & causam multorum in praxi errorum! Verum est, *Vnum non nisi vnum indicat*; verum est, si morbus magnus indicat remedium magnum, paruus indicabit paruum: at quis in eam rem postulat demonstrationem Mathematicam? cum non minus euidens sit quàm illud, *Quidlibet est, aut non est, Bis quatuor est octo?* At multi morbi parui ne indigent quidem vacuatione? Acumen admirabile, adeoque Herophileum! Ex sequentibus enim apparebit, esse confusionem primi & inutilis indicantis, vulgo quippe cogniti, *Contraria contrariis*, cum altero & proximo, *Estne morbus talis, qui postulat vacuationem, & qualem?* Si postulat, & quidem magnam, Vtrum venæ sectionem vel purgationem? an vtrumque? Hoc est, quod mox dicet, Non potest magnitudo simul vtramque indicare. Hoc est argumentum Vallesij, *lib. 7. Controu. 2. Si vtrumque indicat, per se quidem magnum remedium indicat, per accidens autem alterutrum.* Ad hoc non posse se respondere, in publicâ disputatione SCHERBIVS fatebatur, vt alibi scripsi. In hoc vt vincit Argenterius: ita vincitur in altero, *Morbus magnus futurus non indicat venæ sectionem, quia non est.* Do instantiam ex *Aph. 3. sect. 1.* de habitu athletico, quem propter metum morbi futuri soluimus venæ sectione. Et hoc satis est: plura mandemus ei, qui fortassis arma sumet in verè magnum virum ALEXAND. MASSARIAM, *lib. de Scopis mittendi sanguinem.*

XXXV.

Leuiculus error est *f. 936. Vrinam esse tenue excrementum ventriculi.* Non est vllius partis proprium, sed commune omnium. Hoc fatetur ipsus, cum posteà in abusu proponit, licet satis obscurè. Fallitur in eo etiam, quod pituitam contentorum materiam facit.

XXXVI.

Non possum concoquere, quod *f. 942.* ait, *Calidi nomine intelligi, nunc caliditatem (qualitatem) nunc substantiam:* & mox auersâ folij parte, Montanus aliosque Recc. reprehendit, quod Calidum & Calorem pro eodem vsurpent. Quod autem ibidem ait, Galenum hæc confusè tractâsse, ita accipio, Cum inquit, Calorem innatum esse in semine & sanguine, hic Calor in semine est τὸ θερμὸν ἔμφυτον, *formale*: calor in sanguine est τὸ θερμὸν σύμφυτον, *materiale.* Hinc intelligitur, quo sensu Cor & Hepar sint fontes calidi innati. Cor habet in se τὸ ἔμφυτον: Hepar facit sanguinem, ex quo τὸ σύμφυτον. Hoc accepto, expeditior erit explicatio nostra quàm Argenterij.

XXXVII.

Quò minus iudicem me conſtituam inter Galenum & Argenterium, *f. 1182.* partim obſcuritas rei facit, partim licentia noſtra, tam in diætâ, quàm in πολυφαρμακίᾳ.

XXXVIII.

Quò minus etiam confutem duas conuulſionis cauſas Hipp. *f. 1198.* facit, quod *Animadu. in Montanum cap. 8. & 9.* abundè id præſtiti.

XXXIX.

Diſſentio ab Argenterio, & conſequenter ipſo Galeno, *Diff. ſympt. 3. Apoplexiam eſſe paralyſin totius corporis, cum detentione facultatum principum.* Sunt duo affectus, *Apoplexia* quidem eſt detentio facultatum dictarum, vna cum ſenſitiuâ & motiuâ: *paralyſis* autem, ſaluis principibus, læſis autem ſenſitiuâ & motiuâ, modò in alterutrâ corporis parte, modò in vtrâque. Accidit autem, vt *Apoplexia* vel ſubitò occidat, vel deſinat in paralyſin. Accidit etiam, vt, non prægreſsâ apoplexiâ, paralyſis fiat, idque vel pereunte vtroque, vel alterutro. Hoc poſterius cum accidit, vocatur *apoplexia parua.* Rurſus, *apoplexia* fit à totâ maſsâ ſanguineâ, præcipuè ſi craſſior ſit ſanguis, qui obſtruat vel torcular in ipſo Cerebro, vel vaſa iugularia & ſoporalia extra Cerebrum. *Paralyſis* fit à ſero ſanguineo, partim obſtruente neruos, partim intemperiem frigidam & humidam cauſante. Hæc conferre tibi licet cum naturâ, non cum ϑεολήψει Medicorum. Placet enim, quod Argenterius ait *f. 1254.* Galenum de apoplexiâ modò Empiricè agere, modò Dogmaticè.

De morbi generibus.

LIB. I.

XL.

IAM demum oſtentat ſe ingenium Argenterij ἀντιλογικὸν καὶ φίλαυτον. *Prima*, quam Galeno ſcribit, dica, eſt in definitione morbi, in quâ varium illum fuiſſe dicit. Memini admirabilem SCHERBIVM non ſemel affirmare, *Adeo omnia Gordiis nodis eſſe intricata, vt quiduis potius auſurus ſit, quàm defendendam ſuſcipere definitionem hanc*: præſ. ſi pro definitione eſſentiali habeatur. At verò in nominali omnia ſunt plana & expedita. Hoc ita eſſe, experietur ille, qui excutere volet, quæ principio κ. παϑολογικῶν congeſſi ſtudioſè, & relinquo nunc, etiam cum aliter ſentire cœpi, vt liberum ſit vnicuique iudicium.

XLI.

Vellicat ante alia τὸ ϑεϱμῶς: *Hac ratione fiet*, inquit, *vt corrupta verbi gratiâ* con-

concoctio ventriculi, quæ tandem nutritionem lædit, sit morbus. An respondere possum, Galenus loquitur non de primâ in ordine causâ, sed de immediatâ? Ea si statuatur intemperies frigida, quidni sit morbus? Hanc responsionem innuit magis quàm docet Iulius Alexandrinus *in Ant-Argent.* cum ait, *Primò* esse idem cum τῷ *Per se.* Scio, quid dixerim χρη. παθολ. *cap. 9.* ex mente Scherbij: nunc planius respondeo, In iis, quæ agunt κατ' ἐντελέχειαν, cum plures sint actiones, plures etiam sunt morbi. Nisi enim plura illa opera legitimè & rectè sibi succedant, effectus etiam vel non fit, vel non rectè. Talis est sanguis, nutritioni perfectus.

XLII.

Lacessit deinde τὴν διάθεσιν, quod genus sit ὁμώνυμον, causæ & symptomati æquè competens. Ego verò etiam duobus aliis nominibus accuso. 1. quod Galenum ipse tacitè accusârit, cum mutat in κατασκευὴν. Possuntne hæc duo in eodem prædicamento esse? 2. quod idem tacitè nos submonuerit, non loqui se cum Arist. nec cogitâsse de vllo prædicamento. In his, tanquam in sublustri nocte, tamdiu hæsisse nostros homines, admiratione est dignum. Tertium his consectarium est, eosdem, quasi facto Syncretismo, tam pertinaciter adhæsisse *Qualitati* Arist.! Intuemini, quæso vos, morbos conformationis, numeri, magnitudinis, & dicite, quo respectu *Qualitati* sociari possint! Summa, διάθεσις hæc est *Transcendentale* quid, si sic loqui mihi licet, atque adeo idem est dictu, *Morbus est omne id, quod lædit actiones.* Et hæc est notio vulgi, quam Galenus venabatur solam, de Logicâ neutiquam solicitus.

XLIII.

Lacessit & alio modo, quod Galenus vocet ἀνομοίωσιν. Quod dictum. Estne hoc cum Arist. ex Categ. loqui? Hoc magis feriet, si κατασκευὴν addideris. Profectò, Galenus de Aristotele non cogitauit. Hoc illustrius fiet, si verum & Logicum genus ex Galeno erueris. Hoc verò ἀμετρία est, de quâ videris initium *Animaduers. Montani.*

XLIV.

Latet altera heic etiam reprehensio, τὸ μόνιμος, καὶ τὸ αἰσθητή. Corruit vtraque vox cum illo, quod διάθεσις hæc non sit Arist. illa, sed distet δὶς διὰ πασῶν.

XLV.

De causâ dicit, esse confusionem ipsius naturæ. Si enim διάθεσις est *Qualitas,* non potest esse Causa, quæ est τῶν πρός τι. Si asinus volat.

XLVI.

Hoc etiam vrget, Aristoteles διάθεσιν vocat *Qualitatem*, quæ est in fieri, nec habet permanentiam, non est in facto esse: Galenus contrà. Sed cur tam diuersus abit? Ne cogatur concedere ἀσπάθειαν, quæ omnino exsulat ab arte

nostrâ. Est autem μόνιμος, non factâ relatione ad tempus, sed ad id, quod factum est. Est αἰσθητὴ propter eandem causam. Ideo Argenterius non satis cautus est, cum exclamat, *Rationi, artique nostræ non satis consentaneum est* (addo Galenus alicubi negat) *vocare morbum alterationem tantùm illam, quæ permanentiam habet.* Interim verum est, morbum aliquando πάθος esse, quò etiam facilè adduci potest Galenus.

XLVII.

Morbum primò lædere facultatem, contra principia est, rectè ait Noster. Vt enim Sanitas est ἐν τῷ δύνασθαι, puta ἐνεργεῖν: ita Morbus est ἐν τῷ μὴ δύνασθαι ἐνεργεῖν, nullo habito respectu ad τὸ ἐνεργεῖν.

XLVIII.

Læsæ actiones, ventriculi verbi gratiâ pertinent ad *Errorem externum* Italis dictum. Vocare autem medium quid inter morbum & actionem, nouitas est inaudita.

XLIX.

Qualitates secundas sequi primas, credo: sed quomodo? Color Corneæ flauus, quatenus est intemperies? Quatenus modus substantiæ pertinet ad intemperiem. Cornea alitur tunc sanguine bilioso, qui exalbescere non potest.

L.

Quo modo à ratione alienum est *laborare partes per συμπάθειαν*, cum non accipiunt aliunde, quod debent? Post paralysin meam circa principium veris 1641. tam vitiosus est motus, vt vix pedibus consistam: tam debiles sunt musculi thoracis & abdominis, vt sermonem continuare non queam: tam stupet lingua, vt vocem articulare, & liquida deglutire non possim, & quæ alia ægrotant: *Cor non facit Officium.*

LI.

Cur in definitione morbi solum ponatur symptoma læsæ actionis? conatus sum causam reddere *χ. παθολ. cap. 10.* Tu videris.

LII.

Miratur Argenterius *f. 1426.* cur Galenus in hoc negotio toties à se ipso dissentiat? Erant tunc quoque multi scriptores, & legebat Galenus modò hunc, modò illum, ideo loquebatur modò cum hoc, modò cum illo.

LIII.

Tandem, *f. 1428.* accingit se Argenterius ad definitionis propriæ parturigi-

nem, protestatus paulò antè, se extra confusionis aleam esse, cum ex rei naturâ desumpserit. Dixi ego pauca in contrarium d. 36. *cap. 15.* & conclusi, *quæstionem Logicam esse.* Nunc risûs gratiâ addo, definitionem Argenterij parumper abesse à transcendentali Galeni. *Es ist ein ding, de vvidor die Natur est.* Pax!

LIV.

Non Logica tantùm sunt, sed & liberali homine indigna, quæ *cap. 2.* cumulat, & causas vocat, quas morbos Galenus. Et hoc mihi sufficit.

LV.

Quò loci (*f. 1434.*) negat multis datis instantiis, *sensum partis acrem vel hebetem* esse à temperamento, quàm prodigus est verborum! Quid non sit, dicit: quid sit, non audet. An ibi latet, *Cum tria sint, quibus singularum partium natura, &c.* Vt hoc tandem velit: *Sensus acer aut hebes, vel à temperamento est, vel à formâ, vel à materiâ. Non à duobus prioribus, Ergo à materiâ.* Et heic latent *morbi formæ & materiæ,* quos à Fernelio ille accepit, quosque refutaui ego peculiari opellâ, sub nomine Stoïco, *Reiectanea,* de quibus vide Lipsium, *2. Manud. Stoicæ, cap. 23.* Hoc feci, vt insinuarem Fuchsio, Morbos hos tam non esse ex intimâ Philosophiâ, vt pudorem potius meruerit Fernelius productione illorum, quàm vllam gloriam! Huius rei inuidiam vt auerterem ab humeris meis, feci sub personâ trium celebrium virorum, quorum etiam verba citaui. Et hoc quidem in antecessum dictum volui: Argenterius in istis morbis tam parcus est heic, vt vix morbos appellet, *Materiæ vitia sunt,* inquit, *cum laxior est, vel adstrictior, cum sensus acutioris, cum alius coloris, &c.* In *formæ morbis* longiusculè abit à Fernelio, cum illos tantùm ita vocat, qui vulgò *Maligni,* & quos eosdem esse censet cum *Totius substantiæ morbis* Galeno dictis. Vbi velim audire abs Argenterio tria. 1. Quo modo *totam* Galeni *substantiam* eruere velit ex illis Fernelij nominibus, quibus ornat formæ morbos? 2. Quo modo in istis imperfectè mistis, aliam ostendere formam velit à temperamento? 3. Quo modo idoneitatem materiæ distinguere à *Modo substantiæ,* vt Vallesius vocat? Addo quartum, cum *modus* ille *substantiæ* sit secundùm naturam, verbi gratiâ, aciditas in succo ribes, berb. &c. cum tenui substantiâ, quâ fronte dici possit morbus aut vitium?

LVI.

Quæ sequuntur de morbis partium similarium & dissimilarium, itemque de solutione continui, vsque ad finem libri, prætereo sciens. Subtiliora enim sunt, quàm vt vllum vsum habeant in arte.

De morborum differentiis lib. I.
De morborum causis lib. III.
De sympt. diff. & causis lib. II.
De temp. morb. lib. I.
De signis demonstr. memorat. & prognost. lib. IV.

LVII.

In his omnibus quia ferè stat Argenterius arbitrio proprio, adeoque acie suâ velut aquila supra Galenum se effert, non ero illi molestus. Quibus id consilium displicet, vertant se, quò volent.

De Vrinis.

LVIII.

HOc principium debet esse immotum, *In quauis coctione, quà coctio, tria esse. Primum* & à naturâ intentum, quod *Mediocre* vocat Argenterius; posteà, hinc & hinc duo excrementa, alterum *Crassum*, alterum *Tenue*. *Quà coctio*, dixi. Quia ipsa multiplex est, & indiget vehiculo, vt Hipp. vocat, quo mediante transferatur de officinâ in officinam, quo facto, quia ipsum alere non potest, excernitur etiam, commune quippe excrementum, quod communi etiam nomine *Serum* dicitur, priuato, hinc quidem è maioribus vasis, quæ in abdomine & thorace, *Vrina*: illinc autem, quod è minoribus, quæ in habitu, cum sensibiliter vacuatur, *Sudor*, cum insensibiliter, per ἄδηλον αἰσθήσει διαπνοὴν, caret nomine. Hinc illud πόρισμα alibi probatum, *Vrinæ & Sudoris eandem esse materiam.* Ab hac doctrinâ quantum recesserit Montanus Veronensis, videre est apud Argenterium *f. 1833.* Heic error Argenterij proprius est, quod ait, dum exit per poros cutis, misceri aërem externum: cui bono, ô Argenteri? Apud Galenum quidem notorium est: sed tu quid ais? Alter cum aliis illi communis est, quod in ventriculo fieri vult, quamuis non dicatur, antequam à renibus trahitur. Cui ego, quorsum ergo cum venis emulgentibus Arteriæ sunt? Sed *cur renes trahunt?* Est hoc officium illorum publicum, expurgandi sanguinem à sero illo, quod non amplius vsum habet, πληρώσαν τὴν χρείαν, inquit Gal. Interim, si propriè loqui velimus, non trahunt serum, sed sanguinem serosum, qui idem vulgo *tennis* est & dicitur: solus Argenterius, *crassum & melancholicum* esse vult. Talem trahere argumento est, quod renes non habent alia vasa nutritoria, vt Gal. nos erudit. Tali opus habere renes sanguine, indicat densitas & crassities renum, quæ duo respuunt crassum sanguinem, quippe, qui intimius se penetrare non potest.

LIX.

Ego heic obiter noto, quis sit autor stulti illius moris iudicandi de vrinis etiam corruptis, antequam ab igne vel calidâ aquâ restituantur? MONTANVS

ille VERONENSIS eſt, quem Argenterius Patauij *in praxi* ſequutus eſt. Hunc meritò riſit ille tum, quod omnes vrinæ, quales quales ſint, eodem modo corrumpantur. Atqui, dicunt quidam pro Montano, in recalefactione intenditur calor illarum. Facile eſt mente abſtrahere quidquid illius eſt.

LX.

Diſtinguere vult Argenterius, *f. 1847. colorem viridem à vireſcente.* Ego verò Patauij vidi *ſerum caprinum*, à Pharmacopœis tam ſolerter paratum, vt virore certaret cum quouis ſmaragdo. Aſſecutæ ſunt quoquo modo intenſum illum colorem, meâ inſtitutione, feminæ quædam noſtrates: quibus verò defuit induſtria, riſerunt totum, neſciæ interim, ſe riſiſſe ſe ipſas. Quò magis cautos oportet eſſe nos, ne ſubitò terreamur!

LXI.

Aſſentior Argenterio, *f. eodem*, nec *nigrum colorem* aliunde eſſe poſſe, *nec liuidum*, quàm à permiſtione rei nigræ. Confirmant illi, qui flore Caſſiæ dicto vſi ſunt. Confirmauit ſuperioribus annis beſtia illa, quam vrinæ ſuæ affudiſſe atramentum dixi, vt maritum Medicum, omneſque populoſiſſimæ vrbis Medicos ludum faceret.

LXII.

Vt dantur *deiectiones aqueæ virides*, ex corruptione lactis: ita credo dari *vrinas oleo non valdè diſſimiles*, in morbis longis, qualis fuit Parij, *3. in 3. Epid. 73.* Habeo autem has inter minimè perſpicuas, ſed opacas, de quibus non contemnenda colligit Noſter *f. 1850.*

LXIII.

De *Contentis*, de quibus incipit agere *f. 1856.* ſto in veſtigio, quod feci *lib. de Humor.* cum augmento Argenterij. Qui meliora poteſt afferre, afferat, & ego obligatus ero illi publico nomine.

De officiis Medici.

LXIV.

QVod potiſſimum eſt in hoc negotio, vt *Medicus ſit imitator Naturæ*, id incipit *lib. 1. cap. 8.* De quo quia ſcripta mihi olim fuit diſputatio, volo illam conferri cum his, quæ tum temporis non videram. Volo autem ideo, vt Medici porrò ſciant, præeunte Valleſio, SE ESSE NATVRÆ MINISTROS.

LXV.

Difficultatem negotij de *Indicationibus* ostendi suprà *Lem. 32.* nunc aliud facio indicium, tractâsse me rem quasi in epitome, *lib. 6. Instit. mearum*, & exspectare iudicium, bonorum sapientumque.

De somno & vigiliâ.

LXVI.

Recordor SCHERBIVM olim, τὸν πάνυ, inter alia Argenterij opera, prædicâsse inprimis hoc. Quod cum diu credidissem, tandem occasione thesium AMICI (cuius nomini parco) de eodem negotio, cœpi anquirere diligentius. Ibi cum viderem, Argenterium *cap. 2.* esse in antiquo errore, *Euaporationes à cibo sursum latas relabi ad Cor, sensi deceptum me esse.* Dico enim. *Ligant euaporationes illæ, non* COR (pulsat enim) sed CEREBRVM, *& consequenter principium neruorum, ad sensoria externa euntium, atque ita fit somnus.* Quid SCHERBIVS spectârit, equidem NESCIO. *Vide 2. Post-cur. 24.*

LXVII.

Mihi libet obiter intueri digressionem, quæ est *cap. 4. de Calido innato*, in quâ dum vult ostendere Argenterius varietatem Galeni, fit ipse varius & intolerabilis. Inprimis hoc illi concedendum non est, vt carpat veteres in eo, quod *Calidum* & *Calorem* pro eodem habuerint. Pueri sciunt, quomodo differant: & sciuisse Veteres, dubium non est. Sed quod non distinxerint, quod operæ pretium non esset, dandum illis est, non litigandum. Eodem modo, quod pro vno habuerint *Calidum* & *Spiritus*, licet differant vt causa & effectus. *Calidum* in Corde est stabile: *spiritus* per corpus quaquauersus feruntur, vnde ἐνορμῶντα Hippocratis. Hoc verò non amplius concedendum illis est, si confundant *Calidum Cordis* ἔμφυτον, quod *formale*, cum *Calido reliquarum solidarum*, quod σύμφυτον, & *materiale*. Hinc pendet illa distinctio, *Calidum Cordis*, quia à semine paterno, restitui ab alimento non potest: *Calidum reliquarum*, quia à sanguine materno, potest. Quod si in aliquibus restitutum fuisse videatur, id MIRACVLOSVM est. Annis ab hinc sex, septemve, scribebat ad me DD. PAVLVS IENISCHIVS, Comes Pal. Cæs. esse Augustæ virum consistentis ætatis, cuius corpus in dies augeatur secundum omnes dimensiones adeo, vt nouis sit opus vestibus, quæ causa? aiebat ille. Physica alia dari non potest (respondebam ego) quàm reuocati ad principium suum Calidi natiui. Philologus *lib. de Vitâ producendâ*, vltra 120. annos, quendam scribit, de nouo reiuuenuisse. Deodatus noster, *Hygiastico suo*, eandem præscriptionem facit: sed in exemplis immensum laborat. De Montano, (illo, inquam, Medico, qui *Terram sig. Sil.* celebrauit) referebat in Italiâ quidam è fratribus Roseæ crucis, qui tum caput exserebant, ex sene decrepito factum fuisse iuuenem alacrem, qui diu superuixerit, idque beneficiô

medicamenti cuiusdam *Theophrasto-Paracelsici.* Cui ego cum risu, *Ergóne vos medicamenta habetis, quæ Calidum-natiuum recentent?* Habemus, infit. *Ergo, pari potentiâ cum* CHRISTO *estis, quem in resuscitatione mortuorum vsum esse hoc artificio credo?* Hoc si dictu impium est, indictum esto. Ad rem. Si Argenterius hæc principia præ oculis habuisset, potuisset nos docere, quo respectu Galenus hoc vel illud scripsisset. Nunc ille occupatur in illo, vt quatuor in nobis calida fabricet, quorum vnius πάθη sint *Somnus* & Vigilia. Quâ in re cum infelicissimus sit; & verò in plerisque soluendis problematis claudicet: statui illum dimittere in pace. Nimirum, *inuentâ Veritate*, dicebat SCHERBIVS, *dilabuntur subitò omnes difficultates, non minus quàm nix à Sole.* Contrà, *vbi non fit, imò, vbi plura exsistunt incommoda, præstat silentium multiloquio.* Ego enim finem facio, *Quia omnium rerum satietas.*

Finis Ant-Argenterij.

PERORATIO.

INter alias laudabiles veterum consuetudines, vnam hanc esse reperio, vt vnusquisque faceret sibi priuatim χρηστομαθείας, in quibus, certis adhibitis notis, consulerent memoriæ suæ, ne κίβδηλα arriperent pro γνησίοις, quorum inter alios meminit Ill. Casaubonus, *fine Notarum in Laërtium.* Hanc consuetudinem in publicum eductam, cum minus ritè obiisse arguar *in Institutis meis*, & fortassis alibi, volui bonis heic aperire mentem meam, ne vlterius fluctuent. *Tu*, inquit amicus in literis, *irreuerentius & procacius æquo, inueheris in graues auctores, cum satius fuerit conniuere, &c.* Equidem non memini, tale quid: si tamen factum est, da demonstrandi, vt loquebamur pueri in scholâ. Alioquin vtar vulgari illo, οὐ δύναμαι λέγειν, ἢ μὴ θιγγάνειν! Interim gratâ mente accepto, quod concedis, MONENDVM fuisse mihi, ne qui legentium in vado hæreant. Altera accusatio est, *Nimius es, Hofmanne, in etymologiis: ieiunior contrà in rerum deductione. Quò fit, vt obscurus fias, &c. Contrà, in aliis peccas, quod nec stylum submittis, nec rudium captui te accommodas.* Aut nihil video, aut sunt hæc duo ἀσύστατα. Qui enim obscurus est, immeritò dicitur stylum affectare. Et sunt in medio iudicia illorum, qui me absoluunt ab vtroque vitio. Quibus si acquiescam, vsque dum contrarium probetur, ferésne ægrè? Tertia est, *Mancus es in multis.* Nolui scribere ego *Vniuersam Medicinam:* sed satis mihi fuit *Fundamenta* iecisse. Sed quid est, ô suauissime, quod non impingis mihi quartam dicam, quam olim ILLE, quem nôsti, *Nimis sæpe repetit Hofmannus sua!* An, quod pro capitis mei tutelâ, dixit RVPERTVS noster, Socraticum hoc esse: abstinuit te? Vt enim ille solam iustitiam voluit persuasam ciuibus suis: ita ego Veritatem. Tantò magis, quod D. etiam Paulus tale quid obtonuit Timotheo suo, *vt suprà* indicaui? Sed ita est: τὸ γλυκὺ τῆς ἀληθείας, quod apud Plutarchum est *lib. de Iside*, tam iucundum est auribus meis, vt nihil aliud velim, si pote. At verò quia *Aberrationes* sunt quasi altera pars animæ nostræ, fas

eſt, piumque inclamari illas vndique. Et hoc dictum eſto *de Opellis* quoque *iſtis*. Nimirum, *Pſalm. 49. v. vlt.*

Rectrix honoris ni Sapientia
Acceſſerit, brutis homo beſtiis
Nil intereſt! Quos vita fecit pares
Exſpectat æquè inglorius exitus.

Quod potui, feci: quod feci, deſino. DIXI.



INDEX,

IN QVO

Adr.	*est*	*Adrastea Gal.*
Ex.		*Exercitat. iun. cap.* 1. 2. 3. d. 1. 2. 3
Antarg.		*Ant-Argenterius, Lemma* 1. 2. 3

A

B

C

D

E

F

K

L

M

N

O

P

FINIS.

I.

AVGVSTINI BVCCII,

PHILOSOPHI TAVRINENSIS,

DISPVTATIO

DE PRINCIPATV PARTIVM CORPORIS,

Excusa olim Taurini, M.D.LXXXIII.

II.

LVDOVICI BVCCAFERREÆ,

PHILOSOPHI BONONIENSIS,

ORATIO

DE EODEM NEGOTIO.

Exstat in Apologiâ Francisci Putei pro Gal. contra Vesalium,

Venetiis excusâ, M.D.LXII.

III.

IVLII CAESARIS CLAVDINI,

MEDICI ET PHILOSOPHI BONONIENSIS,

QVAESTIO

DE SEDE FACVLTATVM PRINCIPVM,

Excusa Basileæ, M.DC.XVII.

Cum ἐπικρίσει CASPARI HOFMANNI.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Apud GASPARVM METVRAS viâ Iacobæâ, sub signo SS. Trinitatis, prope Maturinenses.

M.DC.XLVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





PERILL. ET EXCELL. VIRO,

D. RENATO MOREAV,

PHILOSOPHO,

DOCTORI MEDICO,

ET PROFESSORI REGIO

IN ACADEMIA PARISIENSI,

amico meo magno, S. P. D.

QVI *in studiis Philosophicis versantur*, RENATE *Clarissime, vident quotidie, agi heic quasi fabulam quandam togatam, in quâ variæ personæ scenam ingrediantur, variæ egrediantur. Ne longum faciam, in quæstione de Hominis parte principe tria potissimùm genera se repræsentant, imperitorum, turbulentorum, & sapientum. Imperitorum chorum* BVCCIVS *ducat, in aulâ quippe altus, & Analyticæ ignarus, súsque déque se vertit, id solùm agens, non tamen ex* προαιρέσεως, *vt bonam causam pessumdet. Turbulentorum choragus sit* BVCCAFERREA, *non quidem consulto consilio, sed quia cum seditiosis illi res est, in quorum senaculo*

Οὐδεὶς ἀκούει οὐδενὸς οὐδὲν,

Et finis comœdiæ est, vt vincat Stentor aliquis væcors. Sapientum dux est CLAVDINVS, *vir (vno verbo) grauis & se-*

datus, quod experiundo didici, qui in statu quidem Controuersiæ ipsius ἀμετάπλωτος est: in quæstione autem Appendice, de diuersitate sedis facultatum rectricum, Hominem se esse ratus, NESCIO, *inquit. Nimirum, hoc donum Philosophi est genuini, agnôsse infirmitatem humanam, quæ ex puteo* VERITATIS *Democriteo nihil sumit sibi temerè eorum, quæ Natura omniparens studiò ibi abscondidit. Hoc in dramate, mi* RENATE, *Te Ædilem curulem constituo, cum potestate, vt, quæ ego fortè contra τὸ πρέπον admisi, corrigas. Bene vale, &, si vis, perenna mihi amorem tuum. Scribo Altorfij, quod in Norico, sub ingressum anni* 1646.

Tuus ex animo

CASP. HOFMAN.



AVGVSTINI BVCCII DISPVTATIO, DE PRINCIPATV PARTIVM.

Occaſio Ariſtotelis opinio, eiuſdemque rationes exponuntur.

CAPVT PRIMVM.

INTER multa & præclara excellentis virtutis teſtimonia, quæ Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux Sereniſſimus, non minori hominum commendatione, quàm admiratione ab ineunte ætate ſemper dedit, id vel omnium præclariſſimum mihi viſum fuit, quòd literatorum hominum ſermonibus, & congreſſibus adeo fuerit oblectatus, vt illius prandia & cœnæ, aſtante ſemper eruditorum hominum coronâ, Platonicorum ſympoſiorum ſpeciem quandam præbuerint. Quibus cùm & nos interdum eiuſdem Principis humanitate interfuiſſemus, poſtquam varias & reconditas quæſtiones, de Maris ſalſedine, atque æſtu, déque ſaporum generibus diutiùs iam inter viros eruditiſſimos, Antonium Bocchium, Georgium Argenterium, Io. olim Argenterij, clariſſimi nominis Medici, amicíque noſtri chariſſimi, fratris filium, maiorúmque ſuorum gloriæ æmulum, Stephanúmque Ginodum, Principis Medicos præſtantiſſimos, Franciſcúmque Octonarium, & Io. Baptiſtam Benedictum, Philoſophos celeberrimos iactatas, obiter de membrorum corporis principatu, Animæque ſede ſermo incidiſſet, tuentibus nonnullis Cerebri, Hepatíſque pro Gal. partes; nobis verò contrà pro Ariſtotele diſputantibus; cùm allatis in vtramque partem rationibus, in ſingulis argumentis perpendendis, vltrò, citróque, vt moris eſt, aientibus, & negantibus aduerſariis, contentioſæ diſputationis oriretur ſuſpicio: operæpretium eſſe duximus, accedente eiuſdem Principis Sereniſſimi conſenſu, ſcriptis agere, rémque totam, ſub ipſius iudicio, doctiſſimorúmque quorumcunque virorum cenſurâ exponere, rati, nos vno, eodémque officio, & Principis deſiderio, & publicæ ſtudioſorum vtilitati aliquâ ex parte ſatisfacturos. Iam igitur Ariſtotelis ſententiam, & rationes exponere aggrediamur. Quæ ſanè ea fuiſſe videtur,

Animam, diuinam alioqui naturam & formam, quamquam indiuiduam & simplicissimam, omnísque corporeæ magnitudinis expertem, variis tamen & multiplicibus facultatibus & viribus, tanquam formalibus constare partibus, eo inter se ordine iunctis & cohærentibus, vt priores in posterioribus emineant, atque vt in tetragono trigonum eâ lege comprehendantur, vt illæ quidem à posterioribus, non item hæ à prioribus separentur. Vnum præterea animæ, non vt Plato appellabat, instrumentum, sed subiectum, & fundamentum à naturâ tributum fuisse, animantis nimirum corpus, tam miro partium apparatu instructa, vt tot, támque multiplices functiones & munera in eius certis constitutísque sedibus efficerentur. Ac cùm vnius rei vnica & indiuidua forma & essentia sit, non esse in singulis animantibus, vt in equo Troiano multas numero animas, aut verò animæ vires sedibus, atque locis disclusas, vt Plato, rationalem in Capite, animosam in Corde, concupiscibilem in Hepate collocauerit: Sed vnicam singulis inesse sentientem animam, nutriendi vim suo sinu veluti continentem. Quæ tametsi mirâ quâdam ratione per totum corpus fusam, ac quasi è puncto impartibili diffusam essentiam habeat, sítque tota in toto corpore, totáque in singulis eius partibus: habito tamen partium delectu, in vno Corde nitatur, tanquam in vitæ sede, & domicilio, functionúmque communi principio. Quod quanquàm reliquis partibus iunctum sit & illigatum: ita tamen per se constet, vigeátque, vt, caloris ab eo influentis virtute, omnes inde viuiscant corporis partes, idémque, iuuante Hepatis ministerio, diffuso per venas ex eo proficiscentes sanguine, per arteriásque spiritibus, nutritionem cæteris omnibus membris impertiatur, diurnique luminis similitudine, vitæ veluti radios, in vniuersum animal, tanquam in paruum quendam mundum, diffundat. Quin & per neruos, quos sicut venas & arterias à Corde trahi, atque in omne corpus duci arbitrabatur, sentiendi, mouendíque virtute cum Cerebro communicatis, eiúsque consensu, æstuante spirituum calore contemperato, inchoatas in exterioribus organis sensuum functiones, in Corde perfici; atque ab eo, motum spontaneum in partibus aptis, per musculos exhiberi affirmabat. Quatuor autem sunt summa capita, quibus tota eius nititur opinio. Primum, vnicum esse in animali principium. Alterum, Cor esse ipsum vnum commune omnium facultatum fundamentum. Tertium, vegetandi, sanguinísque gignendi facultatem in Corde sitam esse. Quartum, mouendi & sentiendi vires in eo ipso, vt in fonte contineri. Totidem autem sunt loca, ex quibus priores duæ propositiones confirmentur, Politiæ nimirum præstantia; prior conformatio; situs in animali medius; incolumísque & illæsa Cordis functio, quæ aliis languentibus minimè in consensum trahatur. Prima igitur illius assumptio fuit, humani corporis fabricam ad vniuersi imaginem & normam constitutam esse, vel potiùs bene institutæ ciuitatis politiam referre: hunc verò, quem cernimus, mundum vnius Dei nutu & prouidentiâ administrari, quod & communi hominum consensu receptum est, & ab Aristotele in primâ Philosophiâ demonstratum. Quamobrem & ipse, inprimis Homerus, & post eum Plato, politicíque ferè omnes, regium statum optimatum, populíque gubernaculis, longè præstantiorem esse iudicârunt. Quæ, cùm ita sint, vnam esse principem corporis partem, cuius vi omnes regantur, rationi consentaneum est. Id namque tot, tamque inter se dissimi-

lium partium, siue in constituendâ, siue in tuendâ animantium vitâ, necessaria consensio, conspiratióque ostendit, ab Hippocr. primùm animaduersa, quæ sanè vno eget principio, in quod omnia, siue referantur, siue conferantur. Cúmque ita vnam esse oporteat principem corporis partem, hanc ipsam esse Cor, non modò animationis in fœtu primordia, sed & interitus extrema indicant. Vel enim ante reliquas omnes corporis partes oritur; vel si omnium simul rudimenta Natura ordiatur: hæc certè pars, priùs in animali perficitur, & percipitur, generantis naturæ necessitate, & vsu ita dictante. Caloris namque innati fons est, cuius ministerio formatrix facultas in reliquarum effigiatione vtitur. Ideóque Cor primum gigni, vel certè inter ea, quæ gignuntur membra, primùm moueri, & conspici, *lib. de iuuen. & senect.* Aristot. docet, confirmátque vulgare experimentum, ex ouis in pullorum procreatione, singulis incubationis diebus apertis, sumptum. Sed & Cor postremò deficere, sensus, ratióque indicant. In naturali namque interitu, congenito humido propè absumpto, à corporis extremitatibus in Cor, tanquam in arcem, euocatus recipitur calor, illud sensim deinceps deserens, vt vnde, ex non viuente primùm vitæ particeps factum est animal, inde ex viuente non viuens, orbe veluti confecto, fiat. Quæ autem primùm genita, nouissiméque deficientia, reliquorum ortui vsum præbent necessarium, quid aliud sunt, quàm illorum, quæ deinde procreantur, principia? Accedit ratio, à medio animalis deducta. Qui locus ad salutem tutior, ad dignitatem opportunior, ad opémque cæteris partibus ferendam commodior, non leue præbet principatus argumentum. Quamobrem & Sol lucis princeps, ac moderator, medium cæli locum obtinuisse fertur, vt quemadmodum omnis circuli extremitas paribus à medio lineis attingitur; ita ab eo radij, in mundum vniuersum diffunderentur. Impatibilis præterea Cordis natura idem testari videtur, quando naturæ solertiâ, & morbis minimè obnoxium, & occursantibus causis valdè obsistens conditum sit; cùm cæteræ alioqui partes, Lien, Hepar, Cerebrum, stomachus, obstructionibus, abscessibus, variísque morborum generibus conflictentur. A quibus omnibus, vel certè plurimis exemptum ideo Cor fuisse creditur, vt incolume manens cæteris languentibus succurreret, præstóque esset. Quod enim ad affectum spectat, quem *Cardiacam* vocant, non hic Cordis, sed oris ventriculi passio est, quod ob sensûs acrimoniam Cordis obtinuit nomen. His rationibus addi communiter solent aliæ nonnullæ, eæque non inefficaces; atque illa inter cæteras, ideo primariam animæ sedem esse Cor, quòd commune & immediatum animæ instrumentum, Spiritus, & Calor innatus, in eo, tanquam in foco, sedeant.

Non contingit autem, siue facultates, siue earum principium animam, à communi suo, proximóque instrumento separari. Esse verò Calorem innatum, commune & inseparabile animæ instrumentum, non modò Aristotelis sententia est, *lib. 2. de Anima, librísque de Respirat. & de Vitâ & morte:* Sed etiam Hippocratis & Gal. variis locis, qui ita de eo pronuntiâsse visi sunt, vt animam esse, aut certè proximum animæ subiectum, instrumentúmque asserere non dubitârint. Accedit ad hæc mira quædam reliquarum animæ facultatum cum vitali consensio. Læsa namque vitalis facultas, cæteras omnes in consensum trahit, reliquarum munia impediens, vt in animi deliquio, quod syn-

copen vocant, & in Cordis palpitatione contingit.

Naturali autem, animalíve labefactatis, ac omnino prostratis, vt in Hydrope, Paralysi, Melancholiáque, incolumis, integráque vitalis in Corde, ex pulsatione, facultas deprehenditur. Nunc tertiæ propositionis, quâ vegetatricis Animæ sedes in Corde statuebatur, rationes ex Arist. *lib. de iuuen. & senect. aliisque locis collectas*, subiiciamus. Sumuntur autem illæ ex situ Cordis, in toto corpore medio, alimento & sanguini in omnes corporis partes distribuendis idoneo; ex venarum ortu; ex venosæ substantiæ cum Corde similitudine; ex eiusdem copiâ extra venas, in dextro Cordis sinu contenta; ac tandem ex sanguinis in eo generatione. Vt enim in stirpibus altrix anima medium sibi plantæ situm quasi sedem vindicauit: ita & in animalibus sentiens. Docet autem Aristoteles in plantarum seminibus gignendi vim in medullâ, corticibus inuolutâ, contineri, quâ, quoquo pacto detractâ, aut absumptâ, inepta semina ad procreandum reddantur. Vnde cùm plantæ trifariam humanâ excolantur industriâ, seminatione, plantatione, & insitione: quoquomodo vegetandi munus in mediâ eius parte contineri, experientia docet. Vt enim seminationem missam faciamus, cuius vim in seminis medio sitam esse constat, in earundem satu, cùm auulsos ex arboribus surculos, vt pullulent, terræ infodimus, eâ maximè ex parte præscindi ramum curemus, quo nodus est, vt eo principij vice quodammodo fungente, radices in terrâ commodiùs agantur. Est autem nodus in caudice veluti medium. Similis est insitionis ratio, cùm præscisso arboris trunco, eum alteri congeneri nectimus, vt vna ex insiti continuatione arbor fiat. Non enim quâuis parte, sed delectu habito, insitio ad palmitis nodum fit, quem medij rationem obtinere dicebamus. Quæ igitur in stirpibus vegetatricis animæ, eadem, & in animalibus medij ratio est, vt illud vtrobique sit vitæ, & animæ sedes. Sed & efficacissima, altricísque animæ maximè propria ratio est, cur illa in Corde sedeat, venarum, sanguinisque ab eo manatio, atque origo. Nam vt à fonte riuuli, ita à principio functionis, ductus, meatúsve, per quos vehicula facultatum transeunt, fluere debent. Oriri autem à Corde venas, sensus imprimis, vnúmque & solum esse earum principium, naturæ indicat prouidentia; quæ ex iis, quæ fieri possunt, id facit, quod melius est, ac conducibilius. Præstat autem vnum, quàm plura venarum principia facere. Ac quòd illud quidem sit Cor potiùs, quàm Hepar, Cordis substantia planè demonstrat, quam nullâ traiici venâ compertum est. Quòd enim ad venam illam omnium maximam spectat, quæ Caua dicitur, hæc ita à Corde prodit, vt radicitùs ab eo exiens, in Hepatis substantiam tota tanquam peregrina insinuetur, integráque & illæsa ab Hepate, cultro diuelli per anatomen queat. Præterea, quid de venâ arteriali dicemus, quæ euidentem ortum à dextro Cordis ventriculo accipiens, nullâ habitâ cum Hepate communicatione, pulmonibus inseritur? Quod si ideo fieri dicatur, quia corpore constet arterioso, quid de arteriâ venosâ dicemus, quæ nihilominus è Corde proficiscitur? Huc similitudo essentiæ accedit. Nam tam venarum, quàm Cordis firma, solidáque, & quæ facilè extendatur substantia est, cùm alioqui iecinoris caro mollis sit & laxa, extensionisque minimè capax. Sed & situs Cordis in medio, non ipsius modò thoracis, verùm etiam organorum omnium, quæ altrici inseruiunt facultati, venarum ex Corde origini fauet. Quanquam vna omnium euidentissima ratio Aristotelem permonuit

uit, vt venarum ortum in Cor referret, ſanguinis nimirùm copia, quæ in Cordis cauitate tanta ineſt, quantam in nullis aliis corporis partibus ſpectare licet. Cùm enim in cæteris partibus, Hepatéque præſertim, totus in venis, quaſi per canales aliundè deductus, contineatur ſanguis; in Corde autem, quod citrà putredinem nullâ aliâ in parte euenit, totus ſit extra venas fuſus; an hoc propriæ ſanguinis Officinæ perſpicuum præbet documentum? Deinde, ſi animantibus omnibus ſanguineis Cor ineſt, & viciſſim, vbi Cor, ibi ſanguis, accedente tantâ Cordis cum venosâ ſubſtantiâ affinitate, ac cùm Hepate diſſenſione, Cor ſanguinis fontem & principium eſſe, non item Hepar, facilè perſpicitur. Extremo loco, quod ad mouendi & ſentiendi functionem pertinet, non poteſt Cerebrum earum principium eſſe, ſenſúmque & motum corpori impertire: cum, & ipſum per ſe ſenſu careat, & omnium corporis partium frigidiſſimum ſit. Non dat autem res, quod non habet; neque vlla eſt ratio, cur, cum motus & ſenſus calido perficiantur, Cerebri temperamentum, cum inſtrumento, ad ea munera à naturâ tributo, calore, pugnet. Neque verò telum hoc rectè quidem Latini in Ariſt. retorquent, dum aiunt, cortex eiuſdem Ariſtotelis mente, viſûs, ſpontaneæque motionis principium ſtatui; quod tamen, neque ipſum per ſe cernere aptum eſt, neque ſpontè moueri. Cui, illud ſtatim reſpondendum eſt, in Corde ſenſum eſſe communem, cæterorum omnium peculiarium ſenſuum veluti centrum, ſoláque ratione à propriis diſtinctum ſenſibus. Ideóque, tametſi videndi facultate careat: melius tamen id, & exactiùs colores dignoſcere, quàm oculos; excellentiorémque eſſe Cordis motum, quàm cæterarum partium, quæ ſpontè mouentur. Sed & in Corde motricem hærere facultatem, intimæ illæ animi motiones & perturbationes, iracundiæ, mæroris, lætitiæque indicant, quas in eo per intimos ſenſus fieri, ex repentinis per ſanguinis retractionem, vel diffuſionem circa faciem colorum mutationibus, Cerebro alioqui exangui exiſtente, apertiſſimè oſtenditur.

Vnde & ex eo facilè intelligitur, internorum maximè ſenſuum motus in Corde, mirâ celeritate, ſpirituum & ſanguinis beneficio concitari, licèt in facie maximè appareant ob venarum, & arteriarum, quæ in facie ſunt multitudinem, & cum Corde conſenſionem.

Rationes aliæ, quibus ab Auctore Ariſtotelis confirmetur opinio.

CAPVT II.

ETSI Veritas, non rationum numero, ſed pondere metienda eſt, quippe quæ vnitate, & ſimplicitate gaudet: quia tamen illa naturæ obſcuritatibus inuoluta, ſi abſolutæ demonſtrationis lumen deſit, è materiæ tenebris, plerúmque non vno, aut altero, ſed multis ad eandem propoſitionem argumentis, cùm neceſſariis, tùm probabilibus, vix tandem eruitur: ideò ad Ariſt. rationes, quanquam alioqui efficaces, confirmandas, paucas haſce ex noſtra Mineruâ ſubiicimus. Primùm, vel nullum in animali ponendum principium eſt, vel vnum. Nam qui principium dicit, primum dicit; qui autem primum idem etiam vnum. Quo enim pacto multa erunt prima?

Cerebrum namque, & Iecur, etsi vnius facultatis ratione, quæ in iis maximè vigeat, principatum quendam in corpore tenere videntur: non tamen simpliciter, aut vniuersim, sed illud ad sensum & motum, hoc ad animalis nutritionem relatum. Cæterùm vnum absolutè primum esse oportet, in quo omnium sit membrorum conspiratio, atque consensus. Rursùs, qui ordo est facultatum inter se, idem locorum esse debet, in quibus illæ resident. Atqui prior est naturâ vitalis facultas altrice, & motrice, siquidem priùs viuimus, quàm nutriamur. Vita námque viuentis est esse: igitur naturæ ordine Cor, vitalis facultatis sedes, cæteris partibus antecellit. Accedit altricis, ad vitalem Animæ vim, in animali obsequium, & famulatus. Cùm enim animantium ortus sit prima Animæ participatio in vnoquoque calido, & vita sit eius permansio, innato calore congeneum humidum depascente, nutritionis oritur necessitas; vt, quod caloris efficientiâ effluxerat humidum, consimili quodam alimento restituatur, atque ad vitam protrahendam reponatur. Si igitur tuendæ, protrahendæque vitæ gratiâ, à naturâ instituta nutritio est; finis autem, cæteris omnibus causis leges præscribit: quæ partes altrici seruiunt facultati, eius maximè, quæ caloris & vitæ sedes est, & fons ministræ & ancillantes erunt. Quæ cùm omnium consensu sit Cor; quid clarius, quàm reliquas omnes corporis partes, aut nutritioni, vt Hepar; aut verò certis aliis vitæ muniis dicatas, Cordi famulari? Prætereà, ea corporis pars, cuius munus in iugi & perenni operatione continetur, cæterarum, quæ ab opere cessantes sunt, & intermissionem habentes, prior esse videtur. Eiusmodi autem est Cor, vtpotè id, cuius actio ita ad vitam est necessaria, vt ne minimâ quidem temporis parte ab eâ separetur. Cùm enim non semper actu nutriatur, sentiátve, aut moueatur animal; sed sæpè sopita, & quiescentia langueant earum functionum principia, sola vitalis facultas, siue motuum diastoles, & systoles, omninóque arteriarum pulsationis; siue etiam caloris, ab eâ in totum animal influentis ratione, in perenni versatur ministerio, quo animal regatur, & viuat. Quod enim ait Aristoteles, tandiu animal viuere, quandiu alitur, non eò spectat, vt quâuis vitæ particulâ continuatum sit, & non intermissum nutritionis opus, ídque maximè, quod in alimenti ad eius, quo alitur, substantiam appositione, consistit. Nam, vel ipsis statim vitæ primordiis, exuberante humido, innatúmque calidum, quasi & surgentem flammam, quodammodo obruente, nulla omninò est nutritionis, aut necessitas, aut vsus: sed per vniuersa vitæ tempora, potiùs quàm singulis illius momentis, nutriendi animalis necessitatem indicat. Deinde, cum vnico partium corporis principio posito, adminiculantibus ad id miro quodam ordine & consensu, Cerebro, Hepate, & testibus, calore & spiritibus, per varias sedes distributis, omnia vitæ munia, nullo incommodo Peripatetici tueantur; cur frustrà plura ponuntur principia? Quod, si vnum alteri, in Corde obstare munus dicatur, tres statim Cordis cauitates, vacuáque spatia, Aristotelis testimonio occurrunt, duo conspicua, tertium verò obscurius; duóque prætereà substantiæ genera, sanguis; illiúsque vapor, spiritus, quorum ministerio varia natura explere officia possit. Vsus prætereà cuius gratiâ nutritionem natura instituit, altricem indicat facultatem in Corde residere. Cui namque corporis parti prius, aut antiquius, magísve oportunum esse debuit nutritionis munus, quàm Cordi, in quo, tanquàm in humoris vitalis radice, calorísque innati, & foco, & fomite, maxima

ſit humidi diſſolutio? Cui etiam ob perennem, celerémque motum, aqueus à naturâ tributus eſt humor, ne æſtuans exureretur ſpiritus, atque in igneam verteretur naturam? Ad hæc ratio accedit ex Cordis cum cœlo proportione ducta. Quemadmodum enim cœli motu, & lumine, mundus hic inferior continuò gignitur, fouetur, regitur, quæ ſi deſint, vniuerſa ferè mundi machina diſſoluitur, quam etiam ob cauſam, Ariſt. diurnum cœli motum, vniuerſi vitam appellabat. Non ſecùs vitali calore, luminis inſtar, per arterias, veluti per radios in totum corpus diffuſo, aſſiduáque Cordis motione, nullo vitæ inſtanti interruptâ, pulmonúmque ſe contrahentium, deincépſque ſpiritu dilatantium aſpiratione, & reſpiratione, animalis vita ſeruatur. Auget de Cordis principatu opinionem ſubſtantiæ, ex quâ conſtat, ſimplicitas, omnis alienæ miſtionis expers, cùm Cerebrum, Hepar, ſplen, teſtes, ex variâ partium coagmentatione coaluerint, neruis, venis, arteriis per totam illorum ſubſtantiam diſſeminatis, Cordis alioqui carne ſimpliciſſimâ, ſibíque vndique ſimili exiſtente. Quid de admirabili Cordis ſtructurâ dicam? Quod coni figuram referens, recto motui aptam, eius baſi è ſpine regione, in medio thorace poſitâ, cupidéque ad ſiniſtrum latus declinante, multiplici partium famulatu, auribus, cannâ, pulmonibus, geminóque vtrinque adiacente ſinu inſtructum conſpicitur, cùm Cerebrum ipſum informis, craſſáque per ſe medulla ſit; Hepar verò parenchyma, ac ſanguinis veluti concretio quædam. Quænam prætereà eſt pars, pluribus à naturâ præſidiis ſepta? Quippe quæ munita eſt firmiſſimo pericardij inuolucro, quod vix gladio traiiciatur, pectoréque toto, & coſtis, inſtar valli cuiuſdam munitiſſimi, adiacentibúſque vtrinque mammilli firmata, quæ præter lactis vſum, quem in feminis ad infantium nutritionem præbent, Cordis quoque calorem fouent, atque à noxiorum occurſu tuentur. Vnde & rectiſſimè à nonnullis, humanum Cor variis affectibus, perturbationibúſque obnoxium, arci munitiſſimæ, ab hoſtibus obſeſſæ, quibus plures aditus patere poſſint, comparatum eſt.

Nam & per quinque exteriores ſenſus, ac per animoſam, concupiſcibilémque animæ vim, tanquam per aditus, oppugnatur rationalis anima, in Corde, vt in arce conſtituta, eadémque variis affectibus; & vitiis tentata, niſi cautè diligentérque cuſtodiatur, ſæpiſſimè etiam expugnatur.

Ad hæc, quæ ſolæ corporis pars nullas aut gignit, aut verò aliunde recipit ſenſiles reliquias & purgamenta: hæc vna maximè cæterarum obtinet principatum; à quo ſordida omnia & ſuperflua ſemota eſſe debent. Eiuſmodi verò eſt Cor; in quo nihil prorsùs tale gignitur, aut recipitur, aut verò ſecernitur, nulláque ei adiacet pellendis excrementis dicata pars. Cerebrum verò, atque Hepar, multas gignunt, excipiúntque reliquias. Illud quidem mucoſæ eluuiei veluti ſentina, cuius emungendæ naſus eſt veluti riuus; cui etiam ſint, aures, ad bilioſas excernendas ſordes, poſt auditionis officium datæ. Hoc verò flauæ bilis, melancholici, ſeroſique humoris, copiam vnà cum ſanguinis materiâ admittens, quæ per annexam fellis veſiculam, lienémque & renes, pérque meatus connexos, à puriori ſeparentur ſanguine, ac tanquam ſuperflua expellantur. Rursùs, vt animal omne ſanguineum, Corde, Hepatéque neceſſariò præditum eſt: ita multa ſunt exanguia, imperfectáque animalia, quæ licèt vtróque partis genere re ipsâ careant: in iis tamen pars vna ſpectatur,

à qua tamquam à vitæ, motionisque principio cæteræ pendent, quæ Cordis dicitur obtinere rationem. Sed & Cordis principatui fauet monstrosorum animantium ortus, in quo obseruatum est, quòd cum aliæ aliis partes desint, aliæ etiam supersint; nonnulli absque capite interdum conspecta sunt; alia, quæ non toto constarent iecinore; alia quibus segmenta illa, externæque Hepatis partes quas lobos vocant, plures numero essent; alia splene, aut verò fellis vesiculâ carentia, alia quibus vtráque inesset duplicata pars; alia quæ vno tantùm constarent rene; quædam etiam, quibus lien in dextro, Hepar in sinistro latere adiaceret. Cum tamen nullum vnquam hactenus compertum sit animal, quod sine Corde esset; aut verò, quod numero, magnitudine, figura, aut situ vitiatum, ac præter naturæ ordinem, id constitutum obtinuerit. An igitur id in naturæ prouidentiam referendum est, quæ superioris mentis consilio, & intelligentia in rebus efficiendis freta, quanquam exsuperantis, vel deficientis materiæ ratione, aut verò conuenientis in efficiente, mouentéque principio proportionis defectu, à proposito in reliquis corporis partibus effingendis, aberret nonnumquam: in iis tamen, in quibus tota animalis constitutio & salus nititur, rectum cursum tenere, inuiolatámque sui legem seruare nititur? Idque vel maximè præstare studet, vt si in aliquibus deesse aliquid, vel superesse contingat; nihil tamen simile in iis partibus accidat, quæ siue in procreando, siue in constituendo animali, siue etiam in tuenda vita, & prorsùs necessariæ sint, & cæterarum corporis partium quasi principia, totiúsque animalis fundamenta. Postremò, si liceat Philosopho, Christianam veritatem profitenti, Theologicis, Politicísque rationibus, Philosophiæ placita confirmare, illustri diuini verbi testimonio, quo primum vitæ mandatum continetur, rem totam constabilire non verebor, vberioris saltem doctrinæ gratiâ. Scriptum namque extat *Deuteron. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo, & ex tota Anima tua, & ex totis viribus tuis.* Quod enim verba hæc interpretati sunt aduersarij, allegoriam obiicientes, vt non aliqua corporis pars, sed vel Anima, vel vita intelligatur, durius videtur. Siquidem præterquam quod planâ, simplicíque oratione, & sensu, duo illa summa benè, sanctéque viuendi mandata, quæ ad hominum quorumcumque institutionem tradebantur, propriis, conceptísque, & ad popularem sensum accommodatis verbis, exprimi debuerunt; verba quoque, quæ de Anima nominatim post Cor subiiciuntur, hanc interpretationem excludunt. Deinde, siue propriâ significatione, siue translata, Cordis sumatur vocabulum, Animæ certè sedem & domicilium indicat, quo tota hominis natura, ac demùm quicquid in eo est, quod omne Deus à nobis meritò postulat, comprehendatur.

Huc accedit dilucida loci illius explicatio ex Salom. *Prouer. cap. 4. Omni custodiâ serua Cor tuum: quia ex eo vita procedit.* Sexcenta prætereà licet eiusmodi proferre loca, ex quibus Animæ sedes diuino verbo in Corde constituatur. Sed de his satis. Nunc ad Galeni opinionem descendamus.

Galeni, & Medicorum quorundam de Animæ sede sententia. Malè à Galeno nonnullis Aristotelis rationibus responsum fuisse.

CAPVT III.

MAGNI ingenij, & experientiæ vir, Galenus, Platonicæ doctrinæ, quam ille præ cæteris adamauerat, studiosus, gloriæque præter modum cupidus, cum ex Anatome neruos, non à Corde, vt Arist. sed à Cerebro ortum ducere, venásque etiam in iecinoris substantia multas, magnásque disseminatas didicisset, præclaram, quam semper optauerat, contradicendi occasionem nactus, vniuersam Arist. opinionem de Animæ sede, argumentis ex iis, quæ sensibus apparent, depromptis, euertere conatus est. Non itaque in Corde, Animi esse sedem, & locum: sed in tribus corporis partibus tres primarias vires, loco distinctas; altricem quidem in Hepate, quæ inde sanguinem per venas in vniuersum corpus distribuat; vitalem in Corde, quæ per arterias, calorem, & spiritum diffundat, motricémque & sentientem in Cerebro, per neruos in toto corpore communicantes, ad sensûs & motûs functiones obeundas, tanquam in principiis seorsùm posuit.

Quibus & quartam genetricem, in testibus sitam, addebat; quæ, per seminaria vasa, genituram ad loca procreationi apta deferens, animantium naturam, continuatâ indiuiduorum successione propagaret, ex fluxísque, & caducis viuẽtibus singulis, species efficeret sempiternas. Cuius argumenta antequàm exponamus, quo pacto ille nonnullis Aristotelis rationibus, superiori cap. allatis, responderit, videamus. Aiebat, inprimis falsam esse Aristotelis suppositionem, omnis multitudinis vnum esse principium, à quo omnia regantur. Siquidem quædam sunt corporis functiones, quæ vnico principij & instrumenti genere perficiantur, vt aspiratio & respiratio Pulmonibus; loquela linguâ, aliáque eius generis, quæ in eo munere prima sunt, vt nullum aliud principij genus relata. Qui tamen minùs videtur Aristotelis sensum, vímque verborum consecutus. Non enim ait Aristoteles, in omni corporis parte multitudinem quandam esse: sed in toto animali; & in variis partium generibus ordinem spectari ad vnum principium, ad quod reuocentur omnia. Itaque vnius principij dominatu animal, quod alioqui Microcosmon, ob eam, quam cum mundo toto similitudinem habet, nuncupauerat, regi & gubernari. Sed ignoscendum viro minus fortasse in Politicis versato, quippè qui non intelligeret; tum demum eam Rempubl. & ciuitatem benè constitutam, vel institutam esse, in quâ vnius, non multorum gubernaculis omnia gererentur, Regiúmque statum, optimatum, & populi administrationem longè antecellere. Nunc reliqua, quæ magis ad rem faciant persequamur. Negabat prætereà ille, ante cæteras omnes corporis partes Cor exoriri, ac si quid primùm in ortu conspicitur, illud Hepar esse asserebat. Nam in animantium, quæ similem habent cum hominibus generationis modum, dissectione, primis statim diebus vix potest conceptus distingui. Cum primùm autem formatus iam in vtero fuerit, vt in aborsibus, qui mensem expleuerint, tum vnà cum Corde, & Cerebrum, & Hepar, &

cæteras corporis partes apparere. Quòd si concedatur, Cor cæteris partibus prius gigni, non ideò consequi, partem eam, omnium functionum principium esse. Ita Aristotelis rationem, ex primâ partium origine ductam, obscurare Galenus tentauit, quam tamen in robore manere, sensúque & experimento inniti docebimus. Nam vt demus, difficilè admodum esse in vitæ primordiis, Cordis figuram distinguere, quin simul cum eâ aliæ quædam appareant corporis partes, & instrumenta: non tamen ideò corruit Arist. ratio vniuersa. Siquidem experientia testatur, post omnes alias animalis partes emori Cor, retracto nimirùm eò, à corporis extremitatibus, aliisque membris, vt in proprium focum, calore. Visi namque sunt homines, morte in præcordiis conceptâ, quibus & caput, & omnes corporis extremitates rigerent, sensûs, & motûs expertes, quibus tamen, quod exspirâssent, pulsaret, calescerétque Cor. Neque aliunde efflatam in moribundis animam deprehendimus, quàm cum gelidis cæteris omnibus & immotis partibus compertis, pectori manu admotâ, nulla ampliùs palpitationis, & caloris vestigia circa Cor relinquuntur. Quod & extrema apud Platonem Phædonis confirmant verba, quibus Socratis, ex mortifero iam hausto poculo mortem recensens, eum, qui venenum tribuerat, aliquandiu post pressis ab eo cruribus, manum paulatim altius admouentem astantibus indicâsse testatur, illum iam & friguisse, & riguisse. Quo rursùs tactu explorante, admonuisse eum, cùm ad Cor frigus peruenturum esset, tum demum è vitâ migraturum. Paulò verò post, frigidum iam ventriculum sentientem, detecto statim corpore, quæ vox illi, extrema fuit, ita effatum: Gallum (ô Crito) Æsculapio debemus, quem reddite, neque negligatis. Qui tandem, ex quiete paulò post commotus, extremum vitæ ediderit spiritum. Ita non experimento modò, sed & ex Platonis auctoritate, communíque omnium consensu colligere licet, priorem naturâ esse Cordis, quàm cæterarum omnium corporis partium conformationem, cùm extremum sit, in quo calor exstinguatur, vitáque deficiat. Quæcunque autem actio, à naturâ, certo partium delectu, atque ordine instituta, in aliquâ parte corporis, temporis tandem tractu, absoluitur, eadem naturæ lege, in eâ ipsa inchoari debet. Sed si vltrò etiam demus, ex Hippocratis & Theophrasti mente, membra omnia simul conformari, & increscere, nullúmque prius aut posterius alio exoriri; ordo tamen quidam in partibus remanet, quo Cordi principatus tribuatur. Nam & primùm absoluitur, & ante omnia mouetur, cæteris prorsùs immotis manentibus. Quod & in ouis, quæ auibus, subiiciuntur, statis quibusdam incubationis diebus, apparere aiunt, in quibus tria puncta subcruenta primùm emergunt; quorum quod medium est, quiescentibus reliquis, obscura quædam habeat distentionis & contractionis rudimenta. Non fuit autem temerè tantus, támque assiduus motus, parti corporis à naturâ, vel in ipsis vitæ primordiis tributus, sed potiùs consultissimè, vt in caloris & humoris fonte & principio, alioqui calidissimo, attracti aëris beneficio refrigerato, animantis vita seruaretur. Quod autem ad feminæ prægnantis experimentum attinet, quæ sexto conceptûs die, saltare ab Hippocrate iussa, ex vtero quidpiam pelliculis inuolutum emisit, Hepatis substantiæ similimum, nihil firmum colligere videtur. Tùm, quia nihil de eo constanter Hippocrates protulit, tùm etiam quòd in ambiguo coniicere potiùs liceat, vel fuisse illud Cordis rudimentum, vel certè

rudem quendam & informem ſanguinis globum, in vtero concretum. Tertia ſequitur Ariſt. ratio, à ſitu Cordis petita, quam infirmam eſſe, Galenus obiicit, quòd non Cor, ſed Vmbilicus, medium animantis locum obtinuerit, æquè ab extremis diſtantem. Quem nouiſſe opportebat, non ex æquali ab extremis diſtantiâ, medium animalis diiudicandum fuiſſe, ſed à toto thoracis interuallo, in quo membra omnia, ſiue conficiendis alimentis, ſiue ſecernendis excrementis idonea continentur, eóque magis, quo animalium genera quædam ſunt, quæ Capite, & cruribus carent, cùm alioqui nullum ſit animal pectore, vel cauitate mediâ deſtitutum. Sed vt ad venarum in Corde, & iecinore apparentium magnitudinem deſcendamus, venæ cauæ truncum non maiorem in Corde conſpici, ſed in Hepate inſigniorem eſſe, Gal. ait, vt vel eo maximè argumento efficiat, ab Hepate, non à Corde cauam illam venam proficiſci. Quâ de re, vt ea omittamus, quæ Angelo Viſca, viro eruditiſſimo, Anatomen adminiſtrante, plerúmque obſeruauimus, vnum omnium noſtrâ ætate celeberrimum, *Andream Veſalium*, commemorabo, qui præter multa, quæ de re hac, litterarum monimentis prodidit, à Ludouico Buccaferrea, Philoſophorum noſtræ ætatis præſtantiſſimo, teſtis pro Ariſtotele citatur. Quòd eo ſuperioribus annis Anatomen, magnâ ſui nominis celebritate adminiſtrante, cauæ venæ maior truncus in Corde, quàm in Hepate, eo ſpectante, indicatus ſit, ita Hepatis ſubſtantiæ alligatus, vt ſtylo ferreo ad dextram Cordis aurem tranſmiſſo, vniuerſa Hepatis moles, ad venam vſque magnam, ſpinæ dorſi adiacentem traiſceretur; quod & à nobis, & ab aliis poſteà fuit in aliis diſſectionibus obſeruatum. Improbat extremo loco Galenus, Ariſtotelis rationem de impatibili Cordis naturâ, eámque ad Cerebri magis, quàm ad Cordis principatum facere, eo argumento docebat, quod vulnere Cordi inflicto animal aliquandiu viuat, Cordéque euulſo clamet, moueatur, ambulet; Cerebri autem ventriculo vulnerato, ſenſu ſtatim & motu priuetur, amputatóque Capite confeſtim intereat. Cui ſanè obiectioni egregiè ab Aphrodiſæo reſponſum fuit, diuerſa eſſe experimenta, quæ vtrique faueant opinioni. Vt enim nonnulla exſecto Corde viuentia, longiori temporis curſu perſiſtunt, vt Teſtudo, atque Chamæleon: Ita alia quædam ablato Capite diutius viuere, experimento comprobatum eſt. Quin & anſerem iam volaturum, & fugientem anatem, illum ad certam ſpatij diſtantiam, præciſo Capite volâſſe: Hanc perpauculis ambulâſſe paſſibus, & nos interdum vidimus, & alij multi conſpexerunt. Nam præter conceptam in Animâ, ex oblatâ extrinſecùs occaſione, eodémque inſtanti in corpore inchoatam fugam, motionum effectores ſpiritus in partibus relinquuntur, eo ferè modo, quo taurum, euulſis teſtibus, genuiſſe ferunt, ſemine videlicet anteâ confecto in vaſis relicto, ac paulò poſt in vterum emiſſo. Cur autem ſæpiùs eueniat, vt adempto Capite, aut viâ ad Cor præcluſâ, momento animal vitam deſerat, in Cordis calorem referendum eſt, qui naturâ propè igneus, Cerebri contemperatione ceſſante, ſimul & accenditur, & accenſus protinus exſtinguitur. Sed de Ariſtotelis rationibus hactenus.

CASPARI HOFMANNI ἐπίκρισις.

1. INter alios, qui de hâc materiâ ſcripſerunt, cùm maximè ſolicitus fuerim hactenus de hoc Autore, nactum illum, licet ſerò, à CL. D. RENATO

MOREAV, Doctore Medico Parisiensi celeberrimo, ibidémque Regio Professore meritissimo, libuit denuò luci dare, cum superpondio aliquo. Scripsit, ni fallor, primus Petrus de Abano, *Conciliator* dictus, *Venet. fol. anno* 1565. Posterior Antonius Ludouicus, *Vlysibonæ, etiam in fol. anno* 1540. Scripsit etiam Andreas Cæsalpinus, *in Quæst. Perip. Venet.* 4. *anno* 1593. Post hunc Franciscus Piccolomineus, Patauij primùm, deinde Francof. ad Mœnum, *in quart. anno* 1597. titulo: *De sede Animæ.* Post hunc Felix Accorambonus, *Annotationib. in Arist. passim, Romæ, in fol.* 1603. *vt meus præfert Codex.* Post omnes hos Cæsar Cremoninus, Doctor meus olim, *in Apologiâ pro Arist. Venet.* 4. *anno* 1627. Tandem ego quoque ductu & auctoritate viri Incomparabilis, Doctoris item mei, PH. SCHERBII, meditatus sum aliquid *in Controu. septem, præmissis opellæ de Locis aff. Norib. in* 12. 1642.

2. Heic tu quæras, quem inter se respectum habeant duæ istæ inscriptiones, Nostri, *de principatu partium:* & illâ, *de Sede Animæ?* Respondeo, vt apud Galenum 1. *Vs. p.* Corpus est tale, quia anima talis, itaque Anima est prior: sic inquisito Animæ sedis est prior principatu partium. In re nihil discriminis est, si modò rectè intelligatur.

CAPVT I.

3. HOc ἐπίσαγμα addo propter Buccium, qui statim in limine heic offendit. Licèt enim rectè dicat, Animam essentiâ quidem vnam, variis tamen instructam esse facultatibus, quarum vna contineat alteram, non secus ac τρίγωνον est in τετραγώνῳ: tamen vult defendere vulgatum illud axioma, *Anima est tota in toto corpore, & tota in quâlibet eius parte.* Reuerâ, quod puer in triuialibus scholis didici, Axioma hoc ex ἀδιαπτώτῳ non exiit. Sic enim tota est in quâlibet parte, quomodo est multiplex, pro numero scil. partium, in quibus efficax est? Ita etiam est, vna quidem est Anima: sed tota radicaliter in Corde, potentialiter in reliquis partibus, beneficio scilicet instrumenti primi & communis, Caloris, seu Spirituum, quod ipsus fatetur Gal. 14. *Vs. p.* 6. Vide *ης. φυσιολ. cap.* 42.

4. Tu verò, quisquis es, statim sub hoc initium disce causam, ob quam veteres statuerint Animam multiplicem, seu, vt loquebantur, μεριστὴν, diuisibilem? Aliâ scilicet parte νοεῖ, dicebant, aliâ ἐπιθυμεῖ, aliâ hoc agit, aliâ illud. His Arist. *lib. de Animâ vlt. t.* 90. suam subitò ostendit Gorgona: τί οὖν δή ποτε συνέχει τὴν ψυχὴν, εἰ μεριστὴ πέφυκεν? *Quid igitur continet Animam, si de naturâ ipsius est diuidi in partes?* Horum si dederis aliquod, inquit, de eo ipso quæram: Quid est, quod illud continet? Et sic in infinitum.

5. Hoc ipsum omni iure meritò obiicitur Gal. *Si Anima tua est triplex, instar Geryonis, quid vnit illam?* Tùm ille subitò Proteus factus, Hipp. & Platonis laruâ sumptâ, è scenâ se proripit. Verùm, hâc de re alibi.

6. Huic penè similis factus Buccius, ibi, *Quòd quanquam reliquis partibus iunctum sit & illigatum,* &c. ad Arist. confugit, & fatetur, Cor, beneficio caloris, in alias partes distributi, facere omnia alia. Hoc ipsum Buccius clarius vult docere, cùm *fol.* 9. proponit quatuor summa capita, quibus tota eius nititur opinio. Hoc vult, ni penitus fallor.

7. Arist. vt possit probare vnitatem Animæ, quatuor facit hypotheses. I. Corpus est vnum, Ergò Anima quoque est vna. Vnius enim materiæ, vna est forma. II. Vna hæc Anima sedem habet in vnâ aliquâ parte, quæ Cor est. III. In Corde generatur sanguis, qui est nutritionis materia. IV. In Corde est principium sensûs & motûs. Heic omnium difficillimum probatu est, *Cordi hæc omnia competere?* Probat ex conformatione: ex politiæ præstantiâ: ex situ in animali: ex robore, quod, aliis partibus læsis, ipsum manet illæsum. Quæ ipsa cùm deinceps particulatim probat, ita agit, vt verè dicere potuerit SCHERBIVS, *Tota ratio non est magni momenti.*

8. Meo conto si nauigetur, illam potiùs rationem pro efficacissimâ haberem, adeóque in frontispicio ponerem, quæ est *fol.* 12. Illa pars est absolutè princeps, illa est sedes Animæ, è quâ primum & commune instrumentum omnium actionum, Calor & Spiritus, oriuntur. Illa verò Cor est, non Arist. tantùm consentiente & Gal. sed experientiâ vulgi, vt Buccius proponit.

9. Hanc porrò ita illustrarem: Illa pars est princeps, è quâ, præter primum instrumentum, secundaria etiam oriuntur, Venæ, Arteriæ, Nerui, quæ Calorem per totum corpus didunt. Vbi aliquis τῶν σκαιῶν, *Hoc in æternum non probabis!* Ego verò dudum probaui ita, vt tu, tuíque similes ne mutire quidem ausint. Dicam verò fortassis heic quoque aliquid, vbi Buccius eò me comitatus fuerit. Et hæc ratio prorsùs Apodictica est: quæ sequitur, Topica est.

10. Cor, inquit, situm habet medium in toto corpore, Tu puta, vt inde, tanquam è regiâ imperitare possit reliquis partibus. Hoc ille probat per analogiam, cuius Natura vtrobique studiosa est, in plantis ita est; ergo in animalibus quoque ita esse debet. Hoc ita explicarem; In plantis res valdè obscura est, quia totum per fibras fit: at in animalibus sunt tria vasorum genera, per quæ fit distributio. Vt igitur in Aquæductibus, cum quibus veteres libenter comparabant, aqua ex Castello aquilegis dicto, per suos canales quaquà versum in omnes vrbis plateas diuiditur: ita materiæ, à Corde elaboratæ per vasa iam dicta, in omnes partes.

11. Tertia eiusdem valoris est. In animali est gubernum tale, quale in regio, seu monarchico statu. Vt enim in hoc omnia referuntur ad vnum, quamuis non omnia fiant ab vno: ita heic, Cor facit quidem omnia: sed quædam in aliis partibus. Verbi gratiâ, sanguinis verè alituri partem quandam facit ipsum: quandam in Hepate, vt alibi me explicui.

12. Quarta sumitur à sensu, ab ortu venæ cauæ, quam immediatè à Corde esse contendit, & verè. Huic ego opitulans olim, in præexercitationibus meis Anatomicis, ostendi adolescentibus, ortum venæ cauæ à Corde non esse alium ab ortu arteriæ magnæ, dilitatâ scilicet substantiâ Cordis. Neque verò differentia vlla alia est, quàm quod Arteria quidem texturam sortita est densam, veluti pannus laneus: Vena autem raram, veluti lineus. At quæ contrà dissimilitudo est cum Hepate? Præsertim apud Galenum, apud quem vena est ex semine, Hepar ex sanguine? Adde, quod ad sensum etiam pertinet, vena caua attenditur Hepati tantùm, immissis in illud propaginibus quibusdam. Hoc argumentum quatenus concludat, patet ex eo, quod dixi: Non omnem sanguinem fieri in Corde, quod alibi deducitur.

13. Quinta à metu, quæ planè non militat, & apud Arist. aliò pertinet, ad πάθος ipsi dictam; seu perturbationes animi, quæ cum motu voluntario nihil commune habent.

CAPVT II.

14. SVperioribus rationibus Arist. incipit Buccius addere alias: sed profectò bonam causam non optimè agit. Primum argumentum est ex iis, quæ πρὸς τι ἀδύνατον Vel nullum est, inquit, in animali principium, vel vnum, Quid ita? Qui principium dicit, primum dicit, atqui primum est vnum. Quomodo? Primum enim est τῶν πρός τι, & relatum subitò respicit correlatum suum, vt iam duo sint. Post habito igitur argumento, Ordo, (dicebat SCHERBIVS) est dispositio quædam inter partes, & respectus quidam ad primam, ad quam vbi peruentum est, est princeps illa, quæ quæritur. In hoc ordine ita comparatum est, vt partes in se inuicem ita sint coordinatæ, vt vnum constituant animal, quod tamdiu vnum est, quamdiu cohæsentia illa durat. Et hæc est σύμπνοια & συμπάθεια, quæ fit per vnam formam, quæ residet in parte illâ principe. Si hoc satis non est, accipe hoc quoque. Sunt quidem in animali plures formæ, sed tanquam gradus ita dispositæ, vt inferior includat superiorem, verbi gratiâ, nutriens sentientem, sentiens rationalem. Quo verò modo id fieri potest? Ex parte principe egreditur aliquid in minus principem, vbi cum aliquid passum est, actionem peculiarem edit. Hoc iam requirit aliam distinctionem, Temperamentum est duplex, Commune & Proprium. Illud à parte principe est, vt vocatur in animalibus Calor, seu spiritus: hoc à parte propriâ, huic actioni distinctâ. Calor in Hepate, (verbi gratiâ) quasi ignefactus, gignit sanguinem: in Cerebro contrà attemperatus, sentit: vbi in homine illum temperiei gradum acquisiuerit, quem debet, etiam ratiocinatur. Hinc petitur responsio ad problema, quid faciat diuersas facultates, diuersas species Animæ? Temperamentum commune, iunctum temperamento proprio. Et ita est apud Aristotelem: quare Platonici, & qui inde habent Galenici, non possunt tantoperè vrgere illud: Vbi est principium neruorum, ibi est principium sensûs & motûs. Concedo, inquiebat SCHERBIVS, de instrumento secundario, neruo: non de primario. Requiritur aliquid amplius, quod à Cerebro est. Exempli gratiâ, cur ego, post paralysin leuiorem, tam malignè pingo litteras? Cur in ingressu opus habeo scipione? adeóque non audeo me credere publico? Cor enim dat Cerebro & neruis, quod debet. Ita, cur serpentes, & omnia Græcis φωλεύοντα dicta, hyeme latent, adeóque immobilia sunt, mortuorum instar? Frigida sunt naturâ, & opus habent calore externo. Ita plantæ quædam hyeme exarescant, nouo vere regerminant, cum habent fauentem aërem.

15. Autem, credo, peruellerat Buccio Adrastiâ, vt mentionem tantùm faceret huius in naturâ ordinis! Fecit: sed tàm turpiter se gessit, vt odio dignior sit, quàm veniâ! Dicit extremò *fol.* 16. Qui ordo est facultatum inter se, idem locorum esse debet, in quibus illæ resident. Atqui prior est naturâ facultas vitalis altrice & motrice, siquidem prius viuimus, quàm nutriamur, &c. Hominum fidem! Quid non audet imperitia, coniuncta cum seruili adulatione! Cur non ingenuè dicit, qui sint in fames natales furtiuæ huius facultatis? Vetu-

ſtas omnis docuerat, applaudente ipsâ rerum Naturâ, tres eſſe omninò facultates. 1. φυτικὴν ἢ θρεπτικήν, quæ in plantis ſola eſt. 2. αἰσθητικὴν καὶ κινητικήν, quæ vnà cum priore illâ in animalibus brutis. 3. λογικὴν ἢ νοητικήν, quæ in homine ſolo; vnde igitur quarta hæc, & in quibus mundi partibus? Orientis an Occidentis? Vt intelligas, ἡ φυτικὴ plantarum eſt in medullâ, analogo Cordis, ἡ αἰσθητικὴ brutorum, in Corde, eiúſque adminiſtro Hepate, quatenus in duobus his viſceribus ſanguis generatur pro alimento animalis; in Cerebro tandem, quatenus ſenſus requirunt ſanguinem ita temperatum, ne in animali fiant omnia tumultuosè ad inſtar phreneticorum. Et iam pro tribus viuentium generibus habemus tres facultates, tres partes principes. Vbi igitur facultas vitalis, & in quâ parte ſedem habet? Gal. qui hâc in parte videri vult Platonicus, accipit τὸ θυμικὸν (μόνον) Platonis, & Cordi, ne vacuum ſit, tribuit, mutatóque nomine, ζωτικὸν vocat. Quid? Eſtne θυμὸς & ζωή, vnum & idem? Quæ affinitas eſt inter vtrúmque, vt ſit inter illa prius & poſterius? Quando igitur alterutrum ex orcheſtrâ cedere oportet, vtrum dabit locum? Puto ὁ θυμὸς, qui alienigena eſt, & pertinet ad πάθησι Ariſt. abibit, ſtabit etiam ἡ ζωή, cui cum φυτικῇ ἢ θρεπτικῇ tàm arcta eſt amicitia, vt ſint idem. Apud enim Ariſt. de vitâ, *cap.* 2. ἡ θρέψις eſt μέθεξις τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς. ἡ ζωὴ δὲ ἡ μονὴ ταύτης. Quin apud Theophraſtum 2. *Cauſ. pl.* 8. idem ſunt ζωὴ καὶ τροφή. Iam igitur dico, vitalis facultas Gal. non differt, à Vegetatrice, ſeu Altrice Ariſt. niſi quod Ignis plantarius non eſt ſenſualis: Ignis animalis manu percipitur, & prodit ſe per pulſum & reſpirationem. Huius conſequens eſt, vt neque vita ſit prior Nutritione, neque Nutritio vitâ, ſed ſimul atque alterutra eſt, altera etiam eſt. Sed ſatis, niſi etiam nimium de his.

16. Pergit Buccius cumulare argumenta pro Corde, *& fol.*17. ita loquitur: Ea corporis pars, cuius munus in iugi & perenni potiùs motu eſt, quàm quæ quieſcit, principatum poſtulat, Talis eſt Cor. Vt magis ſtringat, ita ſoleo formare, Vbi actus eſt Animæ, ibi potiùs principatus quærendus eſt; Atqui in Corde eſt ſedes ebullitionis Ariſt. Ergò.

17. Aliud eſt *fol.* 18. Quod fieri poteſt per vnum, fruſtrà per plura inſtituitur, Atqui Cor ſufficit regendo animali, Ergò. Quo loco moneo, Buccium eſſe affinem errori, quem deprauatores librorum ipſius introduxerunt, In Corde tres eſſe ventriculos. Ego alibi fusè oſtendi, ſolum illum locum eſſe immunem à vitio, vbi ait: Cor eſſe ἀμερὲς ταῖς κοιλίαις: cæteros laborare.

18. Aliud iterum eſt *fol.* 19. analogia Cordis cum Cœlo, quod oratorium eſſe quiuis videt. Eiuſdem generis eſt ſtructura Cordis cùm reliquis viſceribus compoſitus. Eiuſdem ſitus, ὡς ἐν ἀκροπόλει, vt Ariſt. loqueretur.

19. Aliud eſt excrementorum vacuitas. Nimirùm, hæc in abdomine ſeparari debebant, vt alibi docetur.

CAPVT III.

QVæ heic contra Galenum dicuntur, non valdè premunt, niſi quod illum, Veſalij teſtimonio vrget, venam cauam circa Cor latiorem eſſe, quàm circa Hepar. Plures eam in rem teſtes adduco χϛ. φυσιολ. *cap.* 11. *num.* 2.

Testimonio Platonis de morte Socratis, non erat opus. Omnes enim homines id dicunt.

CAPVT IV. V. VI. VII. VIII.

HÆc omnia sunt indigna censurâ : imò lectione; Vno verbo, κίβδηλα. Eiusdem commatis est totus discursus Fernelianus de spiritûs vitalis Animatione. Quis enim vnquam ita locutus est? Nec verò dubito, SCHERBIVM quoque olim damnâsse hæc εἰς κοινὴν χεῖν, quod prouerbij est apud Galenum alicubi. In demortui enim bibliothecâ Buccius hic inuentus non est, licet publicè laudârit.





LVDOVICI BVCCAFERREÆ ORATIO,

HABITA BONONIÆ IN PRÆSENTIA ANDREÆ VESALII, ET BARTOLOMÆI MAGII, Anatomici Bononiensis,

Descripta à Franc. Puteo, Apologiæ pro Galeno lib. 3. fol. 118.

1. DEBETIS scire, ô studiosi, quod Arist. voluit, nostrum corpus gubernari ad modum vel statum Reip. in quâ vnus semper est, qui primus & præcipuus est, à quo tota res dependet, & quidquid in ipsâ tentatur sine ipso, id nullum habetur, & frustratorium, & si quid ab alio fit, ipso concurrente, in ipsum semper reiicit, vt dicatur, ab ipso factum esse. Ita Aristoteles voluit esse in corpore nostro. Sciebat enim manifestissimè, in ventriculo celebrari chylum: in iecore sanguinem, & similiter de aliis in aliis partibus. Sed has operationes non fieri, nisi virtus concurrat vel regis, vel alicuius principis, qui Cor est, voluit ipse. Cui Gal. videtur assentiri *5. loc. aff.* 1. cùm dixit, Mars immodicas sequitur immoderantias. Etenim simul cum ipso omnes vitiantur partes. Cùm enim peculiari cordis temperie actiones suas perficiant, hac pereunte, actiones quoque ipsarum perire necesse est, ac proinde Cerebri quoque & iecoris.

2. Ex quibus verbis mirandum equidem de Gal. est, quod in aliis tantoperè ab Arist. dissenserit, & heic voluerit, & vitæ & mortis Cor esse causam & principium, & quod aliæ partes etiam viuant & operentur ex ipso. Existimauit igitur Arist. aliarum partium actiones ad Cor reducendas esse. Ideò *3. Part.* 4. dixit: Cor esse sanguinis fontem & originem. Et hoc non sine causâ. Quid enim vegetatiua, aut, si mauultis, naturalis facultas, quam vitalis? Ex Corde enim descendunt venæ, (ita enim scrib fuerat) vt videtis ad Hepar, quæ deferunt spiritum vitalem, ex quo fit naturalis, qui deinde in iecore sanguificat. Si verò vitalis non est, dicite mihi, obsecro, quid faceret naturalis? Certè, manifestum est, quod nullus esset. Pari modo suspicari possumus, de

facultate Animali. Etenim, annon abolita esse & ipsa, nisi daretur & vitalis, ex quâ fieret, vt refert Gal. *9*. Vs. p. Ex Corde enim ad Cerebrum ascendunt Arteriæ, vbi rete (ita lege) est mirabile, in quo fabricatur animalis, quemadmodum etiam Gal. declarauit 3. sent. Hipp. & aliis locis. Et hæc facultas animalis est illa, quæ dat sensum & motum, cum per neruos defertur, ex corde originem sumens. Ad quod etiam Arist. reduxit 3. Part. 3. & 4. ita manifestè apparet, quod Arist. omnium facc. causam & principium in corde collocauit. In hunc finem adducit etiam illud, quod Cor primum oritur. Et id sensu percipitur. In primâ enim partium generatione statim Cor palpitare cernitur.

3. Sed heic exclamat Gal. *lib. de fœt. form.* volens, Cor non esse primum, quod generatur: Sed Hepar. Hoc quidem ratione comprobat: Sed ratio erronea est & absurda. Non enim valet, Hepar generatur prius, ergo operatio eius prior est. Quin vitæ operatio est prior. Prætereà, virtus formatiua non indiget nutritione, nisi præcedat resolutio, seu difflatio, seu quodcunque appellare velis. Primò enim viuit membrum, antequam nutriatur. Sed heic oritur difficultas, An hoc verum sit? Thomas enim de Garbo negat, hac motus ratione, Moueretur animal statim post principium generationis, ex quâuis leuissimâ causâ. Sed respondetur, In illo, quod medium est tempore inter primum instans generationis, & primum instans corruptionis, in eo fit nutritio non præcedente resolutione. Vbi enim sunt duo effectus, sed alter in potentiâ propinquiori, alter in remotiori, ibi non habet locum. Heic calor natiuus habet propinquiorem potentiam ad nutritionem, ideò præualet.

4. Verùm, pace illorum, opinio hæc erronea est & futilis. Etenim manifestum esse potest, &c. quæ vide *f. 119. b.* Me enim non capiunt. Eodem modo, quæ eodem fol. sunt, quod Cor sit primum genitum, quæque assertioni illi inædificantur, omnia ex imaginatione, sine vlla sensus fide, indigna sunt, in quibus occupetur, qui scientiam quærit. Et hoc quidem vsque ad illa *f. 120. b.* vbi duo sunt argumenta *ex 3. Part. 3.* alterum, quod in solo corde vasa sint appensa, reliqua autem viscera (Hepar dicam ego) transigant: alterum, quod solius cordis natura sit venosa. Et hoc est illud, quod suprà vrsi, vasa fieri ex substantiâ Cordis dilatatâ. Ex his concludit, Si vasorum, Ergò etiam sanguinis, adeóque Calidi natiui, quod ipsum actu est anima vegetatiua, & fundamentum sentitiuæ. Et hoc est, quod suprà dixi. In corde potius est actus ipse animæ, quàm vlla facultas, si rectè æstimemus rem. Sed hæc iam ad ἐπίκρισιν pertinent.

5. Sunt quidem hæc Buccaferreæ pauca & impolita: sed quis scit, qualia secura fuissent, si bonum virum non interpellâsset Barbaries Italica? Imaginor autem mihi, duo illum patraturum fuisse. 1. Remoturum obstacula: hoc est responsurum ad obiectiones Gal. 2. Confirmaturum sententiam Arist.

6. Quod ad prius, ita argumentatur Galenus, Vbi diuersæ sunt facultates, diuersæ requiruntur partes, diuersis etiam præditæ temperamentis, à quibus actiones edantur, Anima humana habet diuersas, imò contrarias facc. Ergo. Respondeo ad maiorem per restrictionem. Nisi facc. ita sint in se inuicem ordinatæ, vt prior includat in se posteriorem. Verbi gratiâ: Rationalis est subordinata in Sensitiuam, Sensitiua rursùs in Nutritiuam. Quomodo? Instru-

menta ſunt duplicia; vnum commune, Calor ſeu ſpiritus è Corde proficiſcens in reliquas partes, non quidem ἄλλος fit, ſed ἀλλοῖος. In Hepate enim igneſcit, vt ſanguinem conficere poſſit: in Cerebro attemperatur, vt ſenſus ſit apta. Iam igitur hæc ſunt duo inſtrumenta particularia, quæ rursùs requirunt alia ſecundaria, tria vulgò recepta vaſa.

7. Ex hoc naſcitur alterum argumentum, quod odioſè iactat Gal. περὶ δογμάτων, Vbi ſunt tria dicta vaſa, ibi eſt principium facultatis illius, in Hepate ſunt venæ, Ergò Hepar eſt principium & fons & origo Nutritiuæ: in Cerebro ſunt nerui, Ergò Cerebrum eſt principium ſenſitiuæ. Heic ego primùm deſertum querar Cor. Sed erit in promtu reſponſio, Cor eſt principium vitæ. In hoc ego diuerſus ibo à Buccaf. Vita non eſt propria quædam facultas (vbi enim ſeorſim eſt?) Sed eſt ipſiſſima Nutritio. Hæc enim fit, non à ſolo ſanguine venoſo, ſed ſimul arterioſo. Et hinc reſponſio patet ad diuerſa temperamenta. Concedo, dicebat SCHERBIVS, de propriis inſtrumentis, non etiam de communi, calore ſeu ſpiritu. Atqui tu concedis, fieri ἀλλοῖον? Non refert. Loquor de calore, quà calor; non de gradu ipſius. Et hactenus de communi ſeu primario inſtrumento vici: quod ſi vicero de particularibus quoque (vaſis, inquam) triumphus mihi denegari non potuit. Erit autem præcipua pugna de Neruis, de quibus *in* χζ. φυσιολ. *& alibi.* Et hæc de priori:

8. Quod ad poſterius. Pro Ariſt. efficaciſſ. vt ſupra vocaui, argumentum eſt: Illa pars eſt ſedes animæ, quæ eſt fons communis inſtrumenti, Caloris ſeu Spirituum, Atqui Cor hoc eſt. Calor enim Naturæ tam familiaris eſt, vt Medici (& horum primus Hipp.) reprehendendi non ſint, ſi Animam appellant Calorem, quia Medicè loquuntur. Sed non eſt origo ſecundariorum ſeu particularium vaſorum? Imò eſt, vt modò dixi. Sed non ſit: reſpondete de primo, ſeu communi. Si Natura, quæ nullibi deficit in neceſſariis, collocauit in Corde, collocauit vtique vt vaſa, quæ didunt illud in corpus. Dicunt, Non omnium ſpirituum ſunt, inſitorum, verbi gratiâ: Inſiti ſi non mouentur, non ſunt ſpiritus, & eſt oppoſitum eſt in adiecto. Præterea, olent cauſam continentem Stoïcam, vt ex Alexandri *lib. de Miſt.* alibi dixi. Sed Cerebrum eſt origo ſpirituum animalium? Omnes concedunt: ſed ita, vt ex Corde ſubuolârint. In Corde igitur generantur. Sed & in Hepate ſunt? Gal. ipſe latè dubitat, vt nôrunt omnes. Interim ego nil dubito, & dico, promouere diſtributionem ſanguinis venoſi. Sed & is riuuloſè fluit ex ſectâ venâ, & poteſt ingredi ex arteriâ adiacente per anaſtomoſes.

9. Alterum Ariſt. argumentum eſt multiplex, & petitur à vulgo ex attributis. Primò, Princeps pars debet talis eſſe, vt in omnibus viuentibus, vel ipſa ſit, vel analogum ipſius. In animalibus ſanguineis Cor eſt: in plantis eſt medulla, aut aliquid aliud. At verò, quid in his reſpondet Cerebro? Nihil. Philoſophum oportet φιλαλήθειαν eſſe. Secundò, Princeps pars oportet ſit in loco medio, eóque munitiſſimo. Tertiò, Eundem vacuum eſſe oportet ab excrementis. Tale thorax eſt, minimè abdomen. Quartò, In reliquis partibus monſtra fiunt, naſcuntur bicipites, ſunt duo Hepata, permutant locum dextrum cum ſiniſtro.

10. Heic quidam dicunt, hæc aliquid oſtendunt, ſed hoc tantùm, Cor eſſe partem neceſſariam. Reſpondeo, hoc abundè dici poteſt de Hepate.

11. Quod de medio dictum est, eludunt quidam, Vmbilicus est. Sed respondetur, quæritur medium ratione ventrium. Imò verò, consideramus hominem erectum. Si hoc vis, extende etiam brachia, & circinum impone vmbilico, habebis etiam sic medium.

12. Aliud argumentum petitur ex comparatione Cordis cum Cerebro. Hepar enim heic non venit in certamen. In Cerebro est sentiens, At vbi est sentiens, vbi etiam rationalis est, quia sine phantasiâ non ratiocinamur. Cor est in perpetuo motu, quia calorem habet vegetum, & sentit excellenter: Cerebrum est frigidum, brutum & immobile: animæ enim calorem tribuimus. Hinc mortuos iudicamus ex frigore. Cerebrum etiam sine sensu est, quia Chirurgi abscinduntur magnas portiones. Quando de vitâ dubitamus, ad Cor attendimus, non ad Cerebrum. Est enim primum viuens, & vltimum moriens, de sententiâ omnium.

13. De motu Cerebri valdè ferocem se facit Gal. 8. *Vs.* p. At verò retuli ego ad arterias, duræ matri implexas, quâ in re consensum habeo SCHERBII. De dilatatione & constrictione corporis Cerebri, tantoperè dubitat Scheggius, vbi de Epilepsiâ agit, vt fibras illi adimat. Ego verò motum aliquem defero illi, ratione arteriolarum, quæ ductus dictos constituunt.

14. Sed non videt Cor, non audit? Non potest, quia instrumenta sunt alibi. Videt igitur, auditque in Cerebro, vbi spiritus ita sunt domiti, vt quietem præstare possint, valdè quàm necessariam ad receptionem specierum visibilium & audibilium.

15. De motu Cordis in fœtu qui ampliant, insolentes sunt. Est enim punctum saliens Plinij. Insolentiores sunt, qui analogiam in aëribus respuunt. Natura eundem ordinem seruat. Sic rectè argumentamur, Luna est sphærica, Ergo cætera quoque astra sunt. Inepti sunt, qui Corde in viuis exemto cucurrisse animal viderunt, Ergo motus non est à Corde. Est enim tantillum. Ita quidam capite truncati ambulârunt. Quidam, quibus viuis Cor exemtum fuit, locuti sunt, cuius rei historiam noui de anno 1569. in Thuringiâ, sed plura non dico. Inepti etiam sunt, qui spongias Aristot. obiiciunt. Non habent analogum Cerebri. Neque analogum Cordis habent De crustaceis secus se res habet. Non habent, vel Cerebrum, vel Cerebri analogum, tamen sentiunt & mouentur. Hoc refutari non potest, dicunt quidam Peripatetici. Puto tamen posse, Ab imperfectis ad perfecta non procedit argumentatio.

16. Iidem arguunt, modò à quiete seu somno animalium, modò à perturbationibus animi: ego non intelligo.

17. Iidem disputationem promouent ad mentem vsque, quam ita inducunt: Facultas appetens & cognoscens differunt λόγῳ tantùm. Intellectus concipit tantùm: at voluntas vt rem vel tristem, vel lætam. At appetens expressissimè est in Corde, Ergo cognoscens quoque. Horum quidam ita pingunt, Fieri potest, vt aliquis habitet heic, officinam habeat alibi. Ita mens habitat in Corde: opera sua edit in Cerebro.



IVLII CÆSARIS CLAVDINI QVÆSTIO,

AN FACVLTATES PRINCIPES ANIMÆ, secundùm sedes distinguantur in Cerebro?



QVÆSTIONEM hanc, quemadmodùm alias multas, non tam res ipsa difficilem reddidit, quàm partium auctoritas. Hinc enim Arabum schola tota est, hinc Græcorum familia, vno excepto Aëtio; Latinis interim variè dissectis, aliis illam, aliis hanc amplexantibus sententiam. Tractatur autem non immeritò à Medicis, vtpotè quæ ad medendi rationem, non secùs ac illa, de animæ ipsius sede, faciat. Vt enim, Galeno teste, *3. de Placit. cap. 3.* nisi constet, vbi sedes sit Animæ, cui parti, læsis eius actionibus, sint adhibenda medicamenta, dubium est: ita habet de principibus facultatibus. Diuersæ enim partes, si in diuersis insunt medicamentis, tractandæ sunt, prout hæc vel illa læditur; quod necessarium non fuerit, si in eâdem consistant. In eâ verò explicandâ, vt confusio omnis tollatur, & methodo, quam tractandarum rerum animam vocant Philosophi, res omnis agatur, hæc quatuor ordine persequar. I. Circa titulum quæstionis versatur. II. Fundamenta more Geometrico iaciam, quibus ad veritatem inueniendam, viam mihi muniam. III. Propriam opinionem adstruere conabor. IV. Quæ in contrarium solent adduci, remouebo.

QVÆSTIONIS PARS PRIMA.

Explicatur titulus Quæstionis.

IN titulo Quæstionis duo explicanda sunt; I. Per facultates Animæ principes quid intelligendum veniat? II. Quid sit quærere, An secundùm sedes hæ facultates distinguantur?

Quod ad primum attinet, per facultates principes eas intelligimus, quæ in solo principio, quod est in capite, nimirùm in Cerebro, actiones suas edunt. Hinc Galenus *in Arte Med. cap. 12.* actiones principes definit eas, quæ à solo principio, Cerebro (inquam) absque alio medio fiunt, ad differentiam sensûs & motûs, quæ præter virtutem à Cerebro datam, requirunt etiam neruos, per

quos fiant *lib. 2. de loc. affect. vlt.* loquens de iisdem, à nullâ aliâ parte fieri eas, præterquam à Cerebro, asserit; ideóque, vt & 7. *de Placit. cap. 3.* tradit, Cerebro esse proprias. Sunt autem hæ facultates principes tres: Imaginatrix, Ratiocinatrix, & Memoratrix. Quia totidem sunt operationes principes, *lib. de Diff. sympt. 3. ac 7. de Placit. 3.* Ex actionum autem numero, facultatum numerus colligitur, *lib. Quod animi mores cap. 2.* cùm facultas principium sit actionis, intellige instrumentale: nam principale est ipsa Anima. Sed contrà prædicta oritur instantia. Quia præter facultates illas tres, in Cerebro, tanquam in proprio organo, sunt & tres aliæ, nimirùm: Sensitiua, Motiua, & Spiritus animalis generatrix. Vnde videri alicui possit, cùm principes facultates sint, vt dictum est, quæ in Cerebro suas operationes exercent, non tres tantùm illas à nobis commemoratas, sed has quoque modò allatas, in illarum numero esse reponendas. Respondet Marcus Oldus, si benè memini, non esse inconueniens, inesse in Cerebro omnes has facultates, quia ex Gal. *in lib. Quod mores animi cap. 2.* in vno subiecto plures possunt esse formæ, vna quidem præcipua, aliæ particulares, vt apparet de aloë, quæ habet facultatem purgandi bilem, & præter hanc, roborandi ventriculum, & agglutinandi. Sic igitur (ait ipse) in Cerebro est vna forma præcipua, nimirùm Anima intellectiua; sunt & aliæ particulares, vt Sensitiua, & motiua, quæ vim à Cerebro per medium spiritum animalem ad neruos transmittunt; est & spiritûs generatiua, quæ est facultas naturalis. Hæc enim, mediante spiritu, conseruat Cerebri temperiem: Sed hæc responsio (vt omittam cætera, quæ reprehendi in eâ possent) non satisfacit quæsito, quia aliquo modo transscendit ab operationibus, facultatibúsque propriis Cerebri ad non proprias, & ab animalibus ad naturales. Quare ego, quantum ad sensitiuam & motiuam attinet, respondeo, Sermonem nobis esse de facultatibus, quæ suum opus in Cerebro incipiunt, & in eodem perficiunt, seu (quod idem est) quæ in solo Cerebro suas actiones edunt: modò sensitiua & motiua, etiamsi à Cerebro suum opus incipiunt, nihilominus illud ipsum in neruis absoluunt. De generatiuâ verò Spiritûs animalis, dico, Facultatem hanc esse ipsius Animæ, non vt Anima est, quo modo nos hîc Animam accipimus, sed vt est Natura, quâ se Anima, per facultatem concoctricem Cerebri, adiuuante valido insito, producit spiritum Animalem ex vitali, quod indicauit Galenus 7. *de Placit.* dum asseruit, Animalem spiritum omnium aliorum perfectissimam mutationem adipisci. Vnde obiter noto, spiritum Animalem in Cerebro, non generari per simplicem Vitalis refrigerationem, sicut quidam voluerunt: sed per coctionem in Cerebro celebratam, suppeditato spiritu vitali à plexu reticulari, ac aëre per nares attracto, *lib. de Vsu respirat. cap. 5.* Quod spectat ad alterum explicandorum, sedem ac domicilium harum facultatum esse Cerebrum, omnes consentiunt. Sed enim, cùm hoc variis ex partibus constet, tùm conseruantibus, vt sunt membranæ, & omnes partes externæ; tùm conformantibus, vt sunt substantia medullaris, quæ & corpus Cerebri dicitur, necnon ventriculi duo in anteriori parte, & vnus in mediâ, alter in postremâ, quæ Cerebellum ab omnibus vocatur; quando quæritur, An facultates principes distinguantur in Cerebro secundùm sedes? nihil aliud quæritur, quàm, Vtrùm in diuersis partibus, vti in ventriculis anterioribus sit vna facultas, nimirùm imaginatiua, in medio rationa-

trix, in postremo memoria, sicuti voluerunt Auicenna, Auerroës, Aëtius, & multi ex recentioribus? an vna in ventriculis, altera in substantiâ medullari; an verò omnes in ventriculis, vel in substantiâ medullari? Etsi in substantiâ hac, an in notâ, vel in vnâ parte vna facultas, in aliâ altera? Verùm hoc in loco illud notandum est, cùm Cerebrum harum facultatum sedem dicimus, id, si de ratiocinatrice facultate sermo sit, non ita esse accipiendum, quasi hæc in Cerebro sit, tanquam in loco. Hæc enim immaterialis, immortalis, abstractáque sui Natura cùm sit, non secundùm fidem tantùm, vt temerè nonnulli defendunt; sed etiam secundùm rationis lumen, imò secundùm ipsius Aristotelis placita, vt aliàs demonstrabitur, non est organica, nec eget loco tanquam subiecto. Dicitur igitur, esse in Cerebro per operationem: quia ad hoc, vt propriam functionem promat, saltem pro hoc statu, phantasiæ ministerio eget, quæ & organica est, & in Cerebro locatur, operatúrque tanquam in organo sibi proprio. Et hoc vult Philosophus, cùm ait *12. problem. 1.* intellectum in capite & Cerebro locari. Et *30. problem. 3.* homines paruo capite esse prudentiores. Estque hæc vnica causa, cur, quamdiù Cerebri temperatura, & innata caliditas illæsa conseruatur, tamdiù inculpatè operationes intellectûs edantur: sin labefactatur, vel perperam edantur, vel aboleantur. Nec verò est, quos Galenum quis putet, ad cuius mentem quæstionem hanc potissimùm explicamus, sedis nomen aliter accepisse. Nam, cùm is de Animæ essentiâ, & immortalitate ingenuè fassus sit, nihil se habere perspectum; *in fragm. de substant. natur. fac. & in lib. Quod Animi mores cap. 3. 5. Simpl. cap. 9.* imò nihil Medico, quà Medicus, prodesse hanc cognitionem asserat; non potuit is quoque sedis nomen, quoad rationalem facultatem, pro loco accipere: sed debuit, quemadmodùm essentiam ratiocinantis Animæ, ita sedem quoque eius, in dubio relinquere. Sed hæc de primo proposito satis sunt.

PARS QVÆSTIONIS SECVNDA.

IACIVNTVR FVNDAMENTA, E QVIBVS vera huius quæstionis eruatur solutio.

Est igitur primum fundamentum: Facultates has esse vnius, & eiusdem Animæ rationalis. Vna enim & eadem hæc Anima, prout diuersis facultatibus insignita est, tria munia obit. Nam & simulacra recipit, & circa obiecta proposita discurrit, ratiocinatúrque, ac tandem imagines in phantasiâ, veluti sigillatas & impressas, retinet, conseruátque. Ac quà quidem imagines & phantasmata recipit, facultate imaginatrice vtitur; huius enim proprium est rerum externarum à sensibus perceptarum, tùm præsentium, tùm absentium, species suscipere; (vt secundùm Medicos, phantasia cùm sensu communi confundatur, qui ex aliquorum sententiâ, ad species & imagines rerum præsentium tantùm refertur) quà verò discurrit, facultatem ratiocinatricem applicat, quæ componendo, ac diuidendo ea, quæ in phantasiâ sunt iam recepta, discurrit, & à quibusdam cogitatiua vocatur: quà tandem conseruat recepta in phantasiâ, memoratricem adhibet, cuius officium

est, simulacra, à sensibus externis repræsentata, & in phantasiâ asseruata, reuocare. Hæc verò, si veluti sigillo perfectè impressas species illas asseruat tantùm, & sic reuocat, simpliciter memoratrix facultas dicitur, quæ brutis quoque inest. Quòd si accidat, vt simulacra illa veluti perdantur; rursùs verò ex principio aliquo, veluti syllogismo, in memoriam reuocentur, rememoratrix dicitur, quæ soli homini inest, ex Arist. *lib. de memoriâ cap. 2.* ex quo memoratiua; & rememoratrix in homine vna est, & eadem facultas. Nam qui reminiscitur, etiam memoratur; etsi non contrà, quoniam aliquis potest memorari, absque eo, quod reminiscatur.

Alterum fundamentum est, cùm facultates prdictæ non operentur sine phantasmatibus, vt dictum est, quæ corporea sunt, necessariò ratione horum phantasmatum, & ratione huius operationis, eas opus habere organo corporeo, quod illis inseruiat. Et hoc esse Cerebrum. Id quod clarè habet Galenus, *9. Meth. 10. de Loc. aff. 4. & 5. 9. de Vsu part. 14.* Pro huius verò fundamenti exactâ intelligentiâ, duo sunt examinanda. Primum, Quâ ratione Cerebrum inseruiat hiscè facultatibus? Alterum, An præter Cerebrum, quod eis inseruiat, requiratur aliquid aliud?

Vt primum explicetur: paulò altiùs petendum est exordium, à Cerebri scilicet cùm aliis organis comparatione. Cerebrum igitur ad alia organa collatum, partim communicat cum eis, partim ab eis discrepat. Communicat quidem, respectu nutritionis. Nutritur enim, vt alia organa, mediantibus quatuor facultatibus naturalibus, attractrice, retentrice, alteratrice, & expultrice. Discrepat ab iis duobus modis, nempè & vt est gratiâ vitæ simpliciter: & vt est gratiâ vitæ melioris. Vt est gratiâ vitæ simpliciter, discrepat, quatenus mediis illis quatuor facultatibus naturalibus non nutritur tantùm, sed alias etiam & diuersas ab aliis organis obit operationes. Nam ex *6. de Vsu part. 13.* merito attractricis dilatatur, merito expultricis constringitur, vt respiratione fruatur. Dilatatur enim vt recipiat aërem, tùm pro generatione spiritûs animalis, (hunc enim ex aëre attracto, & spiritu vitali, vt videbimus, generat) tùm pro sui refrigerio. Nam etsi frigidum sit: nihilominùs ex spiritu vitali, quem suscipit, continuò incalescit, & ideò refrigerio indiget, teste Gal. *lib. de Organo odoratûs: cap. 4. & 5.* Constringitur autem, vt calidior fuligo expellatur, quæ in concoctione, quà spiritus animalis generatur, necessariò suboritur, ne ab eâ spiritus, & materia, ex quâ generantur illi, inficiantur. Tandem merito concoctricis generat spiritum animalem, cuius generatio est præcipua Cerebri actio, (intellige, gratiâ vitæ considerati) in quam omnes aliæ Cerebri actiones referuntur. Hinc *12. Meth. 5.* Cerebrum est fons animalis spiritûs. Id quod etiam puto cognouisse Aristotelem, *2. de part. anim. 7.* dum asseruit, Cerebrum genitum esse ad salutem naturæ, hoc est gratiâ vitæ, quoniam scilicet suâ frigiditate contemperat calorem igneum Cordis, eò, quòd perfectio consistit in mediocritate, & propter hoc operatio quælibet à mediocri calore fieri debet. Hoc enim Aristotelis dictum sic interpretandum censeo, nimirùm, Cerebrum contemperare calorem Cordis, quatenus spiritum vitalem, feruidum in Corde effectum, conuertit in animalem. Atque in eodem sensu audiendus est idem Aristoteles, *1. de Hist. anim. 16. & 2. de Generat. animal. cap. 2.* ex quibus locis satis patet, esse sententiam Aristotelis, spiritum

animalem ad Cerebrum attinere, non gratiâ tantùm vitæ melioris, ſed etiam gratiâ vitæ ſimpliciter.

Nec obſtat Ariſtoteli ſic explicato argumentum Galeni, quòd actio fiat per contactum; at Cerebrum non tangat Cor. Quoniam Cerebrum refrigerat ſpiritum animalem, qui ſursùm ex Corde effertur, & ſic ipſum contingit. Atque ſic quidem, vt eſt gratiâ vitæ ſimpliciter, diſcrepat ab aliis organis Cerebrum. Sed & diſcrepat, vt eſt gratiâ vitæ melioris, quoniam habet operationes quaſdam ſibi tantùm proprias, animales dictas, quarum aliæ extra ipſum minimè fiunt, & principes dicuntur; aliæ virtute quidem ipſius fiunt, ſed extra ipſum, vt dictum eſt. Ex priori genere ſunt, imaginatio, diſcurſus, & memoria: ex poſteriori, ſenſus, & motus, exceptis tamen ſenſu tactûs, & motu thoracis pro reſpiratione, quoniam hæc duo ſunt gratiâ vitæ. Nec obſtat, quò minùs ſenſus & motus extra Cerebrum fieri dicantur, quod Cerebrum ipſum quoque noxia ſentiat ad ſui cuſtodiam, ac moueatur. Sentit enim, non ratione ſui, ſed membranarum, quibus inuoluitur; mouetur verò motu naturali, non autem voluntario. Porrò, tametſi Cerebrum actionum omnium animalium ſit principium: vnde organum dicitur Galeno non naturale, ſed animale, principaliſſimum, ſenſoriorum ſenſorium, *lib. de Pulſ. vtilit. cap.* 1. *de Vſu reſp. cap. vlt.* & totius corporis gubernator, *lib. de totius morbi temp. cap.* 7. vt ſi non ſit principium venarum & arteriarum, via originis, ſit ſaltem eo ſenſu, quatenus ab eo vniuerſum corpus gubernatur, vti Pelops, Galeni præceptor indicauit, & habetur 6. *de Placit. cap.* 5. tamen non eâdem ratione eſt principum omnium, ſed principum quidem dictarum, per ſe; per aliud verò nonprincipum, vt clarè habetur 7. *de Placit. cap.* 3. & confirmatur ex 2. *Prognoſt.* 6. vbi dicitur, Cerebri præcipua miniſteria duo eſſe, memorare & cogitare; ſubſeruientia verò & non præcipua, ſenſum & motum. His verò ſic conſtitutis, de Cerebri ad alia organa comparatione, facilè patet, quomodo Cerebrum dictis facultatibus inſeruiat. Inſeruit ſiquidem principibus, vt organum, quod diſcrepat ab aliis gratiâ vitæ ſimpliciter, & melioris: gratiâ quidem vitæ ſimpliciter, quoniam actiones illarum facultatum, in Cerebro non perficiuntur, abſque ſpiritu animali, vt videbimus; cuius ſpiritûs generatio ad Cerebrum attinet, vt demonſtratum eſt: gratiâ verò melioris vitæ, quoniam eſt ſedes, organum, ac domicilium facultatum harum, imò non harum tantùm, ſed & nonprincipum, diuersâ tamen ratione. Nam cùm habeat Cerebrum, vt prætactum eſt, & infrà explicabitur magis, & propriam ſubſtantiam medullarem, quæ & caro ipſius dicitur, & ventriculos plures, merito ſubſtantiæ eſt organum facultatum principum, vt tradidit Gal. 7. *de Placit.* 3. 9. *de Vſu part.* 4. vbi ait, ratiocinatricem operari non in cauitatibus, ſed in carne Cerebri, vbi etiam eſt ſpiritus, organum ratiocinatricis: Et *de vtilit. reſpir. cap. vlt.* vbi ſpiritum ait in Cerebri poris reperiri, qui, ſi vitioſus, neceſſariò lædit actiones principes; ſi non-vitioſus, eaſdem perficit: merito autem ventriculorum eſt organum nonprincipium, ex 3. *de Loc. aff.* 7. & 8. *de Vſu part.* 17. vbi dicit Galenus, Spiritus, qui ſunt in ventriculis Cerebri, eſſe organa ſenſûs atque motûs. Et *de vtilit. reſpir. loco cit.* vbi habetur, ſi ventriculi vulnerentur, amitti ſenſum & motum. Quod ſi quærat aliquis, vbinam generentur ſpiritus animales, qui ſunt in poris & ventriculis Cerebri, & ex quâ causâ? Is ſciat, ſpiritum duplicem eſſe, inna-

tnm & non-innatum. Spiritus innatus idem est, quod calidum insitum, 5. *Simpl.* 9. 7. *de Placit.* 3. quæ innata dicuntur, quoniam nobiscum nascuntur, & non deserunt partes, quibus innata sunt. Nam etsi in partibus illis mouentur ad varias loci differentias, pro Animæ subsidio: extra tamen eas se non diffundunt. Spiritus autem, & calidum non-insitum, sunt, quæ non nascuntur nobiscum, & sua principia, in quibus sunt nata, deserunt, ac varias corporis partes adeunt: & hic spiritus ab Hipp. Impetum faciens dicitur, & est triplex, animalis, vitalis, ac naturalis, si tamen hic datur. Quorum primus in Cerebro, secundus in Corde, tertius in Hepate generatur. Verùm de spiritu innato illud notandum, ipsum à temperaturâ differre, quoniam spiritus ille est substantia, temperatura verò accidens. Vnde Gal. 6. *Epid.* 5. dicit, Animam diuersam esse à morbo, vbi per morbum, temperiem calidiorem factam signat; per Animam intelligit instrumentum primum illius, quod est calidum innatum, quod etiam intelligit *lib. de Rigore, cap. 6. circa medium*, vbi naturam & Animam vocat, quemadmodum & *5. in 6. Epidem. text.* 5. vbi Animam hominis semper ad mortem vsque produci asserit. Quò fit, vt non possim non mirari, reperiri quosdam, qui saltem Animam sentientem & vegetantem, esse calorem innatum, ausint adstruere. Nam, vt omittam, quòd Galenum manifestissimè sibi habent contrarium, *lib. de Format. fœtus, cap. vlt.* vbi verbis clarissimis asserit, vtriúsque huius Animæ opera, longè, ac longè vim, & efficaciam caloris innati transscendere: coguntur necessariò plures in homine animas statuere, duas scil. vt minimùm, rationalem, & calorem innatum; quod non tantùm Aristoteli, & rationi, sed ipsi etiam Theologiæ repugnat. Verùm hæc obiter. Ex iis verò, quæ de duplici spiritu proposui, dico, spiritum animalem generari; & in poris, & in ventriculis Cerebri. Ac in poris quidem generatur spiritus animalis, gratiâ facultatum principum, à facultate naturali concoctrice Cerebri, tanquam ab efficiente; à calido insito, tanquam coadiuuante; ex aëre inspirato per nares, & vapore sanguineo arterioso, seu spiritu vitali, communicato à Corde ipsi Cerebro, per arterias, quæ plexum retiformem constituunt, veluti ex materia, teste Gal. 12. *Meth.* 5. *lib. de Vtilit. respirat. citat.* tametsi citiùs quidem ex aëre, magis tamen propriè ex vapore reparetur, ex eodem Gal. *de Vsu puls.* 3. In ventriculis verò generatur spiritus, pro sensu & motu, à facultate concoctrice naturali ventriculorum, coagente calido insito, ex eâdem materiâ, ex qua spiritus in substantiâ Cerebri gignitur. Nec obstat, quod 8. *de Vsu part.* 13. dicitur, ventriculum postremum copiosiorem continere spiritum, quia nerui hinc diffunduntur, & spinalis medulla, vt non solùm propter se multo spiritu egeat, sed etiam propter sensum & motum: vnde sequi videtur, si propter se hic ventriculus continet spiritum copiosum; spiritum animalem in hoc ventriculo, non pro sensu ac motu tantùm esse, sed etiam pro facultate principe. Responderi enim potest, spiritus in hoc ventriculo primariò facere ad sensum & motum; secundariò verò etiam ad actiones principes, quod accidit, quia sunt copiosi. Nam diffunduntur etiam ad substantiam Cerebri, & pertingunt vsque ad eius circumferentiam. Quod cognoscens Gal. 8. *de Vsu part. citato*, ita loquutus est: Sed illud hîc circa hos ventriculos notare oportet, tres eos esse, vt perfectissimè spiritus animalis in iis elaboretur, & quod non fit in vno, fiat in alio. Concurrunt autem ad hoc opus hunc in modum: Anteriores siquidem

ventriculi inseruiunt inspirationi & exspirationi, in eisque ex aëre inspirato, & spiritu vitali, seu vapore sanguineo præparatis, conficitur spiritus animalis, sed hâc ratione, vt incipiat coqui, non tamen ex toto concoquatur, 8. *de Vsu part. cap.* 10. vbi, nec non, 4. *de Sympt. caus.* 1. alius etiam traditur horum ventriculorum vsus, vt scil. per partes illorum, ad nares pertingentes, materia noxia spiritibus excoletur, & organum odoratûs constituatur. Sunt autem ventriculi duo, tùm vt copiosa materia pro spirituum generatione recipiatur, tùm vt vno vulnerato, alter defectum eius suppleat. Medius ventriculus vtilis est primùm, vt anteriores & postremus simul iungantur, 8. *de Vsu part.* 11. & per ipsum, veluti per meatum magnum, spiritus animalis, ex ventriculis anterioribus, in posteriorem transsumatur, ibíque coctio spiritûs animalis magis perficiatur. Postremus ventriculus spiritum in anterioribus confectum, non tantùm suscipit, & conseruat, 8. *de Vsu part.* 11. sed & vltimam eius perfectionem tribuit. Est autem vnus, quoniam pollet magnitudine: præterea spinalis medulla, quam respicit, & ipsa vna est. Accedit, quòd sic magis vnitus, meliùs suos radios mittit, 8. *de Vsu part.* 10. Verùm hîc queret aliquis: In tantâ ventriculorum varietate, quisnam sit nobilior? Quæ quidem quæstio, procedit solùm de medio & postremo: quoniam, vt habetur 8. *de Vsu part.* 11. qui de hac re loquuti sunt, neglectis anterioribus ventriculis, alij medium, alij postremum nobiliorem constituerunt. Hinc dum Gal. 3. *Loc. affect. cap.* 7. dicit, in apoplexiâ impleri ventriculos principales; necessariò illi sermo est de medio & postremo. Eam verò soluit Gal. 7. *de Placit.* 3. dicens, digniorem esse postremum, hunc medium sequi, & tandem anteriores, ídque propter duplicem causam. Prima est: quia vulnerato postremo ventriculo, magis læditur Cerebrum. Secunda: Quia in postremo ventriculo materia magis spiritualis, & perfecta continetur, 8. *de Vsu part.* 12. *imò* 3. *de Loc. affect. cap.* 7. habetur, spiritum animalem in postremo ventriculo esse instrumentum sensûs ac motûs, quanquam medius non sit contemnendus, anteriores verò his cedere. Ex his verò omnibus satis apparet, quod primò quærebatur, nimirùm quâ ratione Cerebrum inseruiat facultatibus principibus. Patet enim inseruire secundùm substantiam medullarem, & spiritus ibidem contentos, non secundùm ventriculos, nisi fortè secundùm postremum, vt dictum est.

Remanet, vt videamus, quod secundo loco erat disquirendum, an præter Cerebrum, sit aliud, quod concurrat ad producendas operationes principes? Quâ in re breuiter dico, requiri aliud præter Cerebri substantiam. Ratio huius est, quia pars quælibet instrumentalis, concurrit ad actionem propriam, non solùm ratione propriæ substantiæ, quæ ex Galeno ea est pars organi, cui nulla similis in toto corpore reperitur: sed etiam penes ea, quæ insunt secundùm substantię rationem; quę consequuntur; & quę accidunt. Cùm igitur actiones principes propriæ sint Cerebri, vt instrumenti, eo modo, quo explicatum est, necessarium est, vt & hoc ad eas concurrat, non tantùm secundùm substantiam medullarem, de quâ iam dictum est; sed etiam secundùm reliqua, quæ sunt commemorata, de quibus omnibus breuiter agendum. Quantum igitur attinet ad ea, quæ secundùm substantiæ rationem insunt Cerebro, necessaria est pro his actionibus edendis Temperies. Substantia enim quælibet operatur mediante qualitate, tanquam organo. 1. *de Facult. natur. cap.* 22. *ibid. cap.* 8.

& 7. *Meth.* 3. Vnde Galenus dicebat, 8. *de Vsu part.* 13. intellectum non sequi bonam Cerebri compositionem, sed bonam carnis temperiem. Et *ibid. cap.* 6. aiebat, cognitionem non fieri, nisi alterentur organa. Nam priùs alteratio est, deinde iudicium. Est autem hæc temperies non quæcumque, sed certa & determinata. Sicut enim partis præcipuæ substantia determinata, ac propria requiritur: quæ ita sit domicilium facultatis, vt non possit inseruire alij, cùm facultas ad partem hanc contrahatur, ob quandam proportionem, merito cuius facit id, quod non faceret alia; ita etiam temperies propria & determinata, per quam pars illa operetur, exigitur. Cerebri igitur caro, temperie est frigidâ & humidâ, *ex* 2. *de Temper. vlt.* Hinc alimentum frigidum & humidum, pituitosúmque, ex 3. *de Alim.* 8. requirit. Est tamen Cerebri caro frigidior & humidior cute, calidior verò & humidior spinali medullâ, 2. *de Temp.* 3. *&* 6. *Aph.* 2. Nec obstat, quod 8. *de Vsu part.* 2. *&* 3. dixit Gal. Cerebrum esse calidius aëre æstiuo, imò ab hoc refrigerari: quia Cerebrum eo in loco non sumpsit simpliciter, vt Cerebrum, sed vt spiritum animalem, & calidum insitum sibi habet coniunctum. Hoc enim modo consideratum, verè calidùm dici potest: hac tamen distinctione, vt gratiâ calidi insiti caliditas sit innata; (hinc frigidum Cerebro est inimicum 5. *Aph.* 8. calidum amicum, quia calidum conseruatur à simili) merito verò spirituum sit adscititia. Causa autem, propter quam Cerebrum temperaturam frigidam & humidam sit nactum, est multiplex. Ac frigidum quidem esse debebat: I. Quoniam spiritus vitalis, alioqui feruidus, ex quo spiritus animalis generatur, attemperandus erat. II. Ne Cerebrum ex assiduo motu inflammaretur. Nam cùm continuò spiritus animales, ac nerui moueantur, sensúsque patiantur, Cerebrum quoque assiduo motui obnoxium sit, ni frigidum fuisset, facilè inflammari potuisset, sicque omnes actiones animales deprauari, & somnus intercipi. III. Vt spiritus animales omnium tenuissimi, melius conseruarentur, & non dissiparentur, ac limpidissimi non obscurarentur, cùm caloris proprium sit omnia perturbare. Est verò humidum Cerebrum: Primùm, ne ob motum assiduum siccetur. Secundò, vt bonam figuram ex Auicenna suscipiat, & benè figuratum, imagines ac simulacra obiectorum admittat. Humidum enim facilè suscipit.

Cæterùm, quoniam facultates hæ sunt adeptæ conueniens organum, quo mediante proprias edant actiones, quod quidem organum est substantia Cerebri frigida & humida, necessariò aliquid requiritur, quod facultates illas in organo determinato conseruet, ac veluti viuificet, loquendo de facultatibus, vt operantur in corpore. Tale autem est spiritus animalis, calido insito permixtus. Sicut enim temperies primariò facit ad operationem, secundariâ verò ratione conducit ad conseruationem facultatis: ita contrà spiritus animalis calido insito permixtus, primò conseruat facultatem, secundò conducit ad operationem. Hinc 3. *de Sympt. caus.* 1. dicebat Gal. chylum fieri à quâdam ventriculi temperaturâ, adiuuante calido innato. Ecce, proponit temperaturam, vti caussam principalem actionis; calidum insitum, vti caussam adiuuantem & secundariam. Porrò requiri hæc duo, spiritum animalem, & calidum insitum, tanquam organa conseruantia, & ad actionem secundariò conducentia, probatur. Ac spiritum quidem animalem requiri hoc modo, patet ex ipso Galeno, qui præter spiritum animalem in ventriculis Cerebri pro sensu & motu, 7. *de plac.* 7.
& de

& de Vtil. respirat. vlt. proponit alium spiritum, diffusum per substantiam Cerebri, & in poris illius contentum, cuius munus est (ex loco citato) vt conducat ad operationes principes edendas, & principaliter facultates conseruet; quoniam eius absentiâ cessat Anima in corpore ab operatione, vt propterea sit vinculum quoddam Animæ & Cerebri: (vinculum dico, non ratione vnionis eius cum corpore Cerebri, quale vinculum falsò Academici, & cum eis Fernel. 4. *Physiol. cap.* 1. introduxerunt; cùm ex materiâ & formâ substantiali immediatè vnum fiat per se, ex 2. *de Animâ, text.* 7. sed ratione operationis, quâ de re aliàs:) quâ ratione 6. *Epid.* 5. *&* 7. *de Placit.* 3. spiritus hic dicitur, primum Animæ instrumentum. Quod verò de hoc spiritu dicitur, in substantiâ Cerebri, respectu facultatum principum: idem intelligendum est de spiritu animali, in ventriculis Cerebri, gratiâ sensûs & motûs. Horum enim est primum instrumentum, 3. *de Loc. affect.* 7. *& de Vtilit. respirat.* citat. Intellige tamen conseruans potiùs facultates, quàm faciens ad operationem, quoniam exempli gratiâ apprehensio fit à manu, in quâ spiritus animalis non residet, quippe, qui ad operationem non facit primariò, sed secundariò. Licèt autem ibi non sit spiritus: vis animalis tamen per spiritum animalem parti illi communicatur. Hinc Galenus 7. *de Placit.* 7. dixit, spiritum animalem esse vehiculum facultatis ad partes, quæ sentiunt, & mouentur. Item 4. *de Loc. aff.* 2. ait, spiritum animalem esse primum instrumentum, ad transmittendum sensum & motum. Sed horum occasione obiter noto, *ex loc. vlt. citato*, Galeni sententiam esse, spiritus animales non peruenire ad partes secundùm suam substantiam, sed transmitti sensum & motum statim, ita vt perueniat quidem vis animalis, sed non substantia ipsorum spirituum. Id quod demonstratur, Primò, ex *lib. Quòd sanguis in arteriis, &c. cap. vlt.* Quia spiritus animales, cùm sint corporei, non possunt ita citò, & quasi momento temporis, secundùm propriam substantiam moueri, perinde ac sensus & motus transmittuntur. Nam voluntas imperat, & statim manus apprehendit. Secundò, quia spiritus animales, vbi Cerebrum egrediuntur, ita statim dissipantur, vt continuâ reparatione egeant, maximè in motu voluntario, ex *lib. de Vsu pulsf. cap.* 2. At quæ vis tàm multos, tàm subitò reparet? Tertiò, ex 7. *de Plac. cap.* 4. Quia pro spiritibus corporeis nececessariò requiruntur meatus. At non possunt esse in omnibus neruis meatus. Quia in tenuissimis eorum fibris, necesse esset, meatui illi circumiectum corpus quoddam nerui, aranearum telis cogitare tenuius. At tali posito, & ipsum quàm facillimè discerpi posset, & singulis propè momentis obturari. Statuendum igitur est, spiritus hoscè peruenire ad locum quendam certum, vti ad initium spinalis medullæ, secundùm substantiam, & post, instar Solis, per neruos emittere radios momento temporis, qui facultatis animalis sint vectores, quatenus confertim partibus impertitur. Posse autem eos emittere radios, ex eo satis liquet, quod splendidissimi sunt, & ætherei. 7. *de Placit.* 7. Ab hac tamen lege neruos opticos excipere oportet, per quos solos spiritus animales secundùm substantiam mittuntur, vt instar Solis vniantur cum ambiente, & eum ad suæ naturæ proprietatem immutent. 7. *de Placit.* 4. Iam verò, quòd calidum insitum sit, & ipsum organum, primò conseruans facultatem; secundò ad operationem conducens, facilè & ipsum est ostendere, idque non tantùm in facultatibus naturalibus, sed animalibus etiam, cùm ipsum organum sit Animæ, non tantùm, quà Anima

est, sed etiam quà natura. Si enim ad naturam & eius facultates respiciamus, calidum modò dictum vsum huic præstare, multis in locis Gal. tradit, 4. *Aph.* 20. 6. *Epid.* 3. 18. 5. *Simpl. q.* 8. *de Placit.* 7. Imò 2. *ad Glauc.* 2. manifestè ait, sine calido hoc minimè facultates naturales consistere posse, vtpotè cùm illud aut essentia illatum sit, aut primum saltem instrumentum. Id quod clariùs etiam habetur 6. *Epid.* 3. vbi hoc calidum dicit esse auctorem, & veluti principale efficiens actionum naturalium. Quod tamen esse falsum videtur, quia Anima & eius facultas sunt principale agens. Sed sic loquutus est Galenus, quoniam calidum illud conseruare facultatem existimauit. Nam quamprimum calor desinit, pars Animâ orbatur. Quò etiam respexit Aristot. 14. *Probl.* 9. cùm dixit, mortem esse refrigerationem caloris interioris, quasi calor hic insitus sit vinculum Animæ & corporis. Quòd si Animæ facultates consideramus, vt Anima est, (quod magis ad nostrum facit institutum) non minùs res clara est. Conseruat enim calidum hoc, & facultates principes, & non-principes, & simul ad earum operationem conducit, mediante tamen subiecto, in quo facultates illæ operantur. Nam merito huius subiecti, calidum innatum, facultatum harum Animæ, prout Anima est, euadit instrumentum. Hinc Aristot. 5. *de Gen. an.* 2. dixit, spiritum innatum, seu calidum innatum, in meatu auditorio facere auditum, eâ tamen ratione, vt Calido insito sit commixtus spiritus animalis. Et Galenus 8. *de Placit. cap.* 7. Calidum non solùm ad facultatem naturalem, sed etiam ad neruorum & musculorum motum conducere asseruit. Sed hoc in loco illud notare opportet, quod, tametsi calidum insitum sit organum & Animæ & naturæ: diuersâ tamen ratione vtriusque id inseruire. Naturæ quidem, primò conseruando facultatem, deinde hanc ad operandum adiuuando, vt, quò maior est portio huius Calidi, eò melior fiat operatio, à facultate, mediâ temperaturâ: Animæ verò, non quà conseruat facultatem, quia hoc est proprium spiritûs animalis, nec quia facit ad operationes, cùm motus voluntarius potiùs fiat à calido sicco, quàm humido; (vnde pueri in motibus propter humidum non sunt robusti) sed quia est in causâ, vt vis animalis per Cerebrum diffluat, & à Cerebro influat in partes. Quod vel inde patet, quia si subiectum facultatis, vt Cerebrum, vel pars, in quam Cerebrum eam influit, refrigeretur, non admittit vim animalem. Quin non Gal. tantùm, sed Plato quoque & Aristot. veritatem hanc cognouerunt. Plato siquidem satis hunc vsum in Timæo declarauit, cùm dixit, omnia membra animalis in igne & spiritu vitam possidere, vbi per ignem, calorem Cordis; per spiritum, calidum innatum intelligere opportet. Nec minùs *in Gorgia & Phædro*, cùm statuit, *mortem* esse *dissolutionem Animæ & corporis ad-inuicem*; *vitam* verò esse *vnionem illorum*. Nam cùm beneficio caloris vita duret, & hoc deficiente, desinat vnio Animæ & corporis, ideò calor pro vitâ maximè necessarius est. Aristot. verò 1. *de Gen. an.* 6. vnum quodque membrum suum habere calorem affirmat. Et 2. *de Part. an. cap.* 3. vult cibum coqui, & assimilari, non nisi per vim caloris, vt non modò calor in animalibus, sed etiam in stirpibus sit necessarius.

Sed ea, quæ secundùm substantiæ rationem insunt, sequuntur ea, quæ temperiem consequuntur. Hæc verò sunt secundæ qualitates, inter quas, si considero calorem, Cerebrum album esse debuit, tùm ratione materiæ è quâ constat, quoniam ex semine componitur; tùm ratione finis, vt animales spiritus limpi-

dissimi, & non obscuri ac tenebricosi, quales sunt melancholici, exsisterent. Si verò secundo loco perpendo secundas qualitates tangibiles, Cerebrum molle factum est à natura, & tenue. De mollitie loquutus est Gal. 8. *de Vsu part.* 6. & 2. *de Temperam. cap.* 1. Ibi enim asserit, Cerebrum secundùm substantiam esse mollius neruo, & neruum molliorem spinali medullâ. Est tamen Cerebrum, secundùm anteriorem partem mollius, quàm Cerebellum, quod est pars Cerebri posterior. Oportuit autem molle esse Cerebrum, vt facilè mutaretur, alteraretúrque, faciléque species susciperet, & susceptas admitteret, per totam sui substantiam. Per hanc enim permeare debent, vt actiones principes celebrentur. Quoad tenuitatem, tametsi non negandum, aliquam visciditatem datam Cerebro fuisse, quò nerui, qui ab eo oriuntur, aliquam haberent firmitatem, 8. *de Vsu part. loc. cit.* tamen viscidítas ea non est tanta, vt crassitiem etiam sibi adiungat. Debet autem substantia Cerebri esse tenuis, ob easdem rationes, ob quas mollis esse debuit, præcipuè verò ob eam, vt spiritus animales facilè permeent per substantiam Cerebri, quod indicatum fuit à Gal. *in Art. med. cap.* 12.

Restant postremò ea, quæ accidunt. Ex iis verò duo tantùm consideranda sunt, Figura scil. & cauitates. Reliqua enim quæ Cerebro accidere dicuntur, vt corpus callosum, septum, fornix, testes & nates, quæ sunt caro Cerebri, non debent hîc perpendi, quoniam nõ faciunt immediatè ad operationes principes, sed ad conformationem Cerebri. Figura igitur. I. Sphærica est, vt Cerebrum sit capax aëris, spiritûs vitalis & sanguinis, vt ex his copiosus spiritus animalis generetur, qui necessarius est pro actionibus principibus obeundis. II. Est similis spiris & circumuolutionibus intestinorum, 8. *de Vsu part.* 13. Per has verò spiras & circũuolutiones concurrit Cerebrum ad actiones principes, quatenus sunt viæ spiritûs animalis. Quod ad cauitates & ventriculos, concurrit per eos ad princîpes functiones, quatenus in his materia spiritûs animalis perficitur, & exactè in spiritum animalem mutatur, 7. *de Vsu part.* 8. tametsi ventriculi hoc modo ad ratiocinationem concurrant secundariò, vt suprà dictum est, quoniam ad sensum, & motum faciunt principaliter. Atque hæc de secundo principaliter proposito dicta sint.

PARS QVÆST. III.

PROPRIA SENTENTIA ADSTRVITVR.

DEVENIO ad tertium principaliter propositorum, nimirùm ad decernendum, quid ad mentem Galeni, & veritatem sit sentiendum, de Quæstione propositâ. Dico igitur: Cùm actiones principes in vnâ substantiâ medullari Cerebri perficiantur, non autem in ventriculis; (quoniam spiritus animales, qui sunt in ventriculis, faciunt ad sensum ac motum, vt demonstratum est.) facultates illarum actionum productrices, nullo modo loco ac subiecto in Cerebro distingui, ac propter eà Aëtium, Auerroëm, Auicennam, & multos ex recentioribus esse deceptos, affirmantes imaginatiuam in ventriculis anterioribus; ratiocinatricem in medio; memoratiuam in postremo sitas esse ac collocatas. Hæc conclusio, tametsi satis ex fundamentis suprà iactis, est

perspicua: nihilominus eam rursus tum auctoritatibus, tum rationibus cõfirmo. Ac quoad auctoritates quidem attinet, probatur hæc sententia, Primùm, auctoritate Aristotelis. Is enim numquam primùm sensorium, quod ille Cor putat, sedibus distinxit: imò 2. *de Animâ in fine*, loquens de potentiis Animæ ex professo, nullam penitùs sedium distinctarum mentionem fecit. Et Alexander, genuinus Aristot. interpres, 1. *de Animâ, cap. de intellectu*, contrariam sententiam defendit. Huc accedit, quod *lib. de memorab. cap. vlt.* affirmat Aristot. qui facilè discunt, eos difficulter memorari, quia humiditas, quæ facit ad imaginationem, nocet memoriæ. At hoc non esset verum, si in distinctis partibus fierent imaginatio & memoria. Posset enim pars, in quà inest imaginatio, esse humida; in quâ memoria, sicca. Probatur secundò auctoritate Galeni. Nam hic imprimis locis, quibus id maximè erat necessarium, *lib. de differ. sympt. de Caus. sympt.* vbi rationes reddit læsarum principalium functionum, nunquam confugit ad distinctionem partium. Deinde multis in locis expresse docet contrarium, vt cùm 8. *de Vsu part.* facultates omnes principes in vniuerso Cerebri corpore ait insidere. Item cum *ibidem cap.* 13. *contra Erasistratum*, ait, intellectum sequi ad bonam temperiem corporis Cerebri. Et 3. *de Loc. aff.* 7. vbi cum Hippoc. affirmat, fieri melancholiam, si humor melancholicus incidat in mentem, id est si afficiatur Cerebrum, vt pars similaris. Sed clarissimè ex Galeno nostra assertio probatur. Primò, *ex Arte Medica cap.* 12. vbi loquens de operationibus principibus, statuit operationes hascè pendere à substantiâ Cerebri, eius temperie, ac consequentibus temperiem; & pro horum vario statu, variari etiam ipsas, nullâ factâ mentione varietatis, quæ est à loco. Ita enim ait: Si quis sit mobilis in opinionibus, is Cerebrum habet calidum; si stabilis, frigidum. Rursùs; Si quis habeat bonum ingenium, & benè discurrat, substantia Cerebri tenuis erit, & mollis: si crassæ sit Mineruæ, & tardè discurrat, erit eadem substantia crassa. Ad hęc: Si quis ad discendum sit valdè promptus, & benè imaginetur, erit substantia Cerebri facilè formarum susceptiua, id est nec mollis, nec dura, aut sicca; at si nulla adsit, aut exigua promptitudo ad discendum, & difficulter fiat apprehensio, substantia Cerebri non facilè suscipiet, & ideò nimis erit sicca. Rursùs: Si quis facilè obliuiscatur, substantia Cerebri erit valdè fluida; quod si retineat omnium rerum exactam memoriam, erit stabilis & firma. In his verò omnibus, quis non videt, de totâ Cerebri substantiâ medullari loqui Galenum? Probatur secundò, ex 2. *de Motu musc. cap.* 6. vbi asserit, partem illam Animæ, quæ imaginatiua dicitur, quæcunque sit, eandem recordari, & ideò Animam, si insignes impressiones, & species in imaginatione receperit, necessariò eas conseruare, hocque esse memorari: si verò obscurè id fiat & superficietenus, non conseruare, & proinde obliuisci. Id quod vult etiam Aristot. cùm memoriam definit phantasiæ habitum. At si vna & eadem Animæ pars, seu facultas, simul imaginetur & meminit, quid clarius est, quàm frustrà quæri, an memoria & imaginatio distinguantur sede seu loco? Sed auctoritatibus his etiam ratio adstipulatur. Quia primò dantur affectus, in quibus sola Cerebri substantia læsa, non secundùm partem determinatam, sed tota, modò ratio læditur, modò imaginatio, vt fit in Phrenitide, & Melancholiâ per essentiam. Secundò, spiritus animalis, qui est instrumentum facultatum principum, vt dictum est, diffusus est per totam substantiam Cerebri, 7. *de Placit.* 7. Quid igitur obstet, quò minùs

& ipsæ per totum diffusæ sint? Tertiò, probant idem sensus auditûs, qui fit à lateribus capitis, & respondet mediæ parti ipsius Cerebri; & sensus tactûs, qui efficitur in toto corpore. Si enim sedibus distinctæ sunt facultates, & imaginatiua anteriorem Cerebri partem occupat: necesse erit speciem audibilem, si repræsentari imaginationi debeat, priùs transirē per cogitatiuam; speciem verò tactilem, & per memoriam, & per cogitationem, quippe, cùm ea per neruos, qui ad spinalem medullam, & per hanc ad postremam Cerebri partem terminantur, Cerebro communicetur, vt patet.

PARS QVÆSTIONIS QVARTA.

QVÆ IN CONTRARIVM ADDVCI POSSVNT, remouentur.

SED iam remanet, vt tandem, quæ obiiciuntur nostræ opinioni, diluantur. Sunt autem tùm rationes, tùm auctoritates. Rationes hæ sunt. I. Operationes nobiles & plures, plura debent habere organa propria, & adæquata. Sed actiones principes sunt nobiles, & numero tres. Ergò & tria instrumenta distincta habere debent. Quare cùm in Cerebro sint tres ventriculi, qui sunt anteriori parte, erunt ad imaginandum; medius ad discurrendum; postremus ad memorandum. II. Si operationes principes non essent distinctæ sede, ac subiecto in Cerebro: ab vnicâ Cerebri temperie penderent. At hoc falsum est. Quia dato hoc, omnes simul læderentur, quod rursus falsum est, quoniam *lib. de Differ. sympt. cap. 2. & 4. de Loc. aff. 2.* vna læditur alterâ manente illæsâ, exēplo Theophili, prudenter quidem differentis: imaginantis tamen, tibicines esse in cubiculo. Et alterius, qui singulis vasis rectè nominatis, ob imaginationis integritatem, ea tamen iussus proiicere, proiecit, ob discursus deprauationem. III. Anima est actus corporis, qui secundùm nobiliores operationes, nobilioribus instrumentis vti debet; secundùm ignobiliores, ignobilioribus. At imaginatrix est ignobilior: ratiocinatrix & memoria nobiliores. Ergò illa imperfectiori instrumento: hæ verò perfectiori opus habent. Atqui in anterioribus Cerebri ventriculis sunt spiritus animales imperfectiores, in medio & postremo perfectiores. Ergo in illis imaginatiua, in medio discursiua collanda. IV. Ab ordine harum operationum. Sensus ferè omnes in anteriori capitis parte siti sunt. At sensum spectra imaginatio concipit: ab hac ratio concitatur; hæc memoriæ ideas rerum commendat. Ergò hoc etiam ordine sitæ sunt. V. Imaginatio requirit substantiam molliorem, cùm fiat receptione; memoria duriorem; ratiocinatio mediocrem. At anterior Cerebri pars mollior est, media mediocris, postrema dura. Ergò. VI. Ex Physiognomiâ. Qui amplum habent occiput, pellent memoriâ; quibus syncíput & frons prominent, hi imaginatione præstant. Ergò. Præter rationes sunt auctoritates, Aëtij *lib. 6. cap. 2.* Auicennæ, *prima primi, doct. 1. cap. 5. & prima tertij, tr. 1. cap. 2.* Auerrois, *4. Colliget 40.* imò etiam Galeni. Primùm enim *in 4. de loc. aff. cap. 2.* læsâ discursiuâ facultate, apponit remedia mediæ capitis parti; & paulò infra dicit, in Caro lædi anteriores ventriculos Cere-

bri; at Carus *ex lib. de Diff. sympt. cap. 3.* est resolutio imaginationis. II. 1. *Prorhet. 27.* permutationes sympt. in phreneticis fieri dicit, quòd modò vna pars, modò altera afficiatur: hoc autem non potest esse, nisi in diuersis partibus, diuersæ fiant actiones. III. *in lib. de ocul. tr. 2.* phantasiam in parte anteriori; memoriam in posteriori; rationem in medio collocat. IV. *3. de Placit. 8.* admittit fabulam Mineruæ, quam dicit natam ex vertice Iouis, quia medio in ventriculo Sapientia. Sed his omnibus facilè respondetur. Ad primam igitur rationem, dico, non esse necessarium multiplicari organa, ad multitudinem actionum. Quia natura, quoad fieri potest, paucioribus instrumentis est contenta, dummodò actiones commodè per ea fieri possint. Nam in Corde tres sunt facultates, irascibilis, pulsatilis, & spiritûs generatiua; quantum fiunt à Corde toto, non autem à partibus Cordis separatis. Et idem in membris naturalibus obseruatur. Nam habent quatuor facultates naturales, attractricem, retentricem, alteratricem, & expultricem. At harum omnium actiones fiunt ab vno membro, in quo sunt facultates illæ; non autem à pluribus membri partibus. Sed & aloë, *ex lib. Quod mores cap. 2.* est vna, & nihilominùs plures habet facultates, nempe bilem purgandi, ventriculum roborandi, & agglutinandi. Neque verò inconueniens est, ab vno secundùm diuersos respectus, & secundùm varias dispositiones, diuersas pendere actiones. Nam, cùm in vnoquoque organo, vt dictum fuit, sit pars, cui debetur actio, sit huius partis temperies, sint tandem quæ consequuntur temperiem: quid impedit, quin, pro horum varietate, variæ ab vno prodeant actiones? Id quod maximè liquet in facultatibus naturalibus. Non exempli gratiâ ventriculus diuersissima munia obit, attrahit, retinet, alterat, expellit, mediante suâ temperie, prout multiplicem varietatem suscipit. Nam merito caloris alterat & per fibras longas attrahit; merito siccitatis retinet, per fibras transuersales; merito caloris expellit, per fibras obliquas. Neque hoc tantùm in actionibus ventriculi secundùm naturam spectatur: sed idem etiam accidit in his actionibus læsis. Nam & tùm ab intemperie contrariâ temperiei illi, prout varia est: ita variè illæ læduntur. Nam humida intemperies lædit retentionem, alteratricem frigida, & sic, absque eo, quòd sit distinctio locorum & subiectorum, accidit, vt vna illarum actionum lædatur, altera non. Cùm igitur ita res habeat in facultatibus naturalibus, cur non idem accidere possit facultatibus principibus, vt absque eo, quòd sint distinctæ sede, varias producunt operationes, iuxta diuersam illarum secundùm naturam dispositionem, penes variam temperiem, & varias qualitates secundas, temperiem consequentes, quæ superiùs sunt explicatæ in fundamento secundo. Et rursùs; si Cerebrum afficiatur præter naturam intemperie, & penes secundas qualitates, prout intemperies erit varia, & contraria temperiei huic, atque illi, quæ Cerebrum operatur: ita etiam modò vna, modò altera vitietur operatio. Atque hoc clarissimè colligitur ex *3. de Loc. aff. 5.* vbi loquens Gal. de symptomatibus facultatis principis, statuit, pro variis intemperaturis, & variis aliis causis, modò vnam, modò alteram lædi actionem. Exempli gratiâ, dicit ipse, quamuis ratio & memoria lædantur à frigiditate, quæ omnes actiones principes torpidas reddit; nihilominùs frigiditas remissa memoriam lædit: Quòd si illa intendatur, rationem quoque vitiat. Quibus verbis manifestè vult, requiri determinatam quandam

causam, & dispositionem facultatis ad patiendum in organo ab illâ causâ. Ex his verò, quæ pro solutione huius rationis dicta sunt, patet etiam, quid respondendum sit ad rationem secundam. Nam tametsi operationes principes fiant in totâ Cerebri substantiâ; tamen, quemadmodum in statu secundùm naturam, eò quod plura concurrunt, quæ vnam vel alteram operationem iuuant, variæ operationes ab vnâ Cerebri substantiâ fiunt: sic in statu præter naturam, pro varietate illorum plurium, quæ vnam vel alteram vitiant, intemperaturarum scilicet, & intemperaturas consequentium, potest lædi vna, non læsâ alterâ Et si quis obiiciat, quòd læsâ facultate imaginatrice, necessariò læditur discursus, quia facultas illi discursui inseruit, & quia sit nexus quidam harum facultatum. Respondeo nexum hunc seruari solùm in statu secundùm naturam, non autem præter naturam, in quo seiunctim lædi possunt actiones illarum. Vel: respondeo, ratione huius nexus lædi discursum per accidens; per se verò lædi illum aliquando, & separatim, absque imaginationis læsione, ob vitium aliquod Cerebri, & spirituum animalium. Atque hæc responsio satisfacit argumento, nec puto dari posse meliorem ab iis, qui concedunt, posse vnam lædi aliâ non læsâ. Audiui tamen qui responderent, negando lædi posse vnam illæsâ aliâ. Putant enim semper eas simul lædi, maximè imaginationem & discursum, saltem secundùm idem obiectum. Vnde respondent ad exempla Theophili, & alterius phrenetici vasa proiicientis, Theophilum quidem sapienter ratiocinatum esse de obiectis aliis, non autem de tibicinibus: phreneticum autem illum alterum, imaginationis integritatem habuisse, circa vasorum nomina, non autem circa proiectionem. Ad Galenum autem, qui videtur dicere, læsam fuisse in Theophilo imaginationem, citra læsionem discursus; & contrà esse factum in phrenetico altero: respondet, illum hoc tantùm velle, non læsam fuisse vtramque per se, principaliter, & eodem modo. Et si rursùs quis obiiciat: Theophilum etiam circa tibicines benè discurrisse, cum rectè sequatur: sunt hîc tibicines me molestantes; ergò eiiciendi: Respondent rursus, rectè quidem intulisse, sed malè composuisse, id est propositionem falsam fecisse, hanc scilicet, hîc sunt tibicines. Pertinet autem ex Aristot. ad intellectum, non minùs componere & diuidere, quàm discurrere. Ad tertiam rationem respondeo, illam falsò supponere actiones principes percipi in ventriculis Cerebri, cùm tamen in substantiâ Cerebri perficiantur, vt ex Gal. suprà demonstrauimus. Ad quartam, respondetur, ordinem illum operandi nihil nostræ sententiæ officere. non enim minùs, in eâdem parte si insint facultates principes, vna aliâ priùs in actum exire poterit, quàm si sint in diuersis. Quinta & sexta ratio illud tantùm probant, actiones has, licet in omnibus substantiæ Cerebri partibus omnes obeantur; magis tamen aliâ aliam vigere in hac, vel aliâ parte, prout in hac vel illâ, aut temperies illi est accommodatior, aut spiritus sunt perfectiores. Hoc verò nos non negamus: sed id tantùm dicimus, obiri in omnibus. Ad auctoritates Aëtij, & Auicennæ, non respondeo, quòd in verba ipsorum non iuraui. Quoad Galenum, dico, dùm apponit remedia syncipiti, id facere, non quia facultates sint distinctæ sedibus, sed quia vis medicamentorum per partem eam celeriùs permeat. Ad id de Caro, quòd fiat læsis ventriculis anterioribus, & quod sit resolutio imaginationis: respondeo, id dici à Galeno

ideò, quoniam in anteriore parte Cerebri ſunt nerui ſenſitiui, qui ad propria organa ſenſuum perueniunt, vnde, læsâ anteriori parte, ſenſus læditur, & proinde imaginatio, ſed per conſenſum, quia ſpecies à ſenſibus non recipiuntur, atque ſic imaginatio oliatur. Quòd verò de Catalepſi dicitur, in eâ affici partem poſteriorem Cerebri: ad id reſpondeo, id dici gratiâ motus, qui ex toto aufertur; non autem gratiâ actionis principis. Nec obſtat, quod ibidem etiam dicat Galenus, affecto anteriore ventriculo affici & ſupremum, & exinde vitiari rationem, quoniam Galenus non reſpicit ad affectionem ventriculorum, ſed ad affectionem Cerebri, inductam ex læſione ventriculi ſupremi. Quo in caſu dicit Galenus, læſo corpore Cerebri lædi etiam diſcurſum, vt ex hoc loco potiùs colligatur, principes actiones fieri in ſubſtantiâ Cerebri, quàm aliâ in parte. Ad auctoritatem *ex 1. Prorhet.* reſpondeo; verum eſſe variari ſympromata in Cerebro, prout ipſius partes diuerſo modo læduntur. Nam aliæ penes temperiem, aliæ penes ſecundas qualitates læduntur, & proindè varia fiunt ſymptomata. Non tamen hoc accidit, quia actiones hæ fiant in diuerſis locis. Verùm, eſto etiam quòd partes diuerſæ lædantur, intelligendum id tamen, quatenus eſt vna, cui primùm debetur actio, altera, quæ vſum præſtat. Vnde ad harum læſionem, actio modò primariò læditur, vbi primum inſtrumentum afficitur; modò ſecundariò, vbi pars vſum præbens vitiatur: non tamen id fit, quia in diuerſis locis fiant actiones. Ad auctoritatem *ex lib. de ocul.* reſpondeo, librum illum non eſſe Galeni legitimum, & proinde nihil valere locum adductum. Ad illud, quod ex *3. de Placit. 8.* adfertur, de fabulâ Mineruæ, ortæ ex Iouis vertice: reſpondeo, nihil illud contra nos facere. Galenus enim ibidem expreſsè eam applicat, non ad ſapientiam, vt Chryſippus & alij Stoïci: Sed ad ſpiritûs animalis generationem, at id vult, præſtantiorem eſſe ſpiritum in illo ventriculo, quàm in anterioribus. Sed de præſenti quæſtione hæc ſatis ſunto.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

CErtum eſt ſapientum dictum, *Per obſcura nihil neque probari neque euerti.* Tale cùm ſit hoc ſcriptum, licet vnicuique iudicium ferre ex æquo. Eſt autem obſcuritas, enim in συμπαθείαις καὶ ἀντιπαθείαις, vt in vnguento armario, & huic ſimilibus: ſed ex eo genere, quod in profundo Naturæ puteo latet. Ventriculus verbi gratiâ duplex habet officium, publicum & priuatum; vtrumque fit per fibras: ſed per quas hoc fit, per quas illud? quo tempore cientur hæ, quo illæ? Neſcio. Ita, concedo Claudino, facultates principes fieri in corpore Cerebri, licet ignorem, quomodo altera abſque alterâ affici poſſit. Ecquid, dicat aliquis, tanta impedit difficultas, quo minus in ventriculis ſpiritus fiant? Non vna, ſed tot, quot obſtant in genere ſpiritibus ibi generandis. Ea inprimis, quod in ſe inuicem aperiantur. Ideò nuper cuidam puero ita exponebam, Perinde eſt, ac ſi dicam, in hoc meo gurguſtio, heic quidem in ſellâ ſedere Rationem, ibi autem poſt fornacem Phantaſiam, illinc propè ianuam Memoriam, & vnamquamque ſeorſim habere ſibi res ſuas. Huic figmento occaſionem dedit νεωτερία noſtra, quâ ſubitò deſerimus veteres. Apud Hipp. & Ariſt. non niſi vnum κοῖλον in Cerebro eſt, quod ſeruit, vt puto, colli-

colligendis excrementis: at postquam creditum fuit Herophilo, aut sicui alij, qui quatuor ventriculos numerauit, & spiritibus dicauit, qui etiam bellum exercerent intestinum de superioritate (vt sic dicam) inter se, nata sunt simul hæc malè feriata commenta. Heic finio, cum hac epidorpide, Si quis solicitus velit esse de conciliatione inter partes dissentientes, ille possit opus condere memorabile: verùm ego vates illi ero Apolline veratior, NIHIL PROBABILE INVENTVRVM. Vna est VERITAS, quæ sola consistit, instar scopuli inter fluctus marinos, ad cuius aspectum Mendacium diffluit, non minus ac cera à Sole. Admisi ego Auicennæ consilium in scripto ludicro, quod Relationem historicam voco: sed sub durâ conditione. Qui igitur ARISTOTELI inuidet hanc gloriam,

Sit porrò indignus nomine Philosophi.

FINIS.

Ff

COLLATIO DOCTRINÆ
ARISTOTELIS
CVM DOCTRINA
GALENI
DE ANIMA,
INSTITVTA
A CASPARO HOFMANNO.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud CASPARVM METVRAS, viâ Iacobæâ, ſub ſigno SS. Trinitatis.

M. DC. XLVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.





CLARISS. ET EXCELLENT. VIRO, D. HERMANNO CONRINGIO, PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI, ATQVE IN ILL. IVLIA PROFESSORI publico, Dn. & amico colendo, D.D.D. Autor.

ΣΥΝ ΘΕΩι.

I. VI sincerè philosophati sunt omnibus sæculis, animatorum seu viuentium *tres* fecerunt *ordines* seu gradus, quorum primus & imus in *Plantis* est, Alter in *Animalibus*, tertius in *Homine*.

II. Iidem censuerunt, in *Plantis* quidem esse animam φυτικὴν ἢ θρεπτικήν, *Vegetatiuam* seu *Nutritiuam* solam: in *animalibus* autem accedere illi τὴν αἰσθητικήν, *Sensitiuam*, vnà cum τῇ κινητικῇ, *motiuâ*: tandem in *homine* τὴν λογικήν, *rationalem*.

III. Non quod animæ superueniat anima, fiatque compositum quid: sed quod vna illa perficiatur, & iam nobilior sit, aucta subinde præstantioribus facultatibus. Quod tu ita intelligas velim. In *Plantis* est vna & sola facultas illa nutriendi augendique se, cui tanquam accessorium superuenit propagatio speciei, siue per semen fiat, siue per stolones, siue alio modo. In *animalibus* est eandem facultas, sed præstantior, quippe donata facultate etiam *sensitiua & motiua*. In *homine* pariter est, sed præstantissima, aucta scilicet præter sensitiuam, etiam *Rationali*.

IV. Ex his apparet, quomodo in singulis gradibus vnatantum sit Anima, sed quæ aliis atque aliis prædita sit facultatibus, & subinde aliis instrumentis, pro ignobilitate & nobilitate vniuscuiusque animati.

V. Huius animæ primum & proximum instrumentum est *calidum* seu *calor natiuus*, quo operante vita durat: quò cessante, cessat illa quoque.

VI. Huius caloris ὑπέκκαυμα, vt Hippocrates vocat, est Alimentum, quod

Plantæ quidem ex terrâ attrahunt iam confectum, omnes & singulæ vnum, sed quod alterant in se, & in naturam propriam conuertunt: *animalia* autem & *homo* primò omnium in se conficiunt, hoc est, bonum à malo separant, deinde quod bonum est in substantiam suam mutant, quod malum expellunt.

VI. Hinc in *Plantis* quidem est exiguus instrumentorum apparatus, tenuissimæ radiculæ, quæ per vicinum territorium sparsæ alliciunt alimentum, & in truncum ramosque deducunt: in *animalibus* autem perfectioribus & *homine* magnus instrumentorum aceruus, quorum alia agunt hoc, alia illud, κατ' ἐντελέχειαν singula, vt producto ex assumto cibo sanguine, conseruetur, & rebus suis præesse possit opus hoc Vulcanium.

VIII. Propter hunc partium ad nutritionem institutarum concentum, antiquissimis etiam temporibus comparata fuit gubernatio animalis cuidam politiæ, in qua tum demùm res benè habent, cùm singuli inquilini faciunt officium suum. Ideò Aristoteles ait *lib. de Com. an. motu, 10.* τὸ ζῷον συνεστάναι ὥσπερ πόλιν εὐνομουμένην. Et Gal. *lib. 4. pag. 2.* agnoscit κατὰ τὸ ζῷον πολιτικήν τινα διοίκησιν.

IX. Est autem gubernatio hæc vicinior statui monarchico, quàm aliis. Vt enim in regno omnia fiunt ad arbitrium regis, & sine ipsius autoritate nihil ritè fit: ita in animali est COR, quod, mediante Calore natiuo, omnia administrat.

X. Hoc per analogiam audias explicantes Philosophos nostros. Quod in vniuerso est DEVS Opt. Max. id in Macrocosmo quidem SOL est: in Microcosmo autem COR.

XI. Iam ergo tria sunt heic, ANIMA, CALOR & COR, in quorum singulis quid & quantùm delirarit GALENVS, sed ita vt per ADRASTEAN impunè illi non fuerit, age inspiciamus paulo soliciti̇ùs.

Quod ad Animam.

XII. In *lib. 6.* ambitiosissimi, eiusdemque amplissimi operis, περὶ δογμάτων (*de sententiis*, vt cum ill. Scaligero loqui soleo) Ἱπποκράτους καὶ Πλάτωνος, promittit se probaturum, Animam esse triplicem, substantiâ & sedibus differentem, adeóque compositam. Si mentiri me putas, visere tibi licet *lib. cit. cap. 2. C.* & iterum *cap. 3. C.* Imo etiam ad *lib. 5. cap. 4. A.* & iterum *cap. 7.*

XIII. Heic, qui vel à primo limine salutarit philosophiam, quo modo non subitò toto animo resilit, cupitque se doceri: Quomodo vnius materiæ triplex sit forma? adeóque ex vno homine (de hoc enim præcipuè agimus) fiat Gerion aliquis, in quo plures vno actus? plures vnâ ἐντελέχειαι?

XIV. Alius, qui paulo intimiùs insinuauerit se in Philosophiam, scit ex Platonis *Theæteto*, scit ex Aristot. *1. de Animali 90. & 91. Si plures vna sunt Animæ, quid vnit illas?* Verba sunt Antonij Ludouici, *lib. de Corde: Si verum est, in homine tres esse Animas, qua ratione Anima continebitur, ne diffluat? quæ illi vnitas, qui coalitus fuerit? præsertim, si partes tantâ intercapedine discludantur, quantâ actiones?*

XV. Fortassis ἄλλα τις τετάρτη ἐκ τῆς πρὸς ἀλλήλας σχέσεως γίνεται? *alia quædam quarta ex trium illarum mutuo inter se respectu fit.* vt Galenus loquitur *dicti*

op. lib. 7. *cap.* 1. Quæ verò σχέσις illa est? & quomodo σχέσις constituit rem?

XVI. Fortassis συνάρτησις, quæ fit per venas, arterias, & neruos, 4. *Vs. p.* 13. ex tr. satis est? Cum hac eadem esse videtur ἕνωσις, κοινωνία, & ἐπίμιξις eorundem vasorum quæ rursus coincidit cum ξύρροια, ξυμπνοία & ξυμπαθία Hippocratis, 2. *caus. puls.* 12. Quo minus acquiescam, causa est, quia vasa sunt instrumenta tantùm, & pertinent ad materiam, cuius est pati.

XVII. Fortassis omnis hac de re sermo μείζων ἢ κατὰ... est; vt *in de Vs. p.* loquitur, quàm vt à quoquam attingi debeat, adeoque ἄρρητος instar sacrorum Eleusiniorum & Samothraciorum, 7. *Vs. p.* 14. Credam, siquidem ἄρρητα sunt, quæ prorsùs non sunt. Nullum enim tale vinculum vel fictione constare potest.

XVIII. Ita loquor: quia sensim eò delabimur, quo veritatis hostes peruenire ait Galenus ipse, 2. *Sem.* 4. *B.* 6. *Vs. p.* 12. *Vt pudefiant ab Adrasteâ.*

XIX. Sed pertineat hoc aliò: Cupio intelligere ab ineptis istis patronis, an ab eâdem Adrasteâ non sit, quod Galenus locis tantùm non infinitis loquitur nonnisi de vnâ Animâ, cuius substantiam etiam ignorare se fatetur? Nec est, quod aliquis de temperamento cogitet. Hoc enim esset difficultates difficultatibus cumulare.

XX. Cupio etiam intelligere, annon ex diffidentiâ quâdam sit, quod operi quidem suo præscribit duo illustria nomina Hippocratis & Platonis: sed in tractatione ipsâ non audet pertendere, fuisse hanc ipsorum de triplicitate Animæ sententiam, sed se probaturum esse ait *lib.* 6. *cap.* 7. *A*?

XXI. An testibus voluit agere? At hoc Oratorum esse ait ipsemet alicubi. Vbi verò etiam testium depositio est? Nullibi. Qui verò de eâ cogitare potest., qui (vt iam dixi) repudiatis testibus, onus probationis in se recipit?

XXII. Sed probauit ne? Me Galeni quidem putet, pigétque: à somniatoribus autem istis exspecto responsiones ad ea, quæ *Com.* 2. *de Thor.* partim in genere, partim in specie dixi.

Quod ad Calorem.

XXIII. Hic, si, de propria oris confessione, est *primum Naturæ instrumentum*, 14. *Vs. p.* 6. *D.* si est *caussa omnium naturalium operum*, vt se explicat *ibidem F.* si est *causa omnium in corpore actionum*, vt 5. *in* 6. *Epid.* 5. *D. F.* 4. *in* 6. *Epid.* 14. *B.* si *omnis in corpore alterationis*, si, in specie, *concoctionis alimenti*, 2. *Fac. nat.* 9. *D.* & sic de cæteris; & verò Cor est focus, principium, origo huius caloris, 7. *Ex Anat.* 8. *F.* 6. *Vs. p.* 7. *D. Ib.* 15. *B.* & Iterum, 22. *B.* 13. *eiusdem* 10. *B. Vs. respir.* 5. *D.* 3. *Diffic. respir.* 8. 8. *cap.* 9. *Meth.* 10. 5. *Loc. aff.* 1. *D. Form. fœt.* 3. *L.* 4. *in* 6. *Epid.* 24. *B.* quidni Cor simpliciter & solum est pars princeps? Hepar & Cerebrum cum adiectione, vt maior domus & cancellarius in aulâ Regis? Quin, cur non Anima est vna, quæ in vno Corde regiam suam habens, alibi officinas instituit edendæ huius illiúsve actionis?

XXIV. Hoc vt amoliatur Galenus, Hepar solum sufficere sibi ad implendum opus sanguificationis, multis quidem contendit, *lib.* 6. *dicti op.* 3. sed causam facit suspectam, cùm argumenta esse ait ex secundo & inferiori demonstrationum ordine, quæ sunt ἐκ τῶν συμβεβηκότων, *proprietas accidentium*?

XXV. Sed ſit verum: quæ ſequela eſt à parte ignobili, venâ, quæ eſt tubus tantum ſanguinis, per corpus diſtribuendi? Volo enim dari mihi cauſam efficientem coctionis, quæ (vt audiuimus) apud ipſummet eſt calor Cordis.

XXVI. Sit hoc quoque; obtineat (inquam) apud Galenum, qui tribuit Hepati peculiarem Animam: apud noſtros, qui explicant de facultate ſolâ quei obtinebit? Quæ & vnde eſt facultas iſta? Cuius? Eſt enim τῶν πρός τι.

XXVII. Credere mihi lubet amplexum fuiſſe Galenum vetus dogma quod ait, in ſolo ſiniſtro Cordis ventriculo hoſpitari calidum natiuum ideò, ne cogeretur aliquid caloris huc transferre. Ego, qui video, dextrum æquè calere, æque pulſare ac ſiniſtrum; quin apud Galenum tribuere ſanguini πλεονεκτήματα quædam, vno verbo coquere: in dextro quoque eſſe dico, & hinc flumen illius ingens per venam cauam ad Hepar deriuo, cuius vi & efficaciâ perficiatur ſanguificatio Hepatis. Neque enim veriſimile eſt, per vnam arteriolam, quæ ad ſima viſceris tantùm porrigitur, tantùm caloris tribui poſſe, quantum neceſſitas vult.

XXVIII. Sit verò hoc quoque, conficiat (inquam) Hepar omnem, qui in toto corpore eſt: non eſt is tamen qui poſſit nutrire. Niſi enim, (vt alibi deduxi) in Corde vltimam perfectionem accipiat; niſi per ἀναστομώσεις vaſorum mutuas iungatur ſanguis vterque: nutritio non fit.

XXIX. Heic illud etiam in conſiderationem vocandum eſt: ſi tam certus eſt Galenus de propriâ Hepatis Animâ, cur de ſpiritu naturali dicto dubitat? Poteſtne Anima eſſe abſque accenſo ſpiritu, ſeu calore, quem *primum Animæ inſtrumentum* eſſe audiuimus? Hoc ad Animum reuocent velim homines quidam noui, qui ſpiritum illum prorsùs è medio tollunt.

XXX. Et hæc quidem de Hepate: in quibus qui non animaduertit, partim expreſſam Adraſteas vocem, partim ſibillos quoſdam (ἀκρίβεια enim eiuſmodi contemnit) parum attentus eſt.

XXXI. In Cerebro argumenta ait eſſe ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, *ex ſubſtantialibus*, quæ ſi examines, non inuenies meliora prioribus. Pleraque enim nituntur principio neruorum, quod quia ex Cerebro non eſt abſolutè, non poteſt etiam abſolutè pronunciari. Eiuſdem conditionis ſunt affectus Cerebri p. n. Eſt enim Cerebrum inſtrumentum, quo Cor vtitur in ſenſu & motu, quo inſtrumento læſo, quomodo non lædi poteſt actio? Quo in integrum reſtituto, quomodo redire non poteſt actio? Reuera autem non eſt cauſa adæquata, ſed ſine qua non. Sine enim Corde non poteſt.

XXXII. Hoc probo ex ipſomet Galeno, qui ſpiritus animalis οἰκείαν ὕλην, *propriam materiam* agnoſcit vitalem ipſi dictum, *9. Vſ. p. 4. G. 7. Sent. Hipp. 3.* Et hoc quidem, cùm de triplicitate Animæ non cogitat.

XXXIII. At verò cùm ἕρμαιον illud ſuum conſtabilire vult, experimentum parat, quo vult oſtendere, Cor nihil conferre Cerebro ad generationem ſpirituum. Id eſt 2. *Sent. Hipp. 6. Vſ. pulſ.* 1. *C. reſp.* 5. *B.* Ligatis carotidibus externis oſtendere vult, animal nihil lædi, quod ad actiones cerebri.

XXXIV. Hoc fallere, inter alios demonſtrat Thomas à Veiga, *Com. in 3. Loc. aff. Non ligat omnes arterias.* Internas enim quæ ſunt ἐν τοῖς βαθυτάτοις τοῦ τραχήλου, vt loquitur ipſe 16. *Vſ. part. p. 12. A.* quomodo ligat? Ego etiam

illud

illud addo, non per arterias solas spiritus ascendit, sed & per venas, Viden' tu, ὦ φιλογαληνέ, quid heic Adrastéa?

Quod ad Cor.

XXXV. In hoc Galenus iniustior fuit, quàm in duas prædictas partes. His enim cùm plus tribuisset, quàm res ferebat, Cordi ademit penè omnia, relictâ solâ nominis vmbra. Ne hæreas, cùm Hepati dedisset τὸ θρεπτικὸν; Cerebro τὸ αἰσθητικὸν, καὶ τὸ λογικὸν: quid supererat Cordi? Fortassis τὸ θυμικὸν Platonis? Vult quidem videri Platonicus esse in hoc negotio: sed reuerà obliterat τὸ θυμικὸν totum, & superinducit illi τὸ ζωτικὸν cuius duæ sint actiones, ἀναπνοὴ καὶ σφυγμός.

XXXVI. Heic quis rerum intelligens non subsistat cogitabundus, cum tria modo dicta, τὸ θρεπτικὸν, τὸ αἰσθητικὸν, καὶ τὸ λογικὸν, constituant triplicem animatorum ordinem, vt in vestibulo dictum est: quid facit τὸ ζωτικὸν? Hò, inquiunt amici, Galenus distinctioris doctrinæ gratiâ separat τὸ θρεπτικὸν quod in plantis, ἀπὸ τοῦ θρεπτικοῦ quod in animalibus & homine est. Sed cur? Quia in plantis quidem calor nutriens non dat vlla sui signa, in animalibus autem & homine præbet se conspiciendum per respirationem & pulsum, illi reliquit nomen vetus, huic dedit nouum.

XXXVII. Ego etiam vim Adrasteas cogito in hoc negotio. Ergóne, inquam, iam fatemini vos ipsi, quod alij ante me operosè probârunt, τὴν ζωὴν apud Aristotelem esse idem cum τῇ θρέψει, adeóque Galenum mouisse Aristoteli litem de nomine? Nôrat Aristoteles hoc: sed quia simul nôrat, τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον non variare speciem, vtrobique eodem contentus fuit nomine. Et hoc est, quod nostri vltrò dant Galenistis, Vegetatiuum in animalibus, respectu illius, quod in plantis, nominari posse *Vegetatiuum exaltatum.*

XXXVIII. Tum verò illud submoneó. Essentia τοῦ θρεπτικοῦ vtrobique est eadem. Consistit enim in attractione, retentione & alteratione alimenti, tùm verò amplius excrementorum expulsione. At differentia est περὶ τὰ συμβεβηκότα, vt loquitur Philosophus, *de Respir.* 20. Inquit enim: Tria sunt, quæ fiunt circa Cor, saltus, pulsus & respiratio. De his agens Galenus, 2. *Caus. Symp.* 5. *R.* κινήσεις vocat πρώτας καὶ ἡ γκαιριωτάτας *motus primos, & ad vitam maximè necessarios*, pari quippe passu cum vitâ ambulantes.

XXIX. Nempe enim, Ignis animalis, vt Plato vocat, ad eam amplitudinem præ Plantario (vt sic dicam) euectus est, vt sensibilis sit, & non minus in perpetuo motu, quàm culinarius; non minus etiam ventilatione indigeat, quam idem: interim essentia est eadem.

XL. Rursus differt animalis à plantario, quod hic quidem insensilis est, ille autem tripliciter incurrit in sensus. Motus πάθησις dicta constituit τὸ θυμικὸν Platonis, quod consistit in affectibus Animi dictis, in irâ præcipuè, vnde nomen habet apud Platonem, in timore, à quo Aristoteles videtur illi nomen dedisse. Ventilatio fit duobus modis, pulsu & respiratione.

XLI. Differt in eo etiam, quod plantarius quidem sola διαπνοῇ contentus est: animalis præter illam, etiam ἀναπνοὴν habet. Heic quid designauit noster? τοῦ θυμικοῦ quidem non meminit in huius rei explicatione, fortassis quia sciebat, accidentaria cum essentialibus confundenda non esse: vicissim in eodem grauis-

mè labitur, cùm reliqua duo accidentaria, pulsum & respirationem, compingit in vnum & cum essentiali τῷ θρεπτικῷ, siue vt ipse appellat τῷ ζωτικῷ, coniungit.

XLII. Non minus grauis error est, quod τὸ σφυγμικὸν quidem mandat soli ζωτικῷ suo: τὸ ἀναπνοϊκὸν autem ablegat ad τὸ ψυχικὸν, vt vocare audet.

XLIII. Longè grauior error est, cum, vt pessum daret ζωὴν Aristotelicam, τὸ ζωτικὸν suum fieri vult à solâ facultate sine spiritu communicatâ tunicis arteriarum à Corde. Et hoc vt probet, sufficit illi solum illud experimentum *l. An sanguis, cap. 8. B. Nudatâ arteriâ, & immisso canali, &c.*

XLIV. Grauissimus est, quod cùm videret, pulsum non esse quidem motum compositum, sed constare ex duobus motibus; præfecerit illis motibus geminas facultates, συσταλτικὴν καὶ διασταλτικὴν arteriæ. Neque enim, quæ fiunt ex necessitate, opus habent facultatibus. Necessitas apud Aristotelem est: vbi calidum agit in humidum fit ebullitio.

XLV. Eadem (si hoc mihi aspergere licèt) quia respirationis est ratio, cur non dedit huic quoque peculiares facultates, συσταλτικὴν καὶ διασταλτικὴν thoracis?

XLVI. Hoc commentorum chaos si posueris iuxta simplicitatem priscam, videbis, ô quisquis es, in manifestâ luce,

——quantùm Stagirâ Pergamus absit!

XLVII. Seorsim heic collocanda est facultas θρεπτικὴ, quam ζωτικὴν etiam appellare possis, siquidem θρέψις καὶ ζωὴ non differunt: Seorsim habenda sunt tria συμβεβηκότα, τὸ δὴ ὡς σφυγμὸς καὶ ἀναπνοή.

XLVIII. Clara heic est ζωὴ Aristotelica, quam (ne hæreas) explicat per ἀναθυμίασιν, per πνεύμασιν, per ὄγκωσιν τοῦ αἵματος: ex quâ subitò in obtutum venit causa vnica, quæ sufficit tribus illis accidentibus, præcipuè respirationi & pulsui.

XLIX. Non minùs clarum est, ζωὴν hanc non arteriarum esse, sed sanguinis contenti. Ex quâ cum reddi possit causa omnium, quæ in pulsu fiunt, cur accersimus nouam facultatem vitalem? cui succenturiatæ sint duæ aliæ contractoria & dilatatoria? quæ fiant sine spiritu? solà Cordis facultate arteriis immissâ?

L. Quid ad hæc Adrastéa? Vt agam per πρωθύστερον. Facultatem vitalem sine spiritu conculcat pedibus Galenus ipsus. Nam, 7. *Sent. Hippocrat. 3. B.* eidem huic facultati tribuit distributionem caloris in totum corpus. Calor autem & spiritus sunt idem. Hoc Peramato debeo, *lib. de Facult. 3.*

LI. Ruente hoc, ruit simul pulsatoria vtraque, συσταλτικὴ καὶ διασταλτικὴ.

LII. Ruit quin etiam experimentum *l. An sanguis.* Si enim pulsus fit sine spiritu, quod experimentum; distributio autem cum spiritu, quod Galenus ait: iam idem fit, & sine spiritu & cum spiritu.

LIII. Hô, inquiunt: si in sanguine non in arteriis est pulsus, quomodo reddi potest ratio ordinis in pulsu? Potest. Longè enim alia ratio est ignis huius, qui sub imperio Naturæ est, quàm ignis culinarij, qui pro diuersitate & copiâ vstiliû, modò altior insurgit, modò humilior est. Nec obscurè concedit Galenus, *l. An sanguis, 6. L.* ordinis rationem seruari posse, etiamsi pulsus ab ebullitione fit.

LIV. Atqui, dicunt, Erasistrati sententia cùm esset, pulsum esse similem vndæ fluctuanti, opponit se illi Galenus 2. *caus. puls. 8. A.* & ait, illum κατα-

ψεύδεσθαι τὰ φαινόμενα, *mentiri contra rerum euidentiam.* Affirmo tibi, fuisse ipsius Aristotelis. Quod verò obiicit Galenus aliis ψεῦδος, in ipso est. Fallit enim experimentum: si alteram manum pectori imposueris, &c. non minus quàm illud, de quo §. 43.

LV. Quid si probem, ebullitionem Aristotelicam non ingratam fuisse ipsi Galeno? Eam in rem producam vnicum tantùm locum. Agens 6. *Sent. Hippocrat.* 8. *extr.* ex Platonis *Timæo* de Sanguine arterioso, de illo τὸ σφοδρῶς περιφερόμενον: quin sanguinem ipsum πνευματώδη vocat, & ζέοντα, propter quem etiam arteriæ pulsent. Quo loco ausis ne contemnere τὸ σφοδρῶς in eo, inquam, sensu, in quo ille accipit? Quid dico autem? τὴν ζέσιν? & negare, sanguini tribuisse pulsum non arteriæ? Plures locos si vis dabit tibi *Commentarius* 2. *de Thorace*, 12.

LVI. De respiratione idem tibi asseuero. Quam in rem iterum sufficiat mihi locus vnicus: tù si plures vis, dabit tibi *eiusdem Commentarij* 2. *cap.* 18. Agens 1. *Diff. resp.* 4. de conuenientiâ pulsus & respirationis, in respiratione omnia ait esse manifestiora. Quot in pulsu sunt motus, tot in respiratione sunt. Vtrobique enim est dilatatio & constrictio. Quot in pulsu sunt motus differentiæ, tot in respiratione sunt. Vtrobique enim est velocitas, frequentia, æqualitas, alia. Quæ alterant pulsum, alterant etiam respirationem. Sunt autem omnis generis calefacientia. Ex paritate tam insigni ita argumentor: Est illa vel ab vsu, vel ab instrumentis, vel ab efficiente. Non ab vsu: Est enim posterior. Non ab instrumentis: valdè enim hæc variant inuicem. Ergò ab efficiente, Calore. Hic auctus quomodo variet & pulsum & respirationum, cognoscere tibi licet *ex Commentario laudato.*

LVII. Interim quâ re omnino differat respiratio à pulsu, dicet tibi *idem Commentarius, cap.* 19. *seq.* in quo deducitur, non esse actionem simplicem, qualis pulsus: sed compositam ex naturali & animali, vt cum Galeno loqui solemus, ita tamen, vt præualeat naturalis. Hoc docuisse ipsummet Galenum monstrabitur tibi, si ita vis, *ex* 3. *Aph.* 23. *B.* 3. *Off. Med.* 36. *E.* 2. *Mot. musc.* 6. *E.* 2. *Aph.* 42.

LVIII. Et hæc quidem hactenus ex Adrasteas imperio. Hanc vicisse si fatebuntur (vti spero) Galeni asseclæ, bene habet: Sin malint cum Galeno esse, quod ad praxin perinde sit, sinemus illos potiùs, quàm lites sequamur.

FINIS.



IVDICIVM

De opere Galeni περὶ δογμάτων Hipp. & Plat. ἐκ τῶν χεντομεθόδων eiusdem

CASP. HOFMANNI.



I Galenus in his libris studiosus fuisset veritatis, atque in aliis fuisse se prædicat, careremus in Medicinâ plurimis, iisque insignitis confusionibus. At verò quia ipsemet fatetur extremo lib. 3. *scripsisse se incitatum à congerronibus* διὰ φιλοτιμίας κινηθῆναι, *hoc est ambitiosum ambitiosis gratificatum esse: intelligunt boni, quid de tribus animabus statuere debeant. Ne longè abeam, si in doctrinâ de primatu partium premere voluisset vestigium, cui institerat* in lib. de semine; *si addere voluisset*, quod 5. Loc. aff. 1. A. & alibi *verè scribit, Non mori animal, nisi affectu p. n. ad Cor translato: formare inde poterat verè* ἀποδεικτικὸν λῆμμα, lib. 2. cap. 8. F. Cor est primum viuens, & vltimum moriens. *Huius consectarium foret: Cor solum esse partem absolutè principem: quia solum est fons & origo Calidi natiui, quod (fatente ipsomet Galeno) est commune instrumentum omnium animalis actionum. Hoc ipsum retinere illum poterat intra limites veri: Non esse nisi vnicam Animam; de quâ etiam multoties loquitur, præcipuè cum substantiam eius ignorare se fatetur, quâ de re alibi. De vnitate Animæ legendus tibi fuerit Doctor meus Ill.* CREMONINVS, in Apologia pro Arist. à dict. 1. vsque ad 20. *Turrisanus*, in plusquam commento in Artem Galeni, *Buccaferrea*, apud Puteum lib. 3. Apolog. pro Galen. f. 118. *Suppeditabunt etiam aliquid* Commentarij nostri de Thorace, lib. 2. cap. 1. & 5. Commentarij item in lib. de Vsu part. passim. *Mihi heîc prodere libet* φιλοτιμίαν *Galeni, in introducenda triplici Anima, tribusque partibus principibus dignitate paribus. Consistit autem in tribus, 1. quod testibus agit qui tamen 2. aliò eunt. 3. quod nihil probat. Cùm producit Hippocratem & Platonem, territat nos testibus, quod ipsemet* 1. Temp. 3. extr. *improbat* in Athen. *Et alioqui* 4. Dign. pulſ. 3. *Galenus turpe ait esse certare testibus, quasi ad subsellia. Hippocratem non ita sensisse, probo nunc ex vno illo loco* 5. in 6. Epid. 5. *vbi ait Galenus, se nescire sententiam Hippocratis* de Animâ. *Si dixeris, Explicare tamen de Calido natiuo: dicam*

ego, at Calidum natiuum nonnisi vnum est. Ibidem cùm dicit Galenus, Hippocratem non meminisse τοῦ θυμικοῦ, *quomodo potuit idem sensisse cum ipso? Platonem non nisi vnicam Animam agnouisse, probo* ex Theæteto: *si, inquit, plures vnâ Animæ sunt, quid facit, vt homo sit vnus? Sed quid opus est aliis? Ipsemet Galenus disertè scribit* lib. 5. cap. 7. *Platonem agnôsse quidem tres Animæ facultates, quas etiam partes (& species) appellet: non autem tres Animas. Hoc vero* SIBI IPSI *probandum sumit. Ne putes iniuriam illi fieri, hem tibi verba ipsius* ex eodem lib. 5. cap. 4. *A. Anima nostra, inquit, non solùm facultates plures habet: sed etiam ex* GENERE *diuersis partibus,* NATVRAQVE *discrepantibus* COMPOSITA *est, Et mox* cap. 7. A. B. *probare se velle ait, tres illas Animas differre* SVBSTANTIA *&* LOCIS. *Quin* lib. 6. cap. 3. *ait, rectius vocari* οὐσίας *quàm* δυνάμεις. *Rursus, si intuearis id, quod maximè videbatur obstare vnitati, quomodo pugna esse potest, qualis in Medeâ:*

——— Video meliora probóque
Deteriora sequor: ———

respondebit, lib. 3. cap. 3. H. & iterum lib. 5. cap. 7. L. *probare hoc tantùm, facultatum, non etiam substantiæ diuersitatem. Porrò autem (& hoc tertium est) nisi refutauerit ipsius, quod toties dicit, & verè:* Cor esse principium Caloris natiui, *qui ipse Calor sit proximum instrumentum omnium actionum; nisi ex alterâ parte probarit, & Hepar sine Corde sanguificare, & Cerebrum sine Corde sentire & mouere: nihil actum fuerit. Nimirum, vt alibi deduxi, quod Sol est in vniuerso: id Cor est in animalibus sanguineis. Vt enim Sole indigent omnia; ipse autem non habet opus alio: ita Cordis ope carere potest pars nulla, illud autem non desiderat quidquam à quaquam. Et quid ait Galenus ipse? Cerebrum opus habet calore seu spiritu Cordis, adeóque vt cum ipso loquar, spiritûs animalis est* οἰκεῖα, ὕλη *spiritus ille, qui è Corde sursum it, vitalis dictus ab ipso.* Vide 2. de Thor. 7. & 23.

FINIS.

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

QVÆ tibi exhibuimus hîc, ô Lector, ἀποσπασμάτια sunt earum χειρομαθειῶν, quas ad Galeni opera, continuis duodecim annis, in æmulationem laudis ab Anutio Foësio Hippocrate reportatæ, à sese illustrata, conscripsit auctor, vir vt incomparabilis doctrinâ, ita numquam satis laudandus. Vtinam verò ea esset Germaniæ fortuna quam dudum desideramus amissam! haberemus iam non illas tantùm χειρομαθείας integras, sed & ipsa vasta Galeni volumina ita emendata & mactata notis quam antehac factum est numquam. Triennium enim iam abiit quando immortalis ille labor ad suam metam peruenit: nonus verò iam annus est, quum *de Ossibus liber* vnguibus suis nos docuit, qualis pòst exspectandus sit leo. Interim verò cape tibi portiunculam hanc τῶν χειρομαθειῶν; quâ breuiter complexus est Auctor ea, quæ vberiùs in longè præclarissimis illis *de Vsu partium ac Thorace commentariis pro Aristotele*, hoc est pro veritate disputauit. Etsi enim sit φιλογαληνότατος, magis tamen φιλαληθὴς est. Procul certè abest ab illâ imperitorum quorumdam scabie; quibus clarum Galeni nomen pro scuto est, quo inscitiam suam tueantur apud plebem contrà sagittas veritatis. B. V.

CASPARI HOFMANNI
PATHOLOGIA PARVA,

IN QVA

METHODVS GALENI PRACTICA EXPLICATVR; quam olim FR. FRISCIMELICA promiſerat;

AD CLARISS. VIRVM D.D.

PAVLVM MARQVARTVM SLEGEL, P. P. in illuſtri SALANA.

IN PATHOLOGIAM PARVAM HOFMANNI.

QVAM VENEREM *cœpit manus ingeniosa* GALENI,
Aggreßi multi, nullus at absoluit.
HOFMANNVS *tandem, soboles generosa* GALENI,
Quod pater incepit, fauſtiter abſoluit.
Perge labore nouo totum illuſtrare GALENVM,
Gazáſque ingenij diuitis eruere:
Sic immortali te poſthuma Fama beabit
Nomine: ſic viues mortuus in tumulo.

His indefeſſum de Rep. medicâ meritiſſimi Hofmanni, in expoliendo & exornando Galeno, ſtudium animare, ſimúlque ingens animi ſui deſiderium, plura eius viri opera, videndi declarare voluit,

VVERNERVS ROLFINCK, Phil. & Medic. Doctor, Profeſſor Ienæ.

CASP.



CASP. HOFMAN PAVLO MARQVARTO SLEGELIO

ὑγιαίνειν καὶ εὖ διάγειν.



CVM ab hinc aliquot retrò diebus, mi Slegeli, in acerbissimo isto luctu, de quo in proximis meis, animi gratiâ, diuertissem ad Tacitum, historicorum smaragdum, incidi fortè fortunâ in tumultuantes contra Vitellium Imp. Vespasiani milites. Ad hos pacificandos cùm Senatus misisset Legatos, *Miscuerat se*, inquit grauissimus scriptor, *Musonius Rufus, equestris ordinis, studia Philosophiæ, & placita Stoïcorum æmulatus, cœptabátque permistus manipulis, bona pacis ac belli discrimina edisserens, armatos monere. Id plerisque ludibrio erat, pluribus tædio, nec deerant qui propellerent, proculcaréntque, nisi admonitu modestissimi cuiusque, aliis etiam minitantibus, omisisset intempestiuam sapientiam.* Hucusque progressus substiti, surgénsque è sedeculâ inambulando meditari mecum cœpi, Quei fiat, quod plerorúmque bonorum ea semper conditio fuerit, vt in odio vixerint malorum? Ob hoc ipsum, quod quouis modo obstiterint conatibus illorum. Nimirùm, volunt esse ἀνυπεύθυνοι. Tum verò propiùs accedens ad conditionis meæ homines, commodum incidit GALENVS fortuna, quæ praxin Romæ feliciter exercenti tam propitia fuit, vt Vrbe exegerit illum, nisi mori mallet. Circa idem tempus cùm ad finem properaret Pathologia hæc parua, quam dudum voto quodam peculiari Tibi destinâram: visum fuit aptum hinc prooemium capi posse rebus hodiernis. Si enim rem iustæ appendas libræ, parum intererit inter fortunam MVSONII (an nomen est fatale!) & GALENI, omniúmque φιλαληθῶν. Nam quod patrauit furor Martius in istis: id committit in his τῶν ὀψιμαθῶν σκαιότης, *Ignorantia*, inquam, cum pari iuncta *Arrogantiâ*, hoc præsertim sæculo funesto, quo campus Martius tam latè patet, quam Germania vniuersa. Militum mores progressi sunt iam dudum (ferè cum Aerâ CHISTI) eò, vt rectè Lucanus dixerit,

Nulla fides, pietâsque viris, qui castra sequuntur.

Nostrorum, *vt*, quod Apuleius alicubi, GALENO contemporaneus, *meliores obtrectare malint, quàm imitari, & quorum similitudinem desperant, eorum affectent simultatem. Scilicet, qui suo nomine obscuri sunt, aliorum innotescere volunt, nullo*

vel honestatis, vel dignitatis respectu. Cum enim quæ sibi didicerunt, & alios iam docuerunt, (agnoscis verba Iul. Cæs. Scaligeri) *nec ipsi dediscere velint; nec alios dedocere:* superest illis hoc tantùm, à Iuliano τῷ προβάτῃ per manus traditum, κωνεῖον, *mendicium consistit in portendendo!* Quotusquisque τῶν περιοδευτῶν Romæ erat, qui GALENVM non appellaret παραδοξολόγον καὶ παραδοξοποιόν? Quotusquisque nostrorum est, qui, postquam vnum, alterúmve par calceorum oberrando contriuit, didicítque à senioribus artes æruscandi vulgares: non despicit se multò præstantiores, tanquam è Tarpeio monte? Despiciat verò tacitè: imò in os dicat doctoribus olim suis, *Non esse se amplius sub Censoribus!* Hippocratem & Galenum si oggeras illis, cum risu se absoluent, *Non implet ille saccum!* Iámque eò peruentum est, vt, cum *Arrogantiæ* accesserit *Auaritia*, multò minùs admirandum sit, vitia cum bellis comparari. Vt enim *animi illorum, qui sentiunt se armatos, insolescunt,* quæ Cassiodori vox est: ita qui modum repererunt ditescendi, quamuis non satis honestum, exercitui otioso (quem *Incendium* vocauit Thucydides) similes sunt. Et in his præcipuè apparet vinculum *Inscitiæ* cum *Ambitione* indissolubile. Postquam enim adolescentiam egerunt desidem, luxuriosámque, inspecto interim non nisi perfunctoriè vno, alteróve ex infimâ classe scriptore: domi quidem oblectant se νομισμοσύναις fuit; foris autem non facilè prosunt cuiquam, nisi specula lucelli affulgeat. Hi ipsi in προλήψει suis tam sunt feruidi, vt, quod semel ad animum admisêre, magnâ cum vi, polypi instar, teneant, *patriam potiùs prodituri* (vt Galenus alicubi conqueritur) quàm vel digitum transuersum cessuri. Hi scil. sunt illi, quos Seneca ait *ad rumorem componi, optima ratos illa tantùm, quæ magno cum assensu recepta sunt, neque ad rationem, sed ad similitudinem viuentes.* Quasi verò magna sit industria, sequi alios arietum more: maior verò, contemnere sublatis superciliis eos, qui rectis oculis Solem intuentur! Tum verò, ne quid desit improbitati, ad adolescentes rerum ignaros conuersi, *Quid vobis curatio sit istius* ἰδιογνώμονος? GALENI *sunt hæc nostra tanti præceptoris, vt vngues eius hodiè tota Europa pluris faciat, quàm hunc totum!* Eia verò, quasi mea quoque non sint GALENI! Dentur iudices, quos volo, &, vel Radamantho præside, euincam, causam meam longè meliorem esse. Sed erat χαύνωσις hæc ἀναπτισμεία, vt Aristophanes vocaret. Esset enim hoc imperitis quidem se frustrà ostentare, peritis autem risum persoluere. Ego paucis me absoluo, Facitis vos, ô tales hoc ipso SECTARIOS, quos quantoperè oderit GALENVS, integrâ philurâ ostenderim, si opus sit. A quâ infamiâ, vt alienus sim, GALENO ipso volente iubente, doceo, non quæ ille vno, alteróve loco, ex aliena sententia: sed quæ VERA sunt, & Naturæ rerum consentanea, & quidem non ἐπὶ καιροῦ mihi nata, sed multò anteà præmeditata. Quid verò? *Pleraque omnia, in quibus à* GALENO *discedo, iam ab aliis ante me sunt animaduersa*, id quod nunquam dissimulaui: cur igitur ego vapulo? Sed & hoc scire potestis, ô egregij, nec sinit vos aliter dicere conscientia, *Sæpe vobis tam hærere aquam, vt quæ Galeni sunt, Galeni esse negetis, & contrà.* Hinc adeo non raró mihi nascitur occasio docendi tam excelsos doctores, & confundendi arrogantiam plusquam semitariam. Et hoc quidem ab ADRASTEA est, cuius deæ officium, & potestas quæ sit, ab Galeno quidem discere poterant: verùm illi rerum securi, non negligunt tantùm, sed & cubito protrudunt. Augent verò cul-

pam, & vindictam in ſe concitant, dum illi quidem *ſtrenuè lucrantur, quia neſciunt*, quod ab Hippocrate olim dictum, planè conuenit huic hominum generi: nos autem iubent μὴ χεροῖν κροτεῖν, quod Græci aiunt. Quâ in re ſi fortè ſegnior ſit vnus & alter τῶν ἀχαρίτων, ad VIM illi properantes, homines primum excitant fœneos, qui è longinquo irritent ſimplices: mox, ſi res non ſuccedat, apertè criminantur. Et quia *ſuprà Virtutem fortuna eſt, & ſupra Fortunam arrogantia*: tantus excreſcit apud iſtos τῦφος, vt iam antè ſatis afflictos pro canibus domeſticis habeant, ſitque adeo, quod Cicero alicubi ait, *crimen ſine capite; ſententia ſine conſilio, damnatio ſine defenſione.* Et hi ſunt illi, qui pro Chriſtianis haberi ſe volunt, cum Turcis immaniores ſint, quippe qui nec rationem ætatis habent, nec conditionis, nec meritorum præteritorum: Imò verò, vbi conuicti iam ſunt molitionum vulpinarum, tantùm abeſt, vt erubeſcant, vt etiam faſtu Hiſpanico inſultent. Scilicet in ſcholâ aulicâ edocti Archiatri, ſatagunt vnicè, ne fallat illud πολυθρύλλητον, *Aduerſæ fortunæ ſarcina hæc vltima eſt, vt ij, quibus crimen aliquod affingitur, meruiſſe credantur.* Tunc verò ſi contingat preſſorum aliquem tantum ſibi animi ſumere, vultum vti obuertat illis, monitus Italico prouerbio:

Chi ſe fâ pecora il lupo lo mangia:

Nihil propiùs eſt, quàm vt lacerent illum. Interea μάλθακα κωτίλλουσι, quod Theognidis verbum eſt, amicitias apud imperitos & ſuſurrones iactant, tranſlationibus culpæ vtuntur, omnia agunt, quæ δρᾶμα ἐπιδιασκευασμένον ſapiant. Sed nec ſegnes ſunt in conciliandis ſibi multò ignauioribus, qui ferè etiam armati ſunt linguis vipereis, cum impudentiâ & impotentiâ planè muliebri, quorum ope & ſtudio ψηφίσματα noua condunt, condita ſtabiliunt, rebus ſuis conſulunt, ſumma HOC agunt, vt poſſint

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχοι ἔμμεναι ἄλλων.

Aut erro valdè, aut eſt hæc capitaliſſima illa iniuſtitia, quam Cic. 1. *Offic.* ait *exercere eos, qui tum, cùm maximè fallunt, id agunt, vt boni videantur.* Quicquid ſit:

Τοιοῖσιν μὲν ἐή τις ὁμόφρονος, ἢ ὁμόεργος,
Ἠέ γε συμφράδμων, ἢ σύμπλους, ἢ συνοδίτης;

Vellet fortaſſis aliquis, niſi obſtaret neſcio, cuius ſapientis dicterium, quod ego in hos verſus conieci.

Si tibi amicus erit, noli committere; vt vnquam
Perfidiam poſſit iure tibi obiicere:
Si temerè faxis, fugiet quantocyus à te,
Nec, ſi fortè velis, hunc retinere queas.

Et quid? Si rectè dixit regum poſt Salomonem ſapientiſſimus, *Stultiſſimum eſſe fugientem vxorem perſequi, vt redeat*: non rectè dicat alius, *Non minus ſtultum eſſe fugientem amicum deprecari, vt ſit amicus? Vbi enim quis ſemel peierauit*, inquit Cic. pro Rabirio, *ei credi poſtea, etiamſi per plures deos iuret, non oportet, tantò magis, vbi ſe ſemper peieratum denunciauerit.* Nimirum, pro periurio habeo *fidem per ſcelus abrumpere, & laudi etiam, tantùm abeſt, vt probro, ducere.* Vellet fortaſſis, niſi etiam præ oculis haberet Plauti illud in Penulo, *Bono ſi quid malefacias, ætatem expetit.* Quod eſt, explicatore Taubmanno noſtro, *Diu durat. Nam vir bonus iniuſtè læſus non facilè placatur, quin ſui doloris pœnas*

repetiuerit. Hoc verò intelligo, non de vindictâ priuatâ, sed de pœnitentiâ aduersarij. Qui si non aliter explicet animum, quin pergat omnibus modis hostiliter agere: possitne pro alio quis illum habere quàm pro hoste? Ni faxit, contemptâ insuper Seruatoris nostri monitione, *Estote simplices, vt columbæ, prudentes, vt serpentes:* exspectet vsque dum in pedes porrigatur. Sed quò me rapit indignitas rei? Ita fuit, ita semper erit. Tibi, mi Slegeli, si in VERITATIS studio tale quid obuiauerit, scito primùm Deum tuum & παντεπιστήμονα esse, & καρδιογνώστην, & vltorem boni, malique certissimum, æquissimum. Deinde habe tibi præ oculis SCALIGEROS, CASAVBONOS, BERNEGGEROS, (& quid plures commemorem?) qui quàm blandè habiti fuerint ab iis, qui *alphabetarij* dici poterant, collati cum heroibus istis: vt exemplis te munias. Cum enim nostro hoc ferali seculo, non minùs quàm olim, sæuiat ὁ πονηρὸς, formétque sibi homones, qui VERITATEM oderunt, quam tamen ne de facie quidem nouerunt: non est quod peculiare quid tibi spondeas. De me quid fiat, & quam ob causam fiat, non est opus commentariis, præsertim apud te. Hoc reliquum est, vt persuadeam tibi, *Si voles vestigia mea sequi, non quærenda tibi esse aliunde auxilia, quam ab illâ ipsâ diuâ, quam colimus*, VERITATE. Quò enim vicinior illa est DEO: eò maiorem fiduciam affert cultoribus suis. Versus est, nescio cuius, sed certè ex Arist. *1. Post* expressus, εἷς Θεὸς ἐστι Θεῷ δ' ἐν σύμφυτον, ΑΛΗΘΕΙΑ. Quamobrem, si quàm proximè ad Deum accedimus, ἐὰν ἀληθεύωμεν, quod Pythagoram dixisse ferunt: quis metus esse nobis potest à Mendacij patre? Huius λειτουργίας licèt nondum me pœniteat, quamuis mox septuagenarium, cuius (vt Holtzlinus noster canit)

Corporis, en, follem morbis comitata senectus
Corrugat, latâque pilos linit hirta [illegible]
Canities:


Tibi tanti, mi Slegeli, iuueni vegeto, corporis atque animi dotibus diuinitùs instructo ad hoc duellum, hâc occasione,

-- -- *parmámque, ensémque coruscum*
Trado libens. -- --

Trado autem simul, veteri consuetudine, tanquam symbolum quoddam, PATHOLOGIAM hanc paruam, vt scias, quid tibi negotij in posterum sit futurum. Hæc, tanquam crepundia, seu documenta ingenuitatis, secum fert in sinu METHODVM *medendi illam*, quam FRANCISCVM FRISIMELICAM, Professorem Patauinum, olim promisisse, de COMITE MONTANO, *præf. in libros de Morbis*, habemus, quámque alij ante me quæsierunt, non offenderunt. In hoc munere si dicam de me, quod in Elogiis illustrium virorum Patauinorum AMICVS ait de FRISIMELICA, *pro somno illi vigilias fuisse, pro otio laborem, pro delitiis industriam, pro vacatione occupationem:* mentiar. Ea enim semper fuit studiorum meorum ratio, vt, dum Musas colo seueriores, non contemnam Volupiam elegantioris literaturæ. Quin eò vsque progredior singulis diebus, quo serenus me comitatur animus, permittítque senilis corporis cura: immò non raro de industria quæro amœnitates. Nimirum, nec laboribus diffringi, nec otij rubigine consumi volo. Illud qui faciunt, non habent corpori honorem eum, quem debent: hoc qui committunt,

animo malè consulunt. Otia enim dant vitia. Otio igitur dum disco vti, experior reipsa denique, plus mihi negotij fuisse, quàm cum negotium est in negotio. *Tardus quippe sum: sed omnia assequor, dum propero.* Hac occasione cùm nactæ mihi essent χρηστομάθειαι tam φυσιολογικαὶ, quàm παθολογικαί; cæ verò hoc tam funesto tempore lucem videre nolint: ex posterioribus confeci per hæc frigora σκιαγραφίαν quandam, tentandæ Famæ ergò. Hanc ad te mitto, mi Slegeli, cum voto, *Faxit Deus Opt. Max. vt, quæ videre ego non potui in his tam densis difficultatibus, videas porrò tu!* In his tuis *post-curis* vt non desperem te inuenturum ex bonis quosdam, qui applaudant tuis conatibus: ita non deerunt καμιζόπηχοι. Ergò νῆφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν. Bene vale, optime Slegeli, & bene age. Scribo labente Februario 1639.





CASPARI HOFMANNI PATHOLOGIA PARVA.

CAPVT I.

§. 1.



PATHOLOGIAM doceri debere statim post Physiologiam, penè in confesso est. In hac quia agitur de *Morbo*, vtique agendum etiam fuerit in ea de *sanitate*. Sunt enim *contraria*, verùm mediata (apud Gal. & Arist.) non immediata.

§. 2. Παθολογία dicitur, quatenus πάθος significat omne id, quod præter naturam est. Est autem triplex, *Morbus*, *Causa morbi & Symptoma*. Morbus est id, quod Medicus persequitur. Persequi ritè cùm non possit, nisi ablatâ causâ, maximoperè incumbit illi. Hinc *Ætiologia* dicitur Pathologia, totum à parte. Symptoma sequitur & morbum & causam, tanquam vmbra corpus.

§. 3. Diuidam negotium in duas partes. In prima explicabo tria iam dicta in genere. In altera veniam ad morbos particulares, in quibus exponentur tam causæ quàm symptomata illorum.

PARS PRIMA.

CAPVT II.

§. 1. OMnes homines dicunt se esse sanos, cum præesse possunt rebus suis: Omnes homines dicunt se ægrotare, cum non possunt. Hinc & sanitatis & morbi hæc consit definitio, ὀνοματώδης dicta, *Sanitas est corporis humani dispositio seu constitutio talis, sub quâ bene seu secundum naturam se habet. Morbus est talis, sub quâ malè, seu præter naturam.*

§. 2. Vbi statim exponendum est, Quo modo dictæ duæ dispositiones sint contrariæ? & quidem intercedente medio aliquo? Apud enim Herophilum, cuius est *ars parua Gal.* res aliter se habet, quàm apud duces nostros. Interponit enim *neutrum statum*, in quo ait homines, neque bene valere, neque male.

Quod cùm sit contra communem loquendi morem, iure merito sequimur duces dictos. Ii enim, factâ sanitatis distinctione, in eam, quæ simpliciter Εὐεξία dicitur, aut sanitas καθ' ἕξιν; & eam, quæ sanitas κατὰ σχέσιν: dicunt, Sanitas non consistit in puncto aliquo: sed habet insignem latitudinem. Aliter enim sanus est puer, aliter iuuenis, aliter mediæ seu consistentis ætatis, aliter senex. Aliter valet sanguineus, aliter biliosus, aliter pituitosus, aliter melancholicus. Et sic de cæteris.

§. 3. Sed quis est terminus *Sanitatis?* Quam diu homo est ὀρθοστάδιος, vt Græci loquuntur, *weil der Kopff vber sich gehet.* Et hic ipse terminus est inter duas summas Medicinæ partes, ὑγιεινὴν & θεραπευτικὴν, quarum illa præseruat à decubitu, hæc decumbentes curat. Hinc apud Gal. duplices sunt *Intemperies*, aliæ naturales, sanitatis, salubres, paruæ, quæ ad ὑγιεινὴν pertinent: aliæ præter naturales, morbosæ, magnæ, summæ, quæ faciunt nos Clinicos. Dicuntur autem apud accuratè loquentes, posteriores quidem νόσοι, *morbi*, & habent stabile quid, firmúmque, quia sunt in facto esse: priores autem πάθη, *affectus seu affectiones*, quia sunt in fieri.

§. 4. Dicis, quid sit de definitione morbi Gal. de qua tantæ sunt digladiationes? Est, manétque *Nominalis:* verùm vt fiat aliquo modo essentialis, addit Gal. alicubi τὸ πρώτως, quod explicat per τὸ καθ' ἑαυτὸ λόγου, *primò & ratione sui*, ad differentiam *causæ* & *symptomatis:* alicubi τὸ αἰσθητὸν, σαφὴς, μόνιμος, *sensibilis, euidens, stabilis*, ad differentiam τῆς πάθους. Et hoc sufficit Medico, nec operæ pretium fecerit, si quærat definitionem, quæ vsquequaque legibus Logicis consentanea sit, tamen si quis velit habeat hanc: *Morbus est ἀμαρτία temperamenti, organisationis & vnitatis.*

CAPVT III.

§. 1. VVlgò recepta sententia est, *sanitatis* & *morbi subiectum* solum & vnicum esse *Partes solidas* dictas. Ego verò cum omnibus bonis dico, etiam *Humores* & *Spiritus* esse. Hoc probo 1. ratione, quia partes sunt. Partis autem definitio est, *Quicquid totum implet.* 2. *auctoritate.* Vetus sapientia ita constituit, inprimis Hippocr. qui *non solidas* tantùm partes acceptat, sed & *Humores, Spiritúsque.*

§. 2. Accedit testimonium hostile. Fernelius & tota ipsius chorea agnoscunt *vsum* quoque. Idem Fernelius, cum omnibus manipularibus, acceptat *febres humorales.*

CAPVT IV.

§. 1. TAm Sanitatis, quàm Morbi *differentiæ* sunt duplices *Essentiales* & *accidentales*. *Essentiales* autem sunt à triplici corporis nostri constitutione, de qua alibi. Hinc fit, vt sani quidem simus, non vnâ illarum tantùm constante, v. g. temperamento, sed omnibus tribus: ita ægri possumus esse vnâ illarum tantum offensâ. Hinc Morbus triplex, In *temperamento* seu tempetie,

qui dicitur Intemperies : in *organisatione*, qui Morbus organicus; in *partium omnium continuitate*, qui Continui solutio.

§. 2. Accidentales sunt : Sanitas alia est exacta, & dicitur εὐεξία, seu καθ' ἕξιν, alia imperfecta & vocatur κατὰ σχέσιν. Illa inoffenso it pede etiam in maximis victûs erroribus : hæc non opus tantum habet diligentiâ in victu, sed & προφυλακῇ, *præcautione*, per venæ sectiones, purgationes, &c. Vide *cap. 2. §. 3.* & amplius *1. Instit. 4.*

§. 3. Morbi essentialis differentiæ sunt tres dictæ, quæ iterum subdiuiduntur.

§. 4. *Intemperies* sunt 1. vel salubres, vel morbosæ, vt iam dixi. 2. vel simplices, calidæ, humidæ, frigidæ, siccæ : vel compositæ, calida & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca. 3. vel nudæ, vel cum affluxu substantiæ, quæ etiam Tumores præter naturam dicuntur. Harum quæ à sanguine est simpliciter dicto, Inflammatio vocatur : quæ à bilioso, Erysipelas : quæ à pituita, Oedema : quæ à melancholia seu attra bile, Scirrhus. Ex his compositæ sunt aliæ quatuor. Inflammatio Erysipelatodes, Erysipelas phlegmonosum, &c.

§. 5. *Morbus organicus* quadruplex est, In conformatione : in magnitudine aucta, immutatave : in numero abundante, deficientéve : in situ. Rursus conformatio consistit in tribus, In figura : in cauitatibus vel strictioribus, vel laxioribus in superficie vel asperata vel læuigata. Hinc sex species constant.

§. 6. *Continui* solutio, vel in carnosis partibus est, & *vulnus* dicitur, *vlcusque* ratione causæ efficientis : vel in ossibus, cartilaginibúsve & *Fractura* appellatur, habétque sub se species quasdam, de quibus infrà.

§. 7. Morbi accidentales differentiæ sunt multæ : 1. alij sunt *priuati*, Sporadici dicti : alij *communes*. 2. Communes iterum sunt, vel *Patrij*, seu *Vernaculi*, *Endemij* dicti, qui in certa aliqua regione, vel certo anni tempore, vel perpetuò grassantur : vel *populares*, seu *vulgares*, *Epidemij* vocati, qui ex causa communi, variis locorum & temporum differentiis vagantur. 3. *Epidemij* rursus duplices sunt, *Epidemij simpliciter dicti*, & *Epidemij perniciosi*, maligni, pestilentes. 4. τὸ *Malignus*, quia est τῶν πρός τι, facit nouam differentiam, vt alij sint *benigni*, alij *maligni*. 5. ita, Malignorum quidam *Pestilentes siunt*, quidam *Pestis* ipsa, quidam *Contagiosi*, quidam non. 6. Quidam sunt ἐν σχέσει, *in habitudine*, quidam ἐν ἕξει *in habitu*, vti distinguunt. Illi εὔλυτοι sunt, *facile curabiles* : hi δύσλυτοι, *difficulter curabiles*, *Hectici* vno verbo. 7. Quidam *breues* sunt, quidam *longi*, χρόνιοι dicti. 8. Breuium alij ὀξεῖς *acuti* sunt, alij non sunt. 9. Acuti sunt duum generum. Aut enim *simpliciter* ita dicuntur, aut ἐκ μεταπτώσεως, *ex degeneratione*. Illi finiunt intra duos primos septenarios siue diem 14. hi ad sextum pertingunt, siue diem 40. Illorum quidam peculiariter κατόξεις, ἢ λίαν ὀξεῖς, dicuntur *peracuti*, *aut valdè acuti*, quorum finis intra primum septenarium, hoc est, vel intra paucas horas, vel intra diem naturalem, vel biduum, & sic deinceps. 10. Quidam μεγάλοι, ἢ σφοδροὶ, *magni aut vehementes* sunt, & pertinent ad θεραπευτικὴν, quidam *parui*, & debentur τῇ ὑγιεινῇ. 11. Quidam iam sunt & pertinent iterum ad θεραπευτικὴν γεγενημένοι, siue ἐν τῷ γεγενῆσθαι, in facto esse : quidam erunt & respiciunt pariter τὴν ὑγιεινὴν, quia est in fieri, ἐν τῷ γίγνεσθαι, si propriè loqui velis, posteriores hi non sunt morbi, sed πάθοι. 12. Quidam sunt per συμπάθειαν

vel

vel *δευτεροπάθειαν per consensum :* quidam per *ἰδιοπάθειαν ἢ πρωτοπάθειαν, per essentiam.* Iam enim non distinguo. 13. Quidam sunt exquisiti, seu legitimi : quidam nothi seu spurij. 14. Quidam continui sunt, à principio ad finem vsque : alij paroxysmis interpolati.

CAPVT V.

§. 1. In *Causis* cogitare oportet, non de *morbo* tantùm, sed & de *sanitate.* Vtriusque vt inueniamus, operæ precium est, ante omnia scire, vtrumque vocabulum non constituere genus *vniuocum, sed æquiuocum.* Deinde, definitionem causarum non fore aliam, quàm ab efficiente.

§. 2. De consensu omnium, causæ efficientes heic sunt duplices, ab Athenæo vocatæ προκαταρκτικαὶ καὶ προηγούμεναι, à Nostris, illæ quidem, *Præincipientes,* seu *Primitiuæ* : hæ autem *Prægressæ,* seu *Antecedentes.* Alij priores *Externas* vocârunt, posteriores *Internas.*

§. 3. Heic subitò ingens est cuneus, Si Procatarcticæ sunt Externæ, quei dicere potest Galenus Vigilias, mœrorem, iram, &c. febres accendere, tanquam causas procatarcticas ? Sunt n. intra nos.

§. 4. Non longè abibo, sed protenus occupabo id, quod Illust. Sennertus *2. Inst. 2. cap. 1.* docet, Non rectè, vult dicere, vel αἱ προκαταρκτικαὶ dicuntur *Externæ,* vel αἱ προηγούμεναι *Internæ.* Non enim eodem respectu sunt causæ. Αἱ προκαταρκτικαὶ non sunt causæ respectu corporis, intra vel extra quod sint : sed respectu morbi. Hunc enim si excitent è longinquo (ita ego loqui soleo) excitatis videlicet ταῖς προηγουμέναις, satis est. At προηγούμεναι contra, non dicuntur causæ respectu morbi sed corporis. Hoc verò si ita sit affectum, vt impetum τῶν προκαταρκτικῶν frangere non possit, satis est, siue intra siue extra corpus sint.

§. 5. Ex his intelligere est, quæ sint causæ *Remotæ,* quæ *Propinquæ ? Propinquæ* Græcis προσεχεῖς, συνεχεῖς, καὶ συνεκτικαὶ, *continuæ, coniunctæ, continentes,* sunt illæ ipsæ προηγούμεναι *Antecedentes : Remotæ* magis, minus sunt, αἱ προκαταρκτικαὶ *Præincipientes.* Hinc clarum fit, causam *coniunctam* vulgò dictam, nihil aliud esse quam προσεχῆ ἢ συνεχῆ Gal. Causam item *continentem* vulgo dictam non esse aliam ab eadem προσεχῆ ἢ συνεχῆ, sed tum, cum Gal. ex aliena sententia loquitur, Stoïcorum, inquam, aut à Stoïcis natorum.

§. 6. Quare concludere possum, cùm vsus sex rerum non naturalium debito modo procedit, *Sanitas* inculpata est. Cùm modò in hoc, modò in illo errores committuntur, quò densiores illi sunt, eò maior *Morbi* metus. Hinc est quod corpus sanum & benè dispositum facilè fert iniurias externas : contra plethoricum, aut quouis modo præter naturam dispositum, vincitur ab iisdem.

CAP. VI.

§. 1. Venio tandem ad *Symptomata,* quæ vox aliquando latissimam significationem habet, aliquando latam, aliquando strictam. In posteriori significatu nos accepimus, pro eo scilicet quod *morbum* tantùm sequitur. Vt intelligas, *Morbus* ventriculi, intemperies verbi gratiâ frigida, symptoma immediatum habet *coctionem infelicem,* quæ & *actio læsa.* Id ipsum si contingat ab *Errore* ex-

terno, est *symptoma causæ*. Hoc symptoma, quod sequitur, *Flatuum generatio, borborygmi, &c.* est *symptoma symptomatis*.

§. 2. Heic statim distinguere oportet *Symptomata* à *Naturæ operibus*, verbi gratiâ sternutatione, tussi, &c. Fiunt verò illa à solo morbo: hæc à natura, sed stimulata à causa morbifica. Interim si naturæ modum excedant, fiunt morbi, deiectis scilicet viribus.

§. 3. Numero tria esse in confesso est, *Actionem læsam*, *Qualitates mutatas*, *Excreta & retenta*. Sed quomodo inter se cohærent? Ego ex loco Gal. corrupto alioqui, *Diff. sympt. 2. A.* constituo hunc ordinem. Symptomatum triplex est differentia. Quædam enim illorum sunt *actiones læsæ*, verbi gratiâ coctio ventriculi iam dicta. Quædam sunt *dispositiones corporis*, verbi gratiâ cùm totum corpus palescit, vt in Ictero. Quædam *vtraque sequuntur*, cùm vel non excernuntur, quæ debent, vel non suo tempore.

PARS ALTERA.

CAP. II.

§. 1. Vt in omni methodo locus prior debetur *Vniuersalibus*: ita heic post illa explicata venire oportet ad *particularia*.

§. 2. Hæc ipsa sunt exponenda eo ordine, quo inuenta sunt. *Intemperies* igitur, & quidem *Nudæ* stabunt heic in prima acie, quia primo loco inuentæ sunt, & sunt *partium simularium*.

§. 3. Hæ primùm sunt duplices, quarum alteræ *Salubres* vocantur, in latitudine scil. sanitatis, quas tractat ὁ ὑγιεινός: alteræ *Morbosæ*, quæ debentur τῷ θεραπευτῇ.

§. 4. Vtræque fiunt vel à solis *qualitatibus* intensis, cum nulla, aut certè non ἀξιολόγῳ materia: vel simul cum *humoribus*, sed qui nec *Inflammationem* faciant, nec *Erysipelas*, nec vllum omninò tumorem præter naturam. Nimirùm vt alibi docui, *Intemperies nudæ* non possunt definiri meliùs, quàm per remotionem *Intemperierum cum materia*. Hoc probo nunc vnico *Melancholiæ*, morbi, exemplo. De hoc Gal. scribit *3. Loc. aff. 7. H. 2. Caus. sympt. 5. B. & 7.* fieri ab humoribus, per Cerebri substantiam dispersis. Hac verò quei aliter intelligas, quàm de Intemperie nuda? Si enim inflammatio, verbi gratiâ adesset, longè alia adessent symptomata, quæ longè alium morbum arguerent.

§. 5. Vtræque sunt, vel à simplicibus *qualitatibus*, vel *à tota Substantia*. Gal. quæ constituit *morbos occultos* nostratium.

§. 6. De *symptomatis* harum sciendum est, alia esse Intemperiei, quà intemperies, verbi gratiâ calida, frigida: alia, quà huius partis affectæ. Illa poscunt *contraria*, quia pelli debent: hæc *similia*, quia seruari, verbi gratiâ Hepar calidius, quà calidum, vult frigida: at quia viscus est calidum, desiderat tepidè calida, quæ ipsa frigida quidem sunt, ratione intemperiei intentæ: sed calida seu similia ratione partis calidæ, quæ in statu suo seruari vult.

CAP. VIII.

§. 1. De *Intemperiebus salubribus* satis dictum sit, pro ratione instituti nostri: De *morbosis* oportet vtique diffundamus nos, & primo loco agamus, de *calidis*, initio facto à *febribus*, quia *Cordis*, viscerum, principis, affectus sunt.

§. 2. Heic aliquis, quâ audaciâ huc pertrahis *febres*, cùm tot in iis opus sit alterationibus & vacuationibus? Cupio ego vicissim audire, quâ audaciâ febres simpliciter dictæ possint ad *Intemperies cum materia* adstringi, cùm tam solicitè distinguantur ab illis *febres symptomaticæ* dictæ, quæ sunt, inquam, comites *Inflammationis* alicuius? Et alioqui, quid fert mos Medicorum alterandi & purgandi in confessisimis etiam *Intemperiebus nudis?* Loca Galeni si cumulare velim, diem integrum consumam.

§. 3. Ergo ratum esto illud, agimus heic de *febribus solitariis*, quæ non pendent ab inflammatione partis alicuius. De his quæritur, Quâ ratione *morbi sunt particulares*, cùm totum corpus occupent? Sunt duplici nomine. 1. quatenus opponuntur morbis organicis & continuis solutionibus. 2. quatenus, si propriè loqui velimus, sunt affectus Cordis. Quod verò in totum corpus expanduntur, id per accidens fit. Ita *Cachexia* & *Leucophlegmatia* sunt affectus Hepatis, licet eant in vniuersum habitum.

§. 4. *Febris* dicitur Latinis, non à feruendo, sed à *Februis*, Romanorum festis lustricis. Vt enim in illis expurgabatur vrbs à piaculis: ita à febribus exhauritur sentina vitiosorum humorum. Græcis πυρετὸς est ἀπὸ πῦρ *ignis*, licet ea ipsa vox *Caûsum*, febris vehementis speciem denotat V. Foesium.

§. 5. Ex vtraque Etymologia fluit genus ipsius, quod est *Intemperies calida*. Cui si adolescentior aliquis obiiciat, Atqui in plerisque febribus est frigus? Est: sed in intermittentibus ferè tantùm, dicunt. Ego verò, Frigus illud per accidens est, & fit oppresso Corde à vaporibus frigidis, prohibentibus distributionem caloris per corpus.

§. 6. Dubitatur ampliùs, sitne *calida* tantùm, an *calida & sicca?* Hoc modo si proponatur, valdè indistincta propositio est. *Ephemera* enim est *calida* tantùm. *Hectica calida & sicca*. De *Putridis* (ita enim loquar) res in ambiguo est, præsertim si distinguas *Putredinem Medicam à Physica*. Medica enim quia apud propriè loquentes est σύγκαυσις ἢ ἔγκαυσις, *combustio*, *incensio*, φλόγωσις fuerit vtique non *calida* tantùm, sed & *sicca*.

§. 7. Hoc an docuerit Gal. in controuersiam vocant quidam. Docuit, & est veritas. Cùm enim non vno loco dicit, *Esse conuersionem Calidi-natiui in igneum*, profectò à Calido-natiuo, quod calidum & humidum est, transitum fecit ad ignem, qui calidus & siccus est. Et hæc ipsa oratio quâ re differt *ab Intemperie calida & sicca* quàm sono verborum?

§. 8. Heic quia facta est mentio, tàm *Cordis*, quàm *Calidi-natiui*, quorum vtrumque pro *subiecto febris* vulgò habetur: quæri potest, quatenus id dari possit? Paucis. *Cor* est vnum, non φύσει, *naturâ*: sed ἁφῇ *contactu*. Gemina enim est substantia, hinc quidem carnea illa moles, quæ in macello venditur: hinc autem calidum natiuum, quod est particula illa seminis paterni, quæ per carnem in viuo animali dispersa, & pulsus & respirationis causa est, adeóque vitę ipsius.

§. 9. Hinc nascitur mihi defensio Galeni cui dicam inconstantiæ impingunt isti. *Cor* est subiectum febris, quatenus febris nulla fit, nisi affecto Corde: *Calidum natiuum* est, quatenus huius ope calor per vniuersum corpus diffunditur.

CAP. IX.

§. 1. *Differentiæ* febrium, vel *essentiales* sunt, vel *accidentales*. Vtræque ex triplici sunt fonte, vt mihi quidem videtur.

§. 2. Essentialium *prima* pendet à subiecto, *Corde*, in quo consideratur triplex substantia. 1. *Spiritus*, qui à *Calido natiuo* differt nomine tantùm, In hoc (eo sensu, quo dicam) sunt *Ephemeræ* seu *Diariæ*. 2. *Humores*, in quo sunt οἱ πυρετοὶ ἐκ τῆς τῶν χυμῶν σήψεως, *ex putredine humorum*, vulgò *Putridæ*. 3. Substantia ipsa solida, in qua *Hectica*.

§. 3. Ἐφήμεροι πυρετοὶ sunt illi, qui *vtplurimùm*, non durant vltra diem naturalem. Dico vtplurimùm. Contingit enim duobus modis fieri πολυημέρους, *plurium dierum*, qui & ἐκτεταμένοι, *extensi*, dicuntur. Aut enim desinit quidem calor intra dictum terminum: sed redit altero, tertio, & sic deinceps, die, cum iisdem symptomatis, nullísque adeo *putredinis* signis. Cur? Quia causa (verbi gratiâ στέγνωσις cutis) durat, & hæ febres retinent nomen τῶν ἐφημέρων πολυημερῶν ἢ ἐκτεταμένων. Aut durat quidem calor ille, cum iisdem (inquam) symptomatis, & propter eandem causam: sed in triplici differentia. Aut enim *increscit* & dicitur febris ἐπακμαστική: aut *decrescit*, & est παρακμαστική, aut *decurrit* in eodem tenore, & adpellatur ὁμότονος.

§. 4. Cæterùm, quia hac ratione febris mentitur *Putridam continuam*, quæ Græcis συνεχὴς dicitur, vt si differentia in nomine quædam, Hippocrate posteriores Medici vocarunt hanc σύνοχον. Quod obseruantes Nostri *Continuam* quidem nominant illam: *continentem* autem hanc. Et quia contingere potest, vt interea ostendant se signa putredinis, vocant quidem tum *Synochum putrem*: Si nihil tale fiat, *Synochum non putrem*. Illud si fiat, tum demum putrem rectè dici posse cum *Gal. 2. Cris. 6.* esse ex *Causorum ordine*. Vbi enim putredo non est, calor est mitis. Heic monitos voloparum cautos, licet *Continens putris* etiam in re ipsa communicet cum *Continua putri*: non esse tamen in docendo coniungendas. Quin *Continentes* tractandas esse cum *Ephemeris*, à quibus degenerârunt: *Continuas* cum *putridis*, quarum naturæ sunt. Moneo & hoc, *Continentes* has fieri in *Plethoricis* tantùm, & esse rarissimas. Et hoc, *Continentes* has esse *febres* illas *sanguineas*, de quibus tot procellas excitârunt Recentiores quidam.

§. 5. Ex quibus omnibus apertum fit, necessariò admittendam esse expositionem veteris sententiæ de spiritibus. Non enim in his sedem habent Ephemeræ, sè in tenuiori sanguinis parte, quæ respondet proportione flori vini: Hoc vult Gal. cum 1. *Diff. feb.* 5. *A.* ζέσιν, *ebullitionem*, sanguinis nobis offert.

§. 6. *Putridarum prima* & potissima differentia sumitur ex natura sanguinis putrescentis. Aut enim biliosus est: aut melancholicus: aut pituitosus: aut denique serosus, quem ego addo. Et ita loqui me fas est, ex rei natura: at in Medicina locum habet & altera locutio, Putrescit vel bilis, vel melancholia, vel pituita, vel denique serum. His tribus putrescentibus fiunt tres febrium

species, exquisitæ seu legitimæ dictæ, *Tertiana* ex bile: *Quartana* ex melancholia: *Quotidiana* ex pituita. At verò cùm contingat putrescere duos humores simul, totidem fiunt spuriæ seu nothæ. Ex bile & pituita *Tertiana notha* seu spuria, & sic de cæteris, prædominante semper appellatione illa, cuius humoris maior copia est.

§. 7. *Putridarum altera* differentia est à motu dictorum humorum. Aut enim calor est perpetuus, ab initio morbi vsque ad perfectam solutionem, & febris fit συνεχὴς, *continua* iam dicta: aut remittit, vel de tertio in tertium, vel de quarto in quartum, vel de die in diem, & fit διαλείπων *intermittens*. De priori ordine sciendum est. Aut *æqualiter* decurrunt, hoc est ad ἀπυρεξίαν non perueniunt, & retinent nomen generis, *Continuæ simpliciter*: aut *inæqualiter* eunt, hoc est, ad ἀπυρεξίαν non perueniunt quidem, sed habent remissiones & intensiones manifestas, & vocatur *Continuæ* cum additione τριταιοφυεῖς, τεταρτοφυεῖς, ἀμφημερινοειδῆς. De posteriori hoc vulgo persuasum est, bilem quidem semper moueri de tertio in tertium, melancholiam autem de quarto in quartum, pituitam de die in diem, & hinc esse *Tertianas continuas*, & sic de cæteris.

§. 8. Quo loci dicendum est, iudicium de continuitate & intermittentia febrium non pertinere ad vulgus, sed ad Medicum. Non enim si singulis diebus quis febricitat, propterea laborat febri continuâ. Est autem *triplex* ordo febrium, quæ videntur continuæ, & non sunt. *Primus* est cùm intermittentes copulantur inter se, & fit *Tertiana duplex*, *Quartana duplex*, *triplexve*. *Secundus*, cum intermittentium paroxysmi tàm longi sunt, vt, antequam desinat prior, subintret posterior. Propterea vocant *intermittentes per subintrantiam*. Tertius cùm intermittentes iunguntur cum continuis, vt fit in *Semitertiana* dicta.

§. 9. Sed quæ causa est, cur quædam febris sit *Continua*, quædam *Intermittens*? Vulgo dicunt, Continua est intra vasa: Intermittens extra illa. Quæ sententia cùm multis pateat difficultatibus, dico ego, *Continuæ* sunt in ipso thorace: *Intermittentes* in abdominis viscerum aliquo.

§. 10. Ecquæ causa, cur in intermittentibus paroxysmus incidat, modò in hunc modò in illum diem. Absque ambagibus. Accipio *primum* in genere id, quod Gal. docet *2. Diff. feb. vlt.* de dispositionibus rheumaticis, tum videlicet cieri defluxiones, cùm tantum humoris collectum est, quantum onerare potest naturam. *Deinde* in specie, Tum exacerbari febres, cùm in foco febrili tanta est humoris copia, quanta naturæ molesta est.

§. 11. *Hecticarum* vulgò triplex statuitur differentia, pro ratione triplicis alimenti apud Hippocr. *Alimentum futurum, mox futurum, iam.* Ad hunc vltimum gradum cùm peruentum est, est Hectica *exquisita*, quæ eadem est cum *Marasmo torrido* dicto. Et hæc quidem essentialium differentiarum *prima* est, cum suis vt ita dicam subdifferentiis.

§. 12. *Altera* est à modo inhæsionis, & pertinet (credo) ad prognosin. Alia enim febris est in calefacto esse: alia in calefieri.

§. 13. *Tertia* est, alia est primaria, alia symptomatica. Illa est, de qua agimus, est *Intemperies nuda*: illa est, de qua non agimus, & est *Intemperies cum materiâ*, hoc est, pendet ab inflammatione partis alicuius.

§. 14. *Accidentalium* differentiarum 1. est à caloris magnitudine & paruitate. 2. à more, à quo alia benigna est, alia maligna. 3. à tempore, vnde quæ-

dam breuis est, quædam longa, quædam diurna, quædam nocturna, &c.

CAP. X.

§. 1. De *causis* febrium hoc ab initio tenendum est, Galenum *in de Causis* quidem *morb.* 2. in genere de iis agere, in 1. autem *de Diff. feb.* 3. in specie: sed vtrobique παχυλῶς, *crassa Minerua*, vt prouerbium habet. Quare qui accommodare volet, fortassis hanc viam ingredietur.

§. 2. Quod ad *externas*, quæ eædem *remota* sunt, & προκαταρκτικαὶ, ita colloco: I. est *Motus*, isque vel corporis, vel animi. Illius *Labores* facit, siue quis studiosè sibi illos imperet, suæ spontis aliàs: siue in vocatione sua quisque cogatur obire. Huius *Affectus animi* vulgò dictos. *Labores* faciunt febres cùm quis in illo exercitio ita commouet sanguinem, vt iam in Corde efferuescat sanguis, & læsio sequatur actionem. *Affectuum* quidam (verbi gratiâ ira) agunt eadem efferuescentia: quidam (verbi gratiâ mœror) præuia concentratione: quidam fortè aliter.

§. 3. II. *Vicinia corporis calidi*, Vt si quis diutiùs sub Sole agat, ad ignem, in stuphis nostris, in balneis.

§. 4. III. *Vsus in cibo & potu* aromatum, allij, porri, ceparum, &c. vinorum generosorum.

§. 5. IV. Στέγνωσις dicta Græcis, *constipatio pororum* cutis, siue id fiat ob sordes, ab excrementis tertiæ concoctionis collectas, siue ab externo frigore, natatione in aquis frigidis, aut alioquin aluminosis. Tum enim, prohibitâ insensili dictâ transpiratione, conculcatus intùs calor efferuescit eo modo, quo dixi.

§. 6. V. *Putredo est*. De qua obseruandum est discrimen, supra obiter tactum. Aut enim fit in inflammationibus, vnde febres symptomaticæ vocatæ, quæ huc non faciunt, In his enim dum pus fit, febris & dolor, *2. Aphor. 47.* Aut fit in latitudine sanitatis, cùm sanguis gignitur vitiosus, qui, accedente, calore externo, exardescit & facit σύγκαυσιν potiùs, quàm σῆψιν. Aut denique fit in febribus contagiosis, malignis, pestilentibus, in quibus est σῆψις propriè dicta. Quo loco monendum est, vt σύγκαυσις illa est in *qualitatibus manifestis*: ita σῆψις hæc est in *occultis*, siue *in tota substantia* Galeni.

§. 7. Quod ad *internas*, quæ eædem *propinquæ* sunt, & προηγούμεναι, sunt illæ in sanguine vitioso nuper dicto. Si enim copia ille peccet, & *Plethora* oriatur, simpliciter dicta, *Ephemeræ & Synochi* fiunt: sin qualitate & *Plethora exsistat cum adiectione*, biliosa, melancholica, pituitosa fiunt putridæ-eæque benignæ. Ad *cacochymiam* vbi ventum est, quia est, vt dixi διαφθορὰ καὶ σηπεδὼν, fiunt *putridæ malignæ, pestilentésque*. Vbi illud repeto, τρόπος διδασκαλίας permittit heic, vt pro *sanguine bilioso* dicam *Bilem*, & sic de cæteris.

CAP. XI.

§. 1. *Symptomata* febrium, vel in genere respiciunt febres, vel in specie hanc febrim.

§. 2. IN GENERE. I. est *Inæqualitas* quædam, quam ἀνωμαλίαν vocâris,

cùm dicunt febricitaturi, *Ich vveis nicht, vvie mir ist.* 2. est *lassitudo*, vel spontanea, vel post leuem motum. Hæc triplex est *Tensiua*; *Vlcerosa*, & *Inflammatoria.*

§. 3. Huc pertinent tria symptomata, immediatè præcedentia febres plerasque omnes, *Frigus*, *Horror* & *Rigor*, quamuis appellationes confundantur. Erratur etiam in eo, quod putantur differre tantùm secundùm magis & minus. Ego ita definio, *Frigus* est priuatiuum quid tantùm, quod fit; occupato Corde à vaporibus crassis, qui non sinunt fieri effluuium caloris in extimas partes. A priuatiuo autem quei fiat motus sensilis? *Horror* igitur fit, cùm, vnà cum calore, emanant è Corde acres vapores, geniti ob detentum & conclusum calorem, qui vapores ad membranam carnosam dictam appellentes, causantur *horripilationem*, vt Apuleius loquitur. *Rigor* accidit, cum iidem vapores ad caput delati, ingrediuntur ibi principium neruorum, iterumque descendentes inde, feruntur ad musculos, quos mouent, non secùs ac in conuulsionibus euenit.

§. 4. De his quæstio est, sitne in omnibus febribus necessariò vnum ex his? Nullo modo. In *Ephemeris* nihil tale est, quia est ζέως simpliciter. In *Hecticis* eadem est ratio. In *Putridis* igitur solis est. Sed éstne æqualiter in omnibus, tam continuis, quàm intermittentibus? Vulgò pro oraculo habetur, Præcessit horum aliquid, Ergo intermittens erit, Nihil præcessit, ergo continua erit. Falsum vtrumque. Nam neque continuæ sunt expertes illorum, sed in primo insultu tantùm: neque intermittentes semper habent. Hoc experientia docuit solicitiores.

CAP. XII.

§. 1. IN SPECIE, *Ephemera* febrium simplicissima est, hoc est paucissimis & securissimis comitata symptomatis. Horum primum & inseparabile est *Calor* quidem talis & tantus, qui lædat actiones: sed mitis. Ille verò etiam ferè à causa procatarctica. Hinc (quod secundum est) *pulsus* mutationem aliam non subit, quàm quod maior & celerior fit, sine omni inæqualitate febrili. 3. *Vrina* etiam mutationem aliam non subit, nisi quod rubicundior est. 4. Solet desinere, vel in madorem tantùm, vel in sudorem.

§. 2. *Hectica* symptomatum paucitate similis est Ephemeræ. Est etiam *calor* non magnus, sed acris, isque post singulos pastus, per vnam alteramve horam. *Pulsus* est debilis, & durus. *Vrina* coloratior, tenuior, &c. Huius tres sunt gradus, vti prædictum est. Quæstio est, Fiatne aliquando ab initio? hoc est non præcedente, vel Ephemerâ, vel Putrida? Ego sum eius sententiæ, præterquam in catarrhalibus, semper esse comitem Putridarum, & præcipuè τῶν καυσωδῶν.

§. 3. *Putridarum* negotium valdè implicitum est. Complectar symptomata numero senario. 1. *Caloris* acrimonia, teste Gal. est maximum illarum signum, quippe longè supra hecticarum. 2. Hic *calor* vtplurimùm sine causa procatarctica est, contra scilicet quàm in Ephemerâ. 3. *Pulsus* semper inæqualis est, hoc est systole est velocior quàm diastole. Tu puta, quatenus est putrida. 4. In *Vrinis* opus est hac distinctione. Si statim adsit putrida, crudæ etiam statim sunt: sin præcedat Ephemera, non ita. 5. Quærere debet Medicus, præcesseritne signorum generalium aliquod? *Frigus* ferè in Quotidianis est intermitten-

tibus: *Horror* in Quartanis: *Rigor* in Tertianis. His addere oportet *inæqualitatem* & *laſſitudinem*. In continuis ſi quid præerat, *Horror* ferè eſt. Finis paroxyſmorum in intermittentibus cum euacuatione aliqua ſenſili eſt, vomitu, deiectione, ſudore, &c. 6. Comites ſunt, ſitis, dolor capitis, appetitus deiectio, &c.

§. 4. Ab his niſi ad ſpecialiora eatur, Putridarum cognitio manca fuerit. Oportet autem *Intermittentes* præmittere *Continuis*, quod paroxyſmorum ratio aliquo modo redundet etiam in continuas.

§. 5. Igitur in *Intermittentibus* initium facere oportet à *Tertiana*, vtpote in qua omnia ſymptomata ſunt clariora, ne dicam, febrim ipſam eſſe frequentiorem. Quin ait *Gal. 2. Criſ. 3.* niſi quis primo ſtatim die *Tertianam* diſcernat à reliquis ſimplicibus febribus, appellandum fore aſinum Theſſalicum, &c. Coniungo autem *exquiſitam* & *ſpuriam*, quod quò exquiſitior eſt febris, eò euidentiora ſunt omnia: obſcuriora, quò magis degenerant, & quidem quò maior, minorve copia eſt admiſta, vel pituitæ, vel melancholiæ.

§. 6. I. *Rigor* in Tertianâ, quò vehementior eſt, eò exquiſitior febris eſt. Heic valdè ſoliciti ſunt noſtri, vnde petant frigus in humore tàm calido? Ego in vado ſum, qui frigus facio priuatiuum, quodque cum vaporibus acribus, κλόνον illum facientibus, nullum nexum eſſentialem habet. Vbi duo notanda ſunt. Alterum, primis diebus non neceſſariò eſſe vehementem. Alterum, diuturnum non eſſe, ob bilis tenuitatem.

§. 7. II. *Calor* cùm poſt rigorem incipit ſe explicare, purus eſt, non fumoſus, acris, non diu durans, ob cauſam dictam. Cum ventum eſt ad ἀκμὴν intenſus eſt, cum ſiti ingenti. Verùm, non oportet bibere, vſque dum oſtendat ſe mador aliquis in cute. Tùm enim ad promouendum opus naturæ, Medicus tutò exhibere poteſt bonum hauſtum aquæ hordeatæ. Sudori aliquando vomitus ſuccedit, aliquando alui deiectio. Hæc accidunt intra tres minimùm horas, intra 12. maximùm. Hunc terminum ſi ſuperet, iam non ampliùs exquiſita eſt, & tantò minùs, quò diuturnior eſt paroxyſmus.

§. 8. III. Proportioni huic reſpondent *paroxyſmi*. In exquiſita enim ſeptimus non tranſcenditur, licèt & pauciores eſſe poſſint. Plures ſi ſint, ſpuria iam eſt.

§. 9. IV. *Pulſus*, imminente rigore, paruus eſt, debiliſque: ſed, calore ſuperante, ſenſim fit maior, robuſtiórque, verùm cum manifeſta inæqualitate febrili.

§. 10. V. *Vrina* in aliis alia eſt, vtplurimùm tamen ruffa, eaque vel intenſiùs vel remiſſiùs, pro ratione bilis ipſius. Contenta modò habet, modò non habet. Quæ non habet, argumentum præbet, febrim intrà ſeptimum paroxyſmum non ceſſuram: quæ habet, tertio finiri poteſt. Et hoc in *exquiſitiſſima*. Quò enim magis ab hac norma abit, eò magis *ſpuria* eſt.

§. 11. In hac (ſpuria) *Horror* tantùm eſt, qui durat quatuor, quinque horis. *Calor* qui ei ſuccedit, non eſt inſignis, quique lentè it ad ἀκμὴν, vix intra 12. 18. 24. horas. In declinatione paroxyſmorum raro ſuperuenit, vel ſudor, vel vomitus, at in declinatione morbi vniuerſalis, ab initio ſudores pauci ſunt, poſteà copioſiores. *Pulſus* ferè duri ſunt, vſque ad ſeptimum paroxyſmum. *Vrinæ* ſunt crudæ.

§. 12.

§.12. *Tertianam* excipere debet *Quartana*, propter Gal. dicterium, 2. *Cris.* 4. *ext.* qui non primò statim die has dignoscit, Medici nomine indignus est. Hoc quò minùs fiat apud nos, obstat inter alia, quod non distinguimus Melancholiam ab Atrâ bile, vt & atræ bilis species inter se.

§.13. De hac sciendum est. Primis quidem diebus adesse solum *horrorem*, vt in Tertiana notha, sed cum pandiculatione & oscitatione: sequentibus autem adeò increscere, vt rigor fiat intensissimus, in quo & dentes crepant, & totum corpus adeò concutitur, vt sponda crepet. Adest simul dolor ille, qui ὀστοκόπος dicitur Græcis. Huius euentus causa est ἐπιπέρδημα humoris alioquin crassi.

§.14. Horrori succedens *calor* nihil commune habet cum Tertiana. Paulatim enim increscit, non secùs ac testa, seu lapis, interim acris & ipse.

§.15. *Pulsus*, cessante horrore rigoreve fiunt tardi & rari vsque ad ἀκμὴν, post illam frequentes quidem fiunt, sed in tarditate persistunt. *Vrinæ* sunt variæ sed crudæ omnes. In augmento vniuersali colorantur cum multa subsidentia.

§.16. *Paroxysmi* cum Tertiana comparari non debent, sed cum quotidiana. In exquisita sunt longiores: in spuria, cum iungitur humor calidus, breuiores. Intra tamen horas 20. non desinunt. Longissima est vtraque sed secura. Tu puta, *quatenus quartana* est.

§.17. Restat *Quotidiana*, in qua neque *Horror* vllus est neque rigor, sed *frigusculum* tantùm. *Calor* succedens lentus est, & quasi sub cineribus suffocatus, aut potius talis, qualis à lignis viridibus, antequàm ignis præualescat. Habet acredinis aliquid, sed non nisi diutiùs premas. *Vrinæ* sunt albæ, modo tenues, modo crassæ, *Pulsus* qualis sit facile est coniectare. Cum iungitur illi humor calidus, leuiora fiunt quæ dixi. Rara est sed periculosa, præsertim si os ventriculi sit affectum. Et hæc quidem de intermittentibus.

§.18. De *Continuis* acturus, primùm omnium amoueo illud offendiculum, quod vel coniungit τὰς συνεχεῖς cum τοῖς συνόχοις, vel confundit. Agitur de solis *Continuis*, non *Continentibus*.

§.19. Hæ sunt duûm generum. Aut enim retinent nomen generis, & sunt illæ, quæ vno eodemque calore decurrunt quatuor morbi tempora vniuersalia. Aut dicuntur τριταιοφυεῖς, τεταρτοφυεῖς, ἀμφημερινοφυεῖς, quia, vel tertio die, vel quarto, vel eodem habent remissionem quandam, sed tamen ad ἀπυρεξίαν non perueniunt.

§.20. *In symptomatis* licet nobis defungi paucis. Quæ autem signa *combustionis* (*putredinis* impropriè dictæ) sunt in intermittentibus, illa heic quoque sunt, sed in excellentiori gradu. Ab his, vtpote valde insignibus, quia acceperunt peculiaria nomina, explicabo heic breuiter, vt eò alacriùs accedat Iuuenis ad lectionem Hippocratis & Galeni.

CAP. XIII.

§.1. Λημορώδεις πυρετοὶ, *falsæ febres*, apud Hippocr. 6. *Epid. t. t.* 29. meo iudicio sunt eædem cum τοῖς λιγνυώδεσι, *fauillosis* 3. *Art.* 47. Vt iam non simpliciter *acres* sint, sed κνησμώδεις *pruriginosæ*, in quibus ostendunt se pustulæ aquosæ,

rubicundæ, *Essera* ab Arabibus dictæ, quæ in ſenibus & aliàs in melancholicis temperamentis ſeſe exhibent cum magno pruritu.

§. 2. De ἀσώδεσι hòc tenendum eſt, τὸ ἄση quidem duo ſignificare apud Medicos, *faſtidium & iactationem*: febres autem ἀσώδεις non eſſe eas, quæ *faſtidium cibi & potûs afferunt*, ſed eas, quæ propter inflammatum os ventriculi ῥιπτασμὸν ἢ ἀλύκην, *iactationem & inquietudinem perpetuam* coniunctam habent.

§. 3. Βληχροὶ, *debiles*, dicuntur etiam μαλθακοὶ, *molles*, χλιαροὶ, *tepidi*.

§. 4. Διακνώδεις, vt ſeparem ἀπὸ τῶν ἁλμυρωδῶν, explico ſimpliciter de *Mordacibus* iis, quæ remittunt, vbi manu victæ fuerint.

§. 5. Ἐξέρυθροι, qui *faciem intensè rubram* repræſentant, quod fit in Synochis aliquando, cum manifeſta intumeſcentia, quam vulgus ait fieri, *von einem boſen Bind*. ἴξυχροι cùm *facies quaſi croco tincta* eſt, quod biliofis accidit. Ita πέλιοι ἢ πελιδνοὶ, *nigri* & *liuidi* ſeu *plumbei* pituitoſorum ſunt.

§. 6. Ἠπίαλοι valdè dubiæ & originis & naturæ ſunt. Ego deriuo ἀπὸ τῶ ἠπίως ἀλεαίνειν, *modicè calefacere & vrere*, & iungo cum τοῖς βληχροῖς iam dictis. Quo ipſo ſeparo me ab iis, qui fingunt ſibi febres quaſdam, in quibus *calor & frigus* ſimul & ſemel ſint. Quis enim credat fieri poſſe, præſertim ſi qualitas vtraque ſit ἄμετρος, vt ipſi volunt?

§. 7. Ἡμιτριταῖος, *Semitertiana* pene monſtrum apud me eſt. Vide Pathologica, *cap. 312*.

§. 8. Κακοήθεις ἀπὸ τῶν ὀλεθρίων ita diſtinguo, vt quidem ſint intra terminos primarum qualitatum: illæ à tota ſubſtantia. Apud pleroſque τὸ *Malignum* natat in ſummis labiis: quid reuerà ſit, ignoratur.

§. 9. Καῦσοι ἢ καύσωνες ipsâ appellatione produnt ſe. Duo habent ſymptomata *Calorem flagrantiſſimum*, cum *ſiti clamosâ*, vt quidam loquuntur. Si vtrumque intra mediocritatem ſit, *Cauſum ſpurium* vocant. An tum καυσώδεις ſunt? *Cauſos benignos dicere*, eſt dicere virginem corruptam. Propterea etiam *malignos* repudio.

§. 10. Κοπώδεις nullo modo ſunt *laborioſæ* febres, ſed *laſſitudinariæ*, cùm dicunt ægri, *Es iſt mir, als vvann ich geprugelt vvere*.

§. 11. Quæ in vulgatis codicibus ſunt κρυμώδεις, κριμώδεις, κριμνώδεις, mihi ſunt κριώδεις, ἀπὸ τοῦ κρύος *frigus*, vt iidem ſint cum τοῖς φρικώδεσι, cùm *frequentes* adſunt *rigores*, quales ſemitertianæ tribuunt.

§. 12. Λειπυρίαι, ὁ, dicitur mihi ἀπὸ τοῦ λείπειν τὸ πῦρ, *calorem deficere in extremis*, quod pro ſummâ debilitate habeo, cùm Cor non poteſt ſe expedire à vaporibus ingruentibus, & ad ſuperficiem tendere. Aliàs ad inflammationes viſcerum refertur.

§. 13. Λοιμώδεις ſunt *peſtilentes*, cùm putridæ fiunt contagioſæ & multos occidunt, quod iam *peſtis* quædam eſt.

§. 14. Λυγγώδεις, ἢ λυγμώδεις *ſingultuoſæ* ſunt, cùm ſymptoma hoc valdè increbeſcit. Putarim *in Coacis*, pro ἰλιγγώδεις legendum eſſe λυγγώδεις, licet abſimile verò non ſit, etiam *vertiginem* poſſe negotium faceſſere.

§. 15. Μαρασμώδεις, ſunt, quæ iam ad Μαρασμὸν inclinant.

§. 16. Νωθώδεις, meâ ſententiâ ſunt iidem cum τυφώδεσι, de quibus mox.

§. 17. Συγκοπώδεις duplices ſunt, *12. Meth. 5. & 6.* vbi vide.

§. 18. Συντηκτικοὶ, ἢ συντήκοντες, *Colliquatiui* ſunt διακαεῖς, *vrentes*, adeóque

ſtatim cauſi. Tu verò crede mihi, intelligi heic colliquationem ſenſilem quæ quo modo fiat, rectiſſimè explicat *Gal. 3. Cauſ. ſympt. 2.*

§.19. Ταραχώδεις dici puto, non illas tantum, quibus delirium iungitur, ſed & quibus diarrhœa dyſenteriáve.

§.20. Τυφώδεις, cum ægri perpetuò fumant. Ab his gradu differunt, αἱ ἐλώδεις, cum perpetuis diffluunt ſudoribus. Audeo affirmare non differre ab iis τῆς ἠπιαλώδεις, quamuis de τῷ ἠπιάλῳ multa controuertantur.

§.21. Φρικώδεις ſunt, non ſimpliciter, in quibus quoquomodo horror, rigórve eſt: ſed quibus ſæpe tale quid contingit.

CAP. XIV.

§. 1. Sed ſatis de febribus Præſuppoſito hoc, iam non agi de *Intemperiebus naturalibus* ſeu *ſalubribus* in latitudine ſanitatis, quas ſuprà attigi, accingor ad *Intemperies morboſas*, vſurus ordine eo, quo natura vtitur in coquendo ſanguine. Tum verò ventriculus procul dubio erit pars princeps: ſed ita vt diſtinguas actiones ipſius triplices, quæ ſingulæ ſingulas habent læſiones. Quatenus enim *in ore ventriculi* eſt appetitus, tàm ſicci, quàm humidi alimenti, fiunt ibi appetitus vel aboliti vel imminuti, vel deprauati. Quatenus *ἐν κοίτῃ in cauitate, in capacitate, in alueo* ipſius fit prima coctio, eſt ibi, vel nulla, vel tarda, vel praua coctio. Quatenus expanditur ventriculus in Inteſtina, quorum actio primaria eſt, ἀνάδοσις alimenti, ſecundaria, chyli perfectio: eatenus magis, minùs læditur vtraque actio.

§.2. *Oris ventriculi* affectus oſtendunt ſe tam in ſicci, quàm in humidi alimenti ſymptomatis. In *humidi ſitis eſt*, quam tamen cauſantur ferè viſcera alia ſanguinea, tam intra ſanitatis latitudinem, quàm extra, de quibus actum mihi eſt *2. Varr. lect. 11.* In *ſicci* quinque ſunt, quorum quatuor à calida frigidáque intemperie pendent, quibus *à totâ ſubſtantiâ*.

§.3. I. Ανορεξία, *inappetentia* eſt duplex, vel per eſſentiam, vel per conſenſum. Hoc poſterius fit in morbis tàm acutis, quàm longis tabificis, qui poſſunt nimioperè ex ſiccare, & ſunt cauſa remota deiecti appetitûs. Abſumunt enim ſubſtantiam rorulentam partis. Illud fit νεκρώσει ſeu ἀφελύσει neruorum ſexti Cerebri paris. *1. in 1. Epid. 29.* Heic aliquis, Atqui frigus auget appetitum? Diſtinguo. Modicum facit hoc: ſed quod ad ἀφελύσιν adſpirat, contrarium operatur.

§.4. II. *Appetitus nimius* fit, cùm exceſſus eſt in quantitate, ſine alio ſymptomate. Accidit apud Gal. à duobus acribus humoribus, pituitâ, ſalsâ & atrâ bile.

§.5. III. Ab hoc diſtinguere oportet *Caninum* dictum, qui hoc adiunctum ſymptoma habet, vt canum inſtar reuomant.

§.6. IV. Diſtinguere ab vtraque fas eſt βούλιμος Græcis dictum, qui non eſt *magna fames*, vt nomen vult: ſed *Lipothymia* à fame ortum habens, *2. Aphor. 21. C.*

§.7. Reſtat *Pica*, κίσσα, abſurdus appetitus, feminis familiaris, qui eſt ab humore ori ventriculi impacto, totâ ſubſtantiâ alieno. An à tali eſt *ſingultus* quidam? Quamuis enim ad aliam morborum claſſem pertineat: tamen heic monuiſſe fraudi non ſit?

§. 8. Ab ore ventriculi ad *ventriculum* ipsum venio. Vbi primùm noto, Veteres in more positum habuisse, *Intemperiem frigidam*, vel solam vel cum siccitate, humiditatéve, vocandi *Imbecillitatem*. Hinc quia ventriculus, & στόμαχος, & κοιλία dicitur, στομαχικοὺς & κοιλιακοὺς vocabant, non quâuis intemperie laborantes, sed dictâ tantùm.

§. 9. Huius duo sunt morbi, nominibus suis insigniti, βραδυπεψία, & ἀπεψία. Illa est actio imminuta, hæc abolita. Symptomata sunt, vel sensûs grauitas quædam, cum densâ respiratione: vel cum eâdem motus quidam ventriculi, vnde affectus dicitur ἀνατροπὴ τῆς γαστρὸς, θλῖψις, ὀπτιασμὸς, *subuersio*, *afflictatio*, *supinitas*, κλύδωνες, *fluctuationes*, βορβορυγμοὶ, &c. Aliquando ructus accedunt circa id tempus, quo iam debebat coctio esse perfecta. In his distinctione opus est. Si enim acidi sint, soboles sunt iam dictæ Intemperiei: sin nidorosi, contrariæ, calidæ. Vbi obseruandum. Ostendere se ructus in ventriculis calidis tum tantum, cum cibos teneriores, verbi gratiâ, oua sorbilia, comederunt. Aliquando vomitus, deiectióve alui, quæ signa sunt extremæ corruptionis.

§. 10. Heic ingerit se quæstio: Cùm actio ventriculi lædatur etiam ob *Errorem externum* dictum, quis sit ille? Ego paucis me expedio. Habet sub se causas accidentales omnes siue sint, siue quibus non, siue coadiuuantes. Has fusè explicaui *in Pathologicis cap. 54.*

§. 11. Post ventriculum hoc moneo de *Intestinis*. Cùm sint eiusdem cum ventriculo substantiæ, adeóque secundarius ipsorum vsus sit, chylificationi vltimam manum imponere: fieri non posse, quin laborante ventriculo frigidâ intemperie, non laborent etiam intestina.

CAP. XV.

§. 1. Et hæc de prima coctione: Secunda, de communi sententia, absoluitur in *Hepate solo*. Vbi iterum obseruanda venit consuetudo veterum, quæ est, ἡπατικοὺς (ita διάθεσιν ἡπατικὴν) vocandi, non quoscunque sed eos, qui laborant frigidâ hepatis intemperie, cuius pathognomonicum signum est, excrementa aluí esse subrubra, qualis aqua est, in quâ recens mactatæ carnes sunt ablutæ. 5. *Loc. aff. 7. Q.*

§. 2. Verumenimverò postquam cognitum fuit, *Lienis* multò nobiliorem vsum esse, quàm vulgò creditur: addendum fuerit: læso quoque Liene lædi sanguificationem. Rursùs, quia certum esse solet apud Peripateticos, nutritionem fieri, non à solo sanguine Hepatico seu venoso, sed & cordiali, seu arterioso: negari non debet, *Cor* quoque pertinere ad secundam coctionem, læsóque ad adeò corde quoque, lædi nutritionem.

§. 3. Huius rei argumentum fortè fuerit, quod *renes* ex æquo seruiunt & Hepati & Cordi, abducendo sero. Cum hoc sero quia trahunt sanguinem pro sui nutritione, fortè etiam pro semine conficiendo: si id non fiat, sed sanguis cum sero exeat, dicitur malum etiam *Imbecillitas* Renum *6. Loc. aff. 3. E.* De tertia coctione nihil hic dici potest.

CAP. XVI.

§.1. Veniendum igitur fuerit ad Cerebrum, in quo *Intemperies* nudas inuenio has. I. *Intẽperies frigida & humida nuda* constituit *affectus soporosos* dictos. Horum tres ordines constituo. κῶμα ἢ καταφορὰν quæ subdiuiditur εἰς κῶμα vel simpliciter dictum vel cum adiectione ὑπνῶδες, *Coma somnolentum.* & οὐχ ὑπνῶδες, *vigil.* Κῶμα & καταφορὰν esse æquipollentia penè extra controuersiam est. *Coma* simpliciter dictum, aut etiam somnolentum est, cùm ægri perpetuò dormiunt, excitatique subinde relabuntur in somnum, sine alio symptomate. Et hæc est prima species. Altera est κῶμα, *vigil*, cùm videntur dormire, sed non dormiunt. Tertia est *Carus*, cùm somnus est perpetuus, sed cum stertore. Qui cùm in *Apoplexia* etiam quâdam sit, fit vt illa etiam aliquando accenseatur his affectibus.

§. 2. Oppositus affectus & ex *oppositâ Intemperie calida & sicca*, accidunt *vigiliæ*, de quibus plura heic dici non debent.

§. 3. *Intemperies frigida & sicca*, sed suo quodã modo, quátenus atra bilis habet ἐμπύρευμα, efficit *Melancholiam*, morbum, cuius duo præcipua signa sunt, metus & mœstitia, *6. Aph. 23.* Qui affectus, cùm, de communi sententia, sint in corde: vtique concedendum est, morbum hunc non consistere illæso corde.

§. 4. Idem monendum est de *Mania*, quæ iam est *Intemperies calida & sicca* vtriusque visceris, Cordis & Cerebri.

§. 5. Huc colloco *vertiginem*, quátenus est delirium quoddam. Duplex est, altera consistit in sola rotatione, casúsque imaginatione: altera, cùm oculi simul obtenebrantur. Illa δῖνος est, *Vertigo*, hæc σκοτόδινος, σκότωμα ἢ πάθος σκοτωματικὸν, *Vertigo tenebricosa, morbus tenebricosus.* Hæc posterior est ab Intemperie illa, quæ flatus alioquin excitat, calida, ratione efficientis: frigida, ratione materiæ.

§. 6. Pertinet huc quoque μώρωσις, ἢ ἄνοια, *fatuitas, stultitia*, procul dubio à frigida Intemperie.

§. 7. Tandem & *Memoriæ læsio*, quæ, meo iudicio, fit tàm à calida Intemperie, quàm à frigida. Et hæc de Intemperiebus nudis.

CAP. XVII.

§. 1. *Intemperies cum affluxu substantiæ* seu *materiæ*, sunt morbi, seu faciunt morbum, quátenus id, quod in partem influit, ita disponit partem, vt inhabilis fiat actionibus suis. De his agendum est primùm in genere, deinde in specie.

§. 2. In Genere. Intemperies hæ, vel simplices sunt, & compositæ, vel legitimæ & spuriæ. Vtrobique constat numerus quaternarius, nisi seorsim collocare placeat *Tumores p. n.* flatuosos & serosos, qui aliàs ad pituitam referuntur. Nimirum, quod heic dicendum est, Intemperies hæ ita dicuntur, cum eo vsque progrediuntur, vt magnitudine lædant.

§. 3. *Intemperies simplices legitimæ* sunt 1. *Inflammatio*, cùm ex sanguine malum est. 2. *Erysipelas*, cum ex bile, nisi tu mauis, ex flore seu tenuissima sanguinis parte. 3. *Oedema*, cum ex pituita. Et huc referuntur, vt dixi, tumores flatuosi & serosi. 4. *Scirrrhus.* cùm ex Melancholia aut quocunque alio humore diutina mora indurescente.

§. 4. *Intemperies composita* seu *spuria* vocantur, cùm fiunt ex humoribus duobus mistis. Hinc est vel inflammatio erysipelatodes, vel erysipelas inflammatorium, & sic de cæteris.

§. 5. *Inflammationis legitimæ* symptomata sunt sex. 1. Rubor. 2. Calor. 3. Dolor. 4. Pulsus. 5. Renisus ad tactum. 6. Tumor sensilis. *Spuriæ*, cùm vnum aut alterum horum deest. *Erysipelatis* tria: 1. Rubor intensus. 2. Calor. 3. Dolor. Heic tumor ad sensum non adest: cùm adest, iunguntur alij humores. *Oedematis*. 1. mutatio coloris ferè nulla. 2. Indolentia. 3. Fouea, si digitum fortius adigas. *Scirrhi*, durities manifesta, sine sensu doloris, cùm scirrhus exquisitus est. Cùm sensus aliquid superest, tumor scirrhosus est.

CAP. XVIII.

§. 1. In Specie, & maximè, *Inflammatio* alia proprium nomen habet: alia non habet. Quæ habet, vel *phrenitis* est, cùm membranæ cerebri, non sine ipsa cerebri substantia, incenduntur: vel *ophthalmia*, cùm oculi: vel *Angina*, cùm partes circa fauces: vel *Pleuritis*, cùm pleura inflammatur: vel *peripneumonia*, cùm pulmones ipsi. *Hepatitin* à priscis dici hepatis inflammationem non credo. Quæ non habet, est vel cerebri vel auris internæ, vel faciei, vel cordis, vel mediastini, vel pericardij, vel diaphragmatis, vel hepatis, vel lienis, vel ventriculi, vel seorsim oris ipsius, vel intestinorum, vel pancreatis, vel mesenterij, vel renum, vel vesicæ vrinariæ, vel vteri, vel scroti, vel denique partis alicuius externæ, tàm in trunco, quàm in extremis.

§. 2. Vbi illud negligendum non est, Medicos heic inflammationis nomen latè accipere, pro omni calido tumore p.n. siue sit inflammatio, Erysipelásve legitimum, siue Inflammatio erysipelacea, &c. & hæc de Intemperiebus, primâ morbi specie.

CAP. XIX.

§. 1. Sequitur altera, quæ est *Morborum organicorum*, quique iam sunt *Partium dissimilarium*, quæ ὄργανα, seu *instrumenta* propriè dicuntur. In his quatuor considerantur. 1. *Conformatio*. 2. *Magnitudo*. 3. *Numerus*. 4. *Situs*. Rursus, Conformatio consistit in tribus: 1. *in figura*. 2. *in cauitatibus*, iisque, vel minoribus, maioribúsve, vel strictioribus, latioribúsve. 3. *in superficie*. Hinc morborum organicorum sex fiunt species, de quibus ordine.

§. 2. Vt igitur initium fiat à *morbis conformationis in figura*, primò omnium doceo heic imperitos, Figuram heic non considerari abstractiuè, sed concretiuè, in re figurata. Alij ita efferunt, rem tandem, Morbus non consideratur, vt in relatione est, sed vt in fundamento relationis.

§. 3 Non omnis (& hoc alterum est) vitiata figura est morbus, sed ea tantùm, quæ lædit actiones. Hoc etiam nominibus distinguunt IC. *Morbum* vocantes hoc posterius: *Vitium* illud prius.

§. 4. Corruptæ figuræ exempla sunt 1. in capite. φοξοὶ à Græcis dicuntur omnes ij, quibus sphærica figura capitis negata est, hoc est, cùm deest, vel anterior eminentia, vel posterior. 2. in naribus, Σιμοὶ *simones* sunt, quibus in medio

depreſſæ ſunt nares: σιμοί, quibus eminet medium, γρυποί, qui naſum aquilinum habent. 3. in labiis, quæ qui prominentiores habent, χείλωνες, labeones dicuntur. 4. in dorſo triplex eſt vitium, iam olim cognitum. ὕβωσις, κύφωσις: κύρτωσις eſt, cùm gibbus verſus exteriora ſeu poſteriora vergit: λόρδωσις, cùm verſus interiora, ſeu anteriora:, σκολίωσις, cùm vel ſemecirculum facit, modò dextrorſum, modo ſiniſtrorſum, (.) vel torquetur in faciem litteræ S. 5. in cruribus duo vitia contraria ſunt. Cùm genua vergunt introrſum, vt coëant in ambulando, Græcis quidem βλαισοὶ ἢ βλαισοὶ dicuntur: Latinis autem *Valgi, Vatij, compernes.* Contrà, cùm extrorſum tendunt, & valdè diſtant, ῥαιβοί, ἢ ῥοικοί, *Vari* appellantur. 6. in pedibus duo pariter ſunt. Cùm malleoli nimis extrorſum inclinant, *Scauri.* Cùm pes non habet cauum, quod habere debet, ideóque trahunt pedes incedendo, πλατύποδες, *Planci, Plauti, & Ploti* vocantur.

CAP. XX.

§. 1. *Figuram* excipit *Cauitas*, de qua iterum hoc monendum venit, Cauitas conſideratur vnà cum parte, in qua eſt. E.g. Cùm venæ hepatis obſtruuntur, non dicimus laborare venas, ſed Hepar totum.

§. 2. Quo loco ante omnia animaduertere oportet, quod apud pleroſque denſiſſimis tenebris inuolutum eſt. Cùm triplex ſit hoc morborum genus, in confeſſo quidem eſt, *Obſtructiones* vocandas eſſe illas, in quibus cauitates, viæ, pori, meatus, ſunt ſtrictiores, anguſtiores, minores: At quomodo appellandi ſint illis oppoſiti, in quibus cauitates &c. ſunt patentiores, laxiores, maiores, ſilentium altiſſimum.

§. 3. Ego cùm apud Hipp. & Gal. inueniam καταῤῥους, ἢ ῥεύματα, ἢ ῥευματισμούς, ἢ διαθέσεις ῥευματικάς, ἢ διαδέξεις, & διαδοχάς, & forte alias huius ſignificationis voces, quas nemo vnus ſub ſuam claſſem refert: ego poſt longas meditationes, reuoco huc, & *defluxiones*, ſeu *deſtillationes* voco, cum vid. pars à parte recipit aliquid, quod vel figitur ibi, vel exigitur è corpore.

§. 4. Has ita probo, In curatione harum, quò magis reuellimus, & deriuamus, eò grauiores ferè fiunt dolores. Cur? Humores non eunt, quò nos volumus, ſed quò via eſt patentior, quam viam ſibi ipſis fecerunt. Propterea quidam nullo remedio vti volunt, quàm tali. Hoc conſilium placeat illis, qui diu volunt cruciari. Vidi enim experientiâ, citius defungi ægros, quod ſemper aliquid humoris morbifici ſimul exhauriatur.

CAP. XXI.

§. 1. Ergò quod ad *Obſtructiones*, aliæ ſunt ab *humoribus*, aliæ à *vaporibus*. Quod ad illos, quæ ſunt ab *humoribus*, primas in illis do *Melancholiæ hypochondriacæ* quamuis *colluuies* potiùs *morborũ* ſit, quàm *morbus*, adeóque Proteus alter, vt Mercurialis illum appellat. Dicitur *Melancholia*: quia tandem ſuccedit *Timor* & *Mœſtitia*, vt ſuprà in Melancholiâ ſimpliciter dictâ. Additur *hypochondriaca*: quia in hypochondriis, ſeu potius toto *Abdomine*, (vnde *Mirachialis* Arabum Intt.) ſedẽ ſuã habet. Quo loco obſeruẽt volo adoleſcentes τὸ *tandem*. Non enim, ſi ſerò ſuccedunt duo dicta ſymptomata, propterea non eſt Melancholia, &

poscit sibi aliud nomen, *Affectionis hypochondriacæ*, vt nouatoribus quibusdam visum est: quin, vt absinthium est absinthium, etiamsi nondum perfectum sit, ita morbus hic. Ita dysenteria rectè dicitur vlcus intestinorum, quamuis vlcus nondum sit, nec sanguis eat, sed ramenta tantùm.

§. 2. De hoc malo sciendum est, fontem primum, è quo scaturit *Ventriculum* esse. Is cùm dupliciter corrumpat cibum, vel in nidorem, quod calidi ventriculi est, vel in acorem, quod frigidi: valdè cauto opus est, ne quid erretur in primo cognitionis fundamento. Hoc imprimis cordi sit illis, qui semper à frigido ventriculo deriuant, Frequentissimè quidem ita est: sed non semper.

§. 3. Interim vestigia trita legens, describam eam tantùm, quæ à frigido ventriculo est. Hic igitur, quia ægrè coquit cibos, fit, sumto cibo, quod in culina, cum multis lignis subest paruus igniculus. Fumi igitur exorti, partim distendunt ventriculum, grauitatem quandam causando: partim hâc ipsâ distensione comprimunt diaphragma, densam respirationem inferendo. Cùm malum procedit, manifestus post cibum sentitur motus in ventriculo, quem *euersionem* vocant, *supinitatem*, *afflictionem*, vt suprà scripsi, modò cum borborygnis, modò sine illis, modò cum ructibus acidis, modò sine illis. Si interim non curetur morbus, quies nulla est, nisi postquam, vel per vomitum, vel per deiectionem exiit cibus. Hoc vel seriùs, vel citiùs fit, pro dispositione & moribus ægri.

§. 4. Hæc intemperies si duret, & ad Hepar, Lienémque traducatur non nisi chyli pars tenuior; stagnet autem crassior: non potest non ille obstructiones causari in mesenterio insignes, ob quas locum hunc *in Patholog.* occupat Melancholia dicta. Quibus transit etiam crassi aliquid, fiunt pariter obstructiones in vtroq; viscere, Hepate & Liene, quarum comes subinde est non φλεγμονὴ quidem, sed φλόγωσις, variorum symtomatum causa, in primis, subiti caloris cum anxietate.

§. 5. Hæc dum in abdomine geruntur, nec Cor nec Cerebrum est immune. De illo altum est silentium apud Practicos: hoc omnes accusant. Atqui affectus animi dicti, timor & mœstitia in Corde stabulantur, non in Cerebro.

CAP. XXII.

§. 1. Intricatissimum hoc negotium, vt rectiùs intelligatur, fas est explicentur particulatim *obstructiones* singularum iam dictarum partium, cum iis, quæ necessariò cohærent.

§. 2. De *Mesenterij obstructione* inprimis cogitandum est nobis, quod ibi q. Lares focúmque suum habeat *Intemperantia nostra*. Tantò magis, quod excrementa in plexibus istis Venæ portæ Labyrinthis collecta, vix alium exitum habeant, quàm per hæmorrhoidas internas. Præcipuum huius affectûs symptoma est, excrementa esse liquida, & ἀνεκχύμωτα, vt Græci loquuntur.

§. 3. De *hepatis obstructione*, qui loquuntur, ferè soliciti sunt de illo, in gibbis an simis illa sit? Non dubito, alterutram partem magis, minúsve affici posse: sed hoc dico, nihil conferre distinctionem ad inueniendas indicationes. Quod enim illi crepant de mutuis Venæ-cauæ & portæ ἀναστομώσεσι, id nugatorium, esse iam pueri nostri sciunt; Maioris momenti est, Tactúne deprehendi possit? Non omnis, sed insignis tantùm. Sed quæ causa? Vnica, crassi & immobiles humores,

vel naturâ suâ, vel tractu temporis tales facti. De sanguine quod dicitur, inane est.

§. 4. *Lien* accusatur, quod præ Hepate faciliùs *obstruatur*. Hoc verum est, si rectè intelligatur, si lien faciat officium suum, hoc est coquat, quod est, vtile ab inutili separet, in tuto sumus. At si vel nulla separatio fiat, vel inutilis expulsio: propè fores est periculum. Quæritur iterum: An tactu deprehendi possit? Tantò difficiliùs, quò profundior est situs ipsius. Oportet igitur valdè insignis sit obstructio, quæ manui palpanti occurrat.

§. 5. Omnem *hydropem* esse ab Hepate obstructo, nimirum refrigerato, vulgaris est sententia. Quod cum longè latéque falsum sit; & verò res ipsa longas ambages habeat: paucis heic contentus ero. Primò autem omnium hoc habendum est, Triplicem esse hydropem, Asciten, Tympaniten & Leucophlegmatian. Hanc posteriorem esse ab dicta Intemperie Hepatis, libenter do. Deinde, in vtraque priorum duarum specierum esse tàm aquas, quàm flatus: sed in Ascite quidem præponderare aquas, in Tympanite autem flatus. 3. Vtramque frequentiùs esse ab obstructione alterutrius visceris, quam ob rem etiam heic de illis agitur. Interim quandam, saluo vtroque, renibus solis non facientibus officium, vt dicam. 4. Asciten quendam esse à causa calida, & Hipp. scripsit 2. *Prog.* 1. & confirmauit Gal. 6. *Loc. aff.* 1. *C.* 3. *Caus. symp.* 3. quà de colliquationibus. Et hic quidem calidus hydrops fit subitò, alius lentè succedit febribus longis, qui omninò frigidis curandus est. Præter has duas species, sunt duæ aliæ frigidi hydropis, quorum alter est à renibus in officio segnibus, vt dixi, alter succedit largis vacuationibus. 5. Tympanitis fit à causa calida, tali, inquam, quæ flatus generare potest. Nec est, quod quis subtilior heic moueat, non omnes hydropes sunt cum obstructione. Satis est, si vnus & alter sit. Non enim quærimus heic exactam libellam.

§. 6. Sequitur *Icterus*, qui est bilis effusio in habitum corporis, quod accidit modò ab obstructione, modò sine illâ, affecto modò Hepate, modo liene, modò vtroque, modò neutro viscere. In his non morabor: hoc dicam tantùm, Frustra distinguitur à nostris, in *Flauum* & *Nigrum*. Apud enim veteres est vnicus color ὠχρὸς, qui est ex *Viridi pallidus*, modò magis, modò minùs.

§. 7. *Luem Veneream* huc accerso, quod sit à calida Hepatis Intemperie, non sine obstructione. Omnia enim attestantur exustionibus, inquit Mass. Accerso & *Scorbutum*, qui procul omni dubio cum vastis lienis obturationibus est.

§. 8. De *alui adstrictione* potius quàm obstructione longæ sunt ambages, huic loco & tempori in idoneæ. Sunt & *mensium* in fœminis: quin *hæmorrhoidum* quoque. *Vrinæ* & *sudoris* meminero tantùm.

§. 9. Ex abdomine vt ascendam in thoracem, sunt ibi tres affectus huius generis 1. δύσπνοια, *difficultas spirandi*, quæ latè patet, quippe quæ quovis modo factam difficultatem sub se continet. 2. ἆσθμα, quæ specialiter illam tantum, qua est ab obstructione bronchiorum pulmonis, ideo cum *sibilo* 3. ὀρθόπνοια cum adeò intenditur augustia dictorum bronchiorum, vt spiratio nisi *rectâ ce[rvice]* non fiat.

§. 10. Pertinet huc quoque *Syncope cardiaca* veteribus dicta, cùm sanguis tam copiosus obruit Cor, vt subitò suffocetur animal, vt Apoplectici. Hoc probaui alibi ex tribus locis, 4. *Acut.* 23. 1. *Caus. sym.* 7. *L.* 2. *Aph.* 41.

§. 11. Restant in hoc genere morbi duo famigeratissimi, ***Apoplexia*** & ***Paralysis***, de quibus breuiter expediam sententiam meam. Quàm falsum est, spiritus animales in ventriculis cerebri fieri: tàm falsum est affectum hunc exsistere obstructis ventriculis. Audiui, & non sine risu meminisse possum, cum obiiceretur alicui, fore vt spiritus per choanam in palatum euanescant potiùs, quàm in quartum ventriculum eant: Non, inquit, ***sie hupffen hinnuber.*** Quàm verùm igitur est spiritum generari in corpore cerebri, seu potiùs in vasis, per substantiam cerebri dispersis: tàm verum est, Apoplecticos fieri obstructis vasis iis, quæ sanguinem, spirituum materiam, ad cerebrum deferunt. ***Ea vasa*** sunt duplicia. Aut enim sunt ***venæ iugulares, arteriæque soporales*** in collo, quæ sanguinem portant sursum. Aut sunt quatuor duræ membranæ ***sinus*** dicti hodie, qui concurrunt, quâ parte est ***Torcular*** Herophilo dictum, & effundunt sanguinem in ***ductus*** vocatos, consequenter corpus cerebri.

§. 12. ***Paralysis***, siue Apoplexię succedat, siue statim fiat, fit, cum serosa sanguinis cerebralis pars insinuat se principio neruorum, & in ipsis neruis ad musculos descendens, præstruit viam sanguini & spiritibus, aliàs in neruis euntibus. Et hic quidem modus est frequentissimus. Nihil autem impedit, quò minùs & ab externâ compressione fiat, cum quis verbi gratia cadit ex alto, & affligit humeros, femur, &c. Accidit vel in vtroque latere, vel in alterutro, vel in certis partibus, de quibus alibi. Et hæc quidem de ***humoribus*** obstruentibus.

§. 13. De ***Vaporibus*** res est reuerà difficilis, sed communicandum est aliquid, vt propiùs ad rem veniatur. Primò autem omnium hoc mihi sumo. Vapores hos obstruentes peccare, non tàm primis qualitatibus, iisque simplicibus, quàm toto hoc, Vno verbo, ***Modo substantiæ***, vt Valles. solet loqui, siue ***totâ substantiâ*** Galeni, quam nostros homines reuocare ad ***Occultas proprietates*** iam sæpe dixi. Secundò vtor dilemmate Galeni. Aut fit ab humore (verbi gratia motus conuulsiuus) aut à vapore. Non ab illo: ratio enim reddi non potest, tam velocis mutationis, tu puta, cur tàm subitò fiat, tàm subitò desinat, Ergo ab hoc.

§. 14. Ne latè circumspiciam, ***Vaporum*** efficacia imprimis conspicua est in conuulsionibus tàm vniuersalibus quàm particularibus. Et hæc est doctrina vetus, quam Aristoteles profitetur. 2. ***Meteor.*** 8. comparando cum terræ motibus. Vt enim illi locum mutant, prout inueniunt cauitates subterraneas, per quas eant, vnde fit, vt facto tandem alicubi foramine, vbi scilicet terra est rarior erumpant: ita conuulsiones & conuulsiui motus accidunt, cum spiritus flatulentus, mentitus spiritum naturalem, eo modo vibrat musculos, quo naturalem ciere motum solet spiritus s. n. habens.

§. 15. Intelligitur hoc ex modo, quo fit motus s. n. Hic vt fiat, necesse est has omnes partes concurrere. 1. Cor oportet sursum mittat spiritus. 2. Cerebrum oportet substantificè alteret illos. 3. Nerui oportet deferant ad musculos. 4. Musculi oportet contrahantur. Vt non fiat, aut vt malè fiat, satis est vnum aliquod deesse. Quod ad rem nostram, ***Conuulsiones accidunt***, cum, loco spirituum naturalium, vapor aliquis p. n. insinuat se neruis, qui deorsum in musculos delatus, attollit illos, sed præter voluntatem nostram, eo modo, quo in statu s. n. spiritus s. n. se habens attollebat & mouebat.

§. 16. *Conuulsiones* sunt aut vniuersales aut particulares. Vniuersalium tres sunt modi. 1. Εμπροσθότονος dicitur, cum totum corpus *antrorsum* inclinatur, & quasi circulum facit. 2. Οπισθότονος, cum motus *retrorsum* fit ita, vt pedes contingant clunes. 3. Τετανὸς, cum *riget* corpus & immobile est, quasi motu Tonico actum.

§. 17. Particulares sunt 1. Conuulsio *Canina* fit, cùm musculi oris conuelsantur, quamquam id fiat à Paralysi quoque. 2. Conuulsio musculorum ocularium, vbi affectus dicitur *Stabismus*. Ita affecti *Strabi* seu *Strabones* dicuntur. 3. Conuulsio musculorum temporalium, à qua fit *stridor dentium*. 4. Conuulsio penis, quæ facit vel *Priapismum vel Satyrismum*, de quibus affectibus alibi. 5. Conuulsio diaphragmatis, quæ facit insignem respirationis difficultatem, cùm vociferatione, &c. Et caret quidem affectus nomine; refertur autem ad illud τὸ, πνεῦμα προσοικεῖον Hipp. quod pluribus ille nominibus indigetat. Sunt & aliarum partium, quæ nominibus carent.

§. 18. Huc refertur *Epilepsia*, affectus, plurimis quidem appellationibus nobilis: sed hoc ipso omnibus notus. Interim si distinctè volumus loqui, non est *Conuulsio*, sed *Motus conuulsorius*, quem Græci vna voce κλόνον vocant. Symptomata vulgò sunt nota. Cadunt ita affecti subitò, cum detentione omnium sensuum, tàm exteriorum, quàm interiorum, & contractione reciprocâ artuum. Fit, vel per essentiam, cum causa mali in ipso capite est, vel per consensum, cum ex inferioribus communicatur Cerebro.

§. 19. Epilepsiæ multis modis similis est *Catatepsis* seu *Catoche*, in qua per interualla quidem occupantur ægri: sed sine motu, rigidi ferè toto corpore, & in eo statu, quo offendit illos malum, sedentes, stantes, iacentes, &c.

§. 20. Refertur huc & *Incubus* seu *Ephialtes*, cum homines videntur sibi inuadi in somno, cum magna respirationis angustia. Vulgus nostrum ad veneficas refert, *vvann einen eine Drutte druckt.*

§. 21. Sum eius opinionis, quam alibi fusè probaui, *Rigorem febrilem* quoque huc pertinere. Cum enim per rerum naturam motus aliter fieri non possit, quam quo dixi: necesse etiam est *vaporem febrilem* occupare primùm cerebrum, deinde neruos, tandem musculos. Alioqui toti artus moueri non possunt.

§. 22. Hoc habito, *Horror* quoque *febrilis* quodammodo huc pertinuerit, quatenus scilicet vapor febrilis ad membranam carnosam delatus, mouet illam cum cute stimulando. At *Frigus febrile* nequaquam huc facit, cum sit priuatiuum quid, vt alibi deduxi.

§. 23. Cum horrore magnam affinitatem habet *Palpitatio* seu *Iectigatio*, cum partes musculosæ perpetuò concutiuntur, seu vibrantur, sed sine dolore. Huius species in corde est, de qua sciendum est, cum cor præ cæteris hoc peculiare habeat, quod in perpetuò motu sit, qui motus *Pulsus* dicitur: si contingat, vaporem crassum, tenebrosum, obscurum, flatulentum, qui exitum non habeat, incurrere in pulsum, distrahitur cor in latera, & facit *Palpitationem Cordis*. Hunc vaporem si eueniat esse debilem, qui parumper tantum impediat cordis motum, *Tremor cordis* vocatur, vt mihi videtur.

§. 24. Non aliena ab his affectibus est, tam *inæqualitas* febrilis, vt & *Lassitudo* triplex: quàm *Pandiculatio* & *Oscitatio*, quæ pandicularis est particulatio.

§. 25. Ab omnibus huc reducitur *Spasmus flatulentus*, *der Krampff*, quem Arabum Intt. vocant, *Spasmum non proportionatum.*

§. 26. Reduco huc *Syncopen*, *lipothymian*, *lypopsychian*, ἔκλυσιν siue quocunque modo appellare tibi libeat, cum aliquis subitò linquit animo. Ita loquor, vt separem à *Syncope Cardiacâ*, §.10. descriptâ. Ab hoc differt illa, quod Cardiaca quidem sit per essentiam: simpliciter autem dicta per consensum stomachica, quamuis interim ab aliis quoque partibus fit.

§. 27. Restat difficilimus affectus, mulieribus proprius, *Suffocatio seu Praefocatio vterina* vocata, de qua nostrorum mirifica sunt somnia. Ego affero causam, è qua rationem reddere licet omnium symptomatum, quæ accidunt. Vapor enim ex vtero ad diaphragma & Cor delatus, nō difficilem tantùm facit respirationem, sed & tollit illam vnâ cum pulsu. Quædam enim illarum sentiunt Cor sibi stringi q. duabus manibus, quâ cōstrictione, cū prohibeatur effluuium & sanguinis & spirituum è Corde in habitū, mirum non est *suffocatos* videri. Ab hoc enim præcipuo symptomate nomen habet. Ab hac constrictione *vocem* tolli, mirum pariter non est. Ab hac esse *refrigerationem totius corporis*, planè necessariū est. Idem vapor ad Cerebrum vsque & præcipuè neruorum principium extensus, vel *conuulsiones*, vel *conuulsorios motus* causatur, vnde symptomata Epileptica pleraque. Idem vapor & *sopores* facere potest, & *deliria*, quæ duo symptomata Recc. compererunt.

§. 28. Hoc mali vt ab vtero esse planissimè concedo: ita nego à semine esse, nisi in rarissimis, illis (inquam) quæ semen habent. In reliquis omnibus à sanguine menstruo est, indicibiliter, putrefacto, vnde vapor emanat, totâ substantiâ à natura alienus, qui, occupatis partibus iā dictis, facit symptomata tàm horribilia. Argumento sit, quod accidit illis quoque, quæ bene purgantur, imò illis etiam, quæ nondum purgantur, sed sunt eius ætatis, vt purgari possint. Quin grauidis ipsis. Harum pleræque cum quo tempore mouetur sentina illa, inficiant specula, lanam, quam secum gestant, ita humectent vapore illo, vt igni admota non ardeat, & quæ alia sunt talia: quid iactamus semen?

CAP. XXIII.

§. 1. Expeditis *obstructionibus*, fas est venire nos ad affectus oppositos, hoc est morbos *Conformationis in cauitatibus laxis*, quos *defluxiones* vocaui. Harum prima est *Sanguinis profluuium*, vndecunque sit.

§. 2. Causæ eius tres sunt, tribus distinctæ nominibus. Aut enim fit per ἀναστόμωσιν, *vasorum apertionē*, seu *reclusionem*, quæ sola propriè huc pertinet, cum reliquiæ heic tractentur ob symptomatis tantùm similitudinē. *Accidit* ferè ob *Phletoram.* Aut fit per διαπήδησιν quam *Exsultum* dicam, & alio nomine διίδρωσις, *Transcolatio* appellatur. Fit *ob intemperiem sanguinis frigidam*, cum ita se resoluit, vt à vasorum tunicis contineri non possit. Aut denique per διαίρεσιν, *diuisionem*, quæ est *continui solutio*, & habet sub se quatuor modos, τρῶσιν *vulnerationem* θλάσιν, *contusionem*, ῥῆξιν, *rupturam*, διάβρωσιν, *erosionem* seu *corrosionem.*

§. 3. Iam tot sunt eius species, quot partes sunt, ex quibus fluit. Αἱμοῤῥαγία quamuis sit vocabulum generale: tamen ars nostra adstrinxit ad eum fluxum

qui è naribus ſit, & per ἀναϛόμωσιν ferè. Harum alia eſt *Critica*, alia *Symptomatica*. Fluit non ex Cerebro tantum, ſed ex Hepate etiam & Liene: quin Corde quoque.

§. 4. Αἱμόπτοσις eſt, cum *per os reiicitur ſanguis* & diligenti opus habet diſtinctione, à qua parte ſit. Ego ita determinaui alibi. Sanguis ore reiectus, vel ex palato eſt, eiúſque partibus, dentibus, gingiuis, linguâ, tonſillis, gurgulione: vel ex gula, ventriculóve, vel ex aſpera arteria, pulmonibúſve. Qui ex palato, ſimplici exſpuitione opus habet: qui ex gula, cum ſcreatu fit: qui ex ventriculo, cum vomitu: qui ex aſpera arteria & pulmonibus, cum tuſſi. Vlterior diſtinctione opus heic non eſt.

§. 5. De *vomitu ſanguinis* hoc moneo: Non eſſe illum ex ipſis tantùm ventriculi & gulæ vaſis, ſed deriuari eò quoque poſſe ex viſceribus reliquis omnibus.

§. 6. *Mictus ſanguinis* pariter non eſt ex iis ſolùm partibus, quæ vrinæ excretioni ſeruiunt: ſed & ex viſceribus dictis.

§. 7. Αἱμοῤῥοῒς, ſubintellige φλὲψ, in lata ſignificatione, quâ arteriam quoque comprehendit, non minùs generale vocabulum eſt, quàm αἱμοῤῥαγία: tamen Medicina adſtringit *ad venas in ano* apertas. Hæ duplices ſunt, *Internæ* & *Externæ*. Illæ à vena portæ ſunt, & *Cœcæ* vocantur: hæ à caua, & *Apertæ* dicuntur: quia deſinunt in ſphinctera ani, cum illæ ſuperiùs in Rectum inteſtinum.

§. 8. *Menſium fluxus* fœminis proprius eſt, & benè, vel malè habet, prout tres cauſæ continentes ſe habent, Inſtrumentum, Materia & Facultas, latè à me alibi explicatæ.

§. 9. Ab hoc fluxu diligenter diſtinguere oportet *profluuium muliebre* dictum, cum, non ſeruato menſium ordine, fluxus eſt perpetuus, & quidem alius ferè à ſanguine coloris. Accidit viris quoque cum à negotiis ad otium ſe tranſtulerunt, &c.

§. 10. Ab hoc eodem ſeparare oportet *Gonorrhœam* in viris, quod alibi feci. Quæritur, an fœminæ quoque laborent hoc affectu? Ita, illæ videlicet quæ ſemen habent.

§. 11. *Sudor ſanguineus* fit in raris quibuſdam, cum ob frigiditatem & humiditatem totius habitus ita ſereſcit ſanguis, vt vaſa cutanea non ſufficiant retinendo illi.

CAP. XXIV.

§. 1. Sequuntur *Catarrhi*. Hæc vox, aut *latiſſimè* accipitur, aut *latè* aut *preſſè*. *Latiſſimè* accipitur, pro omni à capite fluxione, & habet ſub ſe multos morbos, poſthac explicandos. *Latè*, pro ea ſolùm, quæ ad vicinas faciei partes, Nares videlicet vbi κόρυζα dicitur: Fauces, vbi βράγχος, *raucedo*, oculos, aures, & glandulas ſubiectas, dentes, gingiuas, linguam, in quibus *preſſè* & ſpecificè κατάῤῥους.

§. 2. Heic cauſæ proximæ ſunt humores, qui fluunt: remotæ, Cerebri intemperies, quæ gignunt humores illos præcipuè duæ, Calida & humida, Frigida & humida. Non tamen prætermittere oportet frigidam & ſiccam. Cauſa procatarctica eſt vna, Calor liquans.

§.3. *De Diarrhœa* hoc loco, vt agatur, non tantùm Catarrhus vult, latè accepto vocabulo: ſed & αἱ διαδέξεις, αἱ διαδοχαὶ αἱ μεταστάσεις οἱ ῥευματισμοὶ, & ſi quo alio nomine dicti ſunt morbi. Hanc, per negationem definit *Gal. 2. in Epid. 36.* τοὺς ῥοώδεις (ita enim appellat ibi) eſſe eos, qui diarrhœa laborant, & aſſiduè quidem, continenterque habent fluidam aluum: ſed ſine dyſenteria, tenaſmo, & lienteria.

§.4. Heic iam clarè dicendum eſt, quod nuper tacitè innui, Diſtinguendum eſſe inter partem mandantem (vti in arte vocamus) & recipientem. Hæc quidem in propoſito affectu, perpetuò eſt, vel *ventriculus cum inteſtinis*, vel *inteſtina ſola*, quatenus ſeruiunt egerendis excrementis: illa autem vel Cerebrum eſt, vel Hepar, vel Lien, vel Meſenterium, vel Vterus, vel habitus totius corporis.

§.5. *Lienteriam ſeu Diſpoſitionem cœliacam* (eſt enim idem affectus) aſſocio *Diarrhœæ*, propter ſolam ſymptomatis ſimilitudinem. Duplex eſt, partim ratione loci affecti, partim cauſæ. Locus affectus, vel *ventriculus* eſt, vel *Hepar*. *Ventriculus* vel prorsùs non coquit, vel corrumpit. Illud accidit ob ſolam intemperiem frigidam, demto tamen errore externo: hoc etiam ob calidam, tum videlicet cum cibos teneriores corrumpit in nidorem. *Hepar*, cum ob imbecillitatem, quæ pendet ab intemperie frigidâ & humidâ, non attrahit, etiam benè confectum chylum, ſed præterfluere ſinit. Et hæc vna cauſa apud Gal. eſt *6. Loc. aff. 2. & alibi*. Auicenna addit etiam *Obſtructionem*.

§.6. *Cholera* cum *Diarrhœá* tam arctè iuncta eſt, vt agnoſcat eaſdem partes mandantes, eoſdémque humores. Loquor autem de ſimpliciter dicta, quæ *humida* aliquibus vocatur. Eſt autem tum, cum & ſursùm & deorsùm eunt excrementa, & ſemper cum periculo. Huic ex aduerſo oppoſita eſt *ſicca*, cum flatus vtrâque iſtâ viâ vacuantur.

§.7. His morbis etiam vulgus accenſet *Dolores articulorum*, in quibus nominum diſtinctio nobis facit negotium. *Arthridis* tripliciter dicitur communiter, propriè, & propriiſſimè. *Communiter* de omni articulorum dolore dicitur, etiam de illo, qui ſenſim fit, & definit in paralyſin, quod Colicis accidit, Scorbuticis, aliis. *Propriè*, de eo tantùm, qui ſubitò fit, & ferè initium ſumit ab vno articulo, verbi gratiâ, pollice pedis, poſt quem repit in totum pedem, in genua, &c. vnde nomen etiam dequirit Podagra, &c. *Propriiſſimè*, cum ſubitò quidem fit, ſed intrà paucas horas occupat, vel totum corpus, vel pleraſque partes. Hæc duo habet peculiaria. 1. eſt criſis poſt alios morbos. 2. non eſt periodica.

§.8. Heic in controuerſo ſunt, tàm pars *mandans*, quàm *recipiens*, tàm *via*, per quam *materia* it, quàm *materia* ipſa. Primò autem omnium decidendum eſt illud, Sitne eadem ratio (quod *ad partem mandantem*) arthritis ſimpliciter dictæ, ſeu non periodicæ, & periodicæ, quæ cognomen accipit, à parte affectâ? Dicunt, illam eſſe intrà vaſa: hanc extra illa. Dico ego vtraque eſt intrà vaſa. Et quia de arthritide nemo dubitat: de podagra ita probo. Videmus podagricos mori tunc, cùm viſcera tam ſunt debilia, vt ampliùs protrudere materiam ad ſuperficiem non poſſint. Hoc verò fit per vaſa, ſed hoc diſcrimine. In arthritide ſunt magnæ viſcerum dyſcraſiæ, quales relinquunt febres: In podagrâ ſunt paruæ, quales in latitudine ſanitatis eſſe poſſunt. Rurſus, in

arthritide viſcera omnia poſſunt eſſe pars mandans: in podagra, vel ſolum Hepar eſt, vt Gal. vult, vel cum Hepate Cerebrum, quod Scherbius volebat.

§. 9. De *parte recipiente* quæritur, Cur huc, ad articulum potiùs, eant excrementa, quàm aliò? Et exſanguis eſt & frigida, abéſtque à fonte caloris longiùs. Interim omittere non oportet copiam humorum, ab intemperantiâ genitorum, abſque quâ ſi eſſet, tranſmiſſio nulla fieret.

§. 10. *De viis* non quæret, qui in Anatomiis didicerit, quomodo, tàm venæ quàm arteriæ finiant in tendines & ligamenta, articulum ob voluentes. Neque enim in ipſam articulationem incidunt.

§. 11. *De materia* cautum eſſe oportet. In rei enim veritate ſolum *ſerum*, eſt cauſa materialis: ſolum enim hoc tofeſcere poteſt, ob copiam exhalationum terreſtrium. Sed cur pars modò rubet, modò aliûs coloris eſt? Naturâ irritatâ, fluit aliquid humoris, qui in corpore abundat. Diſtinguere oportet igitur, inter id quod primarium eſt, & id quod ſecundarium.

§. 12. His ipſis morbis accenſere nos iubet, & ratio, & experientia ex praxi habita, ſcabrities cutis omnes. Diſtinguo has in ſiccas & humidas. *Siccæ* ſunt ſcabies, lichen, elephantiaſis, ſeu lepra noſtra. *Humidæ* ſunt puſtulæ fluidæ, veſicæ dictæ, furunculi ſeu vari, &c. Huius generis *Variolæ* ſunt, *Die Rindsblattern:* Illius *Morbilli*, *Die Rindsflecken.* Vtrumque fit per Criſin quandam, expellente naturâ, quod vitioſum ſupereſt in ſanguine à matre.

CAP. XXV.

§. 1. Vltimum in *conformatione* ſupereſt, *ſuperficies.* Heic paulo minus quàm proteruiam facere cogor, deſertus quippe ab omnibus. Sed enim honeſtior ratio ſupereſt mihi, diligentiùs videlicet rimandi Gal. ſcripta. Primò autem omnium cogito, quò referendæ ſint νοσώδεις illæ διαθέσεις, *morbi* illi, à quibus *ſternutatio* fit, *2. Cauſ. ſympt. 1. A.* iterumque *cap. 3. C?* Procul dubio non alio, quàm ad illa, quæ de hoc morborum genere ſcribit, *de Cauſ. morb. 7. ext.* Morbos in ſuperficie fieri, aut aſperatis, aut læuigatis partibus organicis. Hoc in veſtigio explicans, aſperitatem quidem reducit ad humores acres, & medicamenta acria: læuitatem autem ad pingues, viſcidóſque humores.

§. 2. Si ſatis hoc non eſt, cogita mecum, ſodes, quò tendant illa, *de diff. morb. pariter cap. 7.* Morbos hos accidere, eo quidem, quod naturâ leue eſt, aſperato, eo autem, quod aſperum eſt, læuigato? Quo aliò, quàm quo ducit nos exemplum *Tuſſis*, ſubitò propoſitum? Vt dicendum iam ſit, & *Sternutatio* & *Tuſſis* fiunt, ab exaſperatione quadâm. Quâ autem?

§. 3. Hoc φαινόμενα nos docebunt. Quemadmodum *Sternutationem* mouere poſſumus, quando volumus, indito naribus pipere contuſo, aut tali aliquo acri: ita *Tuſſim* ciere poſſumus, quando libet, comeſtis amygdalis, aut iuglandibus, præſertim rancidulis. Inde ſubſumo. Quo modo à nobis citur vterque motus: eo veriſimiliter fit à Natura; Atqui nos facimus irritando, ibi quidem tunicam naſi interiorem: heic autem, aſperæ arteriæ. Ergò à natura quoque fit ita.

§. 4. Si ne hæc quidem ſatis ſunt, inſpice *vomitum* bilis æruginoſæ *5. Aphor. 8.* Intuére *ſingultum* ex pipere, *3. Cauſ. ſympt. 2. B.* & nega, ſi potes honeſtè,

omnia symptomata, quæ fiunt à Natura, & morbo simul, hunc, non alium agnoscere morbum. Ego enim venio ad particularia.

§. 5. *Sternutatio* quomodo fiat, difficilimum explicatu est: hoc verò sufficit huic loco & tempori, Motus est duplex, alter naturalis & æquiuocus, qui in Cerebro est: alter animalis & vniuocus, qui in thorace, quatenus respiratio est actio animalis, facítque conuulsionem quandam. Causa est apud *Gal. 7. Aphor. 51. spiritus flatulentus*, quem sine acrimonia non concipio. Hæc enim acrimonia irritando constituit morbum, quem heic quærimus.

§. 6. *Tussis*, non minùs duplex motus est, quàm sternutatio. Prior & naturalis est ab irritatione tunicæ internæ asperæ-arteriæ, brochiorúmque: posterior & animalis, iterum quatenus respiratio est animalis actio, constituítque conuulsionem quandam musculorum thoracis.

§. 7. *Singultus* propiùs accedit ad conuulsionem, vel Hippocr. auctoritate, *6. Aphor. 39.* Interim est οἷον σπασμὸς vt Gal. se explicat, & causam habet δῆξιν, morsicationem.

§. 8. *Vomitum* volunt quidam esse vacuationem naturalem: sed reuerà est symptoma eius generis, quod dixi, propterea causam etiam habet δῆξιν. Huc pertinet *Nausea, subuersio ventriculis, afflictio eiusdem*, &c. de quibus suprà.

§. 9. *Ructus* tandem huc quoque facit. Est duplex, *Nidorulentus*, à causa calida: *Acidus* à frigida.

CAP. XXVI.

§. 1. Absolutis hoc modo *Conformationis* morbis, venio ad morbos in *Numero*. De his primò hoc moneo, duplices esse, vt superiores quoque, alios in aucto, alios in diminuto. Deinde, neutrum esse morbum, nisi lædat actionem. Secùs si sit, vitium est, vt Ictos distinguere dixi.

§. 2. Heic dubitatur, An βλάστημα ἢ ἐκβλάστημα pertineat ad hos morbos? Pariter, an oppositum illi malum, κολόβωμα ἢ πήρωμα? Videtur enim ad sequentem potiùs classem redigi posse. Verbi gratiâ si quis Epilepticus in paroxysmo linguam sibi dentibus præcidat, videtur esse morbus in magnitudine imminuta potiùs, quàm in numero deficiente. Resp. Ita est, si rei naturam intueamur. Veruntamen autores non obseruant discrimen, quia in praxi nihil mutat. In numero aucto est.

§ 3. Πτερύξ, ἢ πτερύγιον, in Physiologicis multa significat, quæ huc accersenda non sunt. In Pathologicis duæ sunt excrescentiæ, quæ hoc nomen meruerunt. Harum altera in albo oculi est, cum pòst exulcerationem ὑπερσαρκήσεως fit, quæ obstruit etiam pupillam. Hanc Celsus *vnguem* appellat, nescio quàm rectè. Altera in digitis est, cum perdita cute ibi, quâ vnguis incipit, caro ita luxuriat, vt vel absumenda sit, cathæreticis vel rescindenda.

§. 4. Ὑπόχυμα Græcis, *suffusio* Latinis, *der Staar* nobis, affectus est in ipso, oculo, cum membrana quædam concrescit, vel inter *corneam & pupillam*, quod veteribus solum erat notum: vel inter *pupillam & crystallinum*, quod à Nostris additum fuit.

§. 5. *Polypus* est caro informis, ex hypersarcosi, in interioribus naribus. Hæc quia impedit respirationem, causa potiùs morbi est, quàm morbus. Cum hoc idem τὸ σάρκωμα nasi.

§. 6.

§. 6. A μύρμηξ, *formica*, fit diminutiuum μυρμήκιον, quod *Verrucam* vertunt, nescio quam ob causam. Hæc duplex est *Sessilis*, quæ retinet nomen generis: & *Pensilis*, quæ ἀκροχορδὼν, quod pendeat à tenui quasi filo. Huc pertinent aliæ quoque durities, *claui, pori*, seu *tofi*, &c. *Cornua* quoque quibusdam adnata.

§. 7. Ἀθήρα vel ἀθάρα *Puls* est. Hinc ἀθήρωμα (non ἀθέρωμα) tumor est, proprio inclusus folliculo, in quo contenta materia pulti similis est. Si *seuum* vel *sebum* referat, στέατωμα. Si *mel*, aut *ceram fusilem*, μελικηρὶς. Huc pertinet Arabum *Natta, Talpa*, & *Testudo*.

§. 8. Celebris inter hos morbos est *Calculus*, quamuis alij ad *Obstructiones* referant. De huius generatione cum quæstio instituitur, amoliri oportet duas causas principes, formam & finem: considerare autem *efficientem* tantùm, vnà cum *materia*. Illa solus est *calor*: hæc *serum* aut potiùs exhalationes terrestres, sero permistæ. Hinc ratio reddi potest, cur in omnibus partibus calculi gignantur.

§. 9. Non minus celebres sunt *Vermes* seu *Lumbrici*. Horum species vulgatissimæ tres sunt. *Ascarides* minuti illi, qui in ano gignuntur: *Rotundi, die Spulvvurm*: *Lati seu Tæniæ*, quæ cum *cucurbitinis* sunt iidem. In causis iterum locum habent duo tantùm genera dicta. Causa est *Calor* debilis, quippe qui sinit putrescere materiam suam. *Materia* est chylus crudus: ideò in voracibus sunt frequentes.

§. 10. Huc referre oportet *Dracunculos Arabum, 6. Loc. aff. 3. D.* Horum genus esse credo, quod nostri vocant *die Durmaden*, de quibus *in Epist. Scholtzy*. Fortassis etiam *die lopende Baren* Vvestphalorum, de quibus peculiariter *Vvierus* scripsit.

§. 11. Pertinent huc *Hermaphroditi*, de quibus doctrina Arist. est *4. Gen. 4.* qui expedit nobis omnes difficultates, si rectum inueniamus sensum, qui hic est, ni fallor. Quibus accidit duplex habere genitale, & maris & feminæ, in iis id, quod prædominium habet, semper fit maius: quod inutile minus, ob defectum alimenti.

§. 12. Pertinet & *Mola* in feminis, quam sine consuetudine viri generari posse nego.

§. 13. Tandem *fungi* quoque *der Elsedschvvam, 1. Loc. aff. 1. Caro* in vlceribus & vulneribus luxûrians, *das faule Fleisch*. Item *caro* è Corde enascens, de qua apud Schenck. *2. obs. 200.*

§. 14. Et hæc de numero aucto: de diminuto affero tantùm. *Pilos* seu *capillos*. Horum defectus in genere est *defluuium*: in specie *Caluities* est cùm in fronte desunt: cùm in certis quibusdam locis, *Alopecia*: cùm ab vna parte incipit, & in longum pergit, *Ophiasis*. Curtorum historia petatur ex Tagliacotio.

CAP. XXVII.

§. 1. *A numero* venio ad *magnitudinem*, vel auctam vel imminutam. Hæc verò vel in toto inuenitur, vel in parte. In toto, vel *Obesitas* est, vel *Macies* ἀτροφία Græcis: in parte, vt rarò, vel nunquam fit vna aliâ maior, ita atrophiæ particulares sunt frequentissimæ.

§. 2. *Obesitatem* heic accipio pro statu corporis eo, qui *Gracilitati* opponitur, propterea non de sola pinguedine, sed de carnis quoque mole est. Hic status non est εὐσαρκία, neque qui ita affectus est εὔσαρκος rectè dicetur, qui ipse apud scriptores Latinos *Quadratus* est, obseruátque Linacer & alij apud Gal. sed aliquid suprà hunc statum, quod præcipuè in ventre apparet, ideóque γάστρωνες, ἢ γαστρώδεις dicuntur tales. Quare γαστρωδίαν appellabo hoc vitium.

§. 3. *Maciem* seu ἀτροφίαν intelligere oportet *Nutritionem imminutam*, cum τὸ autem στερητικὸν non omninò negat, sed difficultatem aliquam infert. Hæc si vniuersalis sit, φθίσις Græcis, *Tabes* Latinis appellatur. Duo hæc vocabula, vel latam habent significationem, pro macie seu gracilitate ex quacunque causa sit: vel pressam, pro ea, quæ exulcere pulmonis, & φθόη dicitur Atticis, vt infrà iterum monebitur. Sin particularis, est trophia seu phthisis huius vel illius partis, oculi, brachij, &c.

§. 4. Accidit partim à caloris natiui inopiâ, partim à boni sanguinis, tam venosi, quàm arteriosi penuriâ. Ita loquor, vt signem delirium Fernelianum, quod nutritionem quidem adimit brachio verbi gratiâ ἀτροφοῦντι, quod sanguis venosus non influat: vitam autem concedit, quod arteriosus adsit. Vah, quantum in rebus inane!

§. 5. Ἀπὸ τοῦ μαραίνω duo sunt verbalia, μάρανσις & μαρασμὸς, quæ in arte diuersis tribuitur rebus. Μάρανσις enim est mors naturalis illa, quæ opponitur τῇ σβέσει: Μαρασμὸς autem mors violenta illa, quæ à siccitate, *in frontispicio lib. de Marasmo.*

§. 6. *Marasmo* cum Atrophiâ conuenit, quod vtrobique sit siccitas Cordis, & inde orta debilitas: disconuenit, quod in Marasmo, præter defectum boni sanguinis, sint alij etiam affectus, de quibus iam.

§. 7. *Marasmus*, vel simplex est, vel compositus. Simplex licet fieri possit quatuor modis, pro numero scilicet quatuor elementorum: dicitur tamen is solùm, qui à siccitate, vt iam comprehensum est.

§. 8. *Compositus* vel *naturalis* est, (accepto τῷ *Natura* in secundo significatu) vel præternaturalis. *Ille* est *intemperies frigida & sicca*, vno verbo, *Senectus*. Accidit non à calore nostro, vt falsò sibi quidam persuadent, sed à causis tam internis, quàm externis, de quibus *San. tu. 2. lib. de Maras. 3. A.*

§. 9. *His incidit* in eandem intemperiem compositam: sed non est ex decursu naturæ, verùm ex morbo. Quamobrem γῆρας ἐκ νόσου vocabat Philippus Medicus, vt autor nobis est Galenus. Fit modò per ἰδιοπάθειαν, cum affectum est ipsum Cor: modo per συμπάθειαν, affectis visceribus imi ventris, sed sine inflammatione, in febribus diuturnis, à quibus sensim tabescit corpus.

§. 10. *Marasmus compositus* præter naturalis alius est ille, qui περιφρυγὴς dicitur, *valdè siccus & torridus*, ideò *ab intemperie calida & sicca*. Fit in febribus Hecticis illis, quæ iam *Marasmodes* sunt & dicuntur. Et fit iterum, vel per ἰδιοπάθειαν, vel per συμπάθειαν. *Illud* in febribus iam dictis, sed iterum sine inflammatione: *Hoc* cum inflammatione viscerum inferiorum, *10. Met. 8.*

§. 11. His addere oportet *Syncoposum lib. de Maras. extr.*

CAP. XXVIII.

§. 1. Reſtant in *morbis Organicis*, morbi in *ſitu*, in quibus ſtatim hoc cauendum eſt, ne ſinamus nos turbari, quod codices tam Græci, quàm Latini præferant, *de Diff. morb. 10.* συνθέσεως, cum θέσεως eſſe debeat.

§. 2. Idem locus cum procul dubio ſit corruptus, induco ego hunc ſenſum, in ſitu naturali, mutato in non naturalem, morbi fiunt duobus modis. Altero, cum partes non habent ad ſe inuicem eum ſitum, quem debent habere, vt in luxationibus oſſium fit, & ramicibus quibuſdam. Altero, cum ligamenta ſunt, vel longiora vel breuiora, quàm eſſe debebant, quò fit, vt vel ſinant partem fluere, quò non debet: vel non pertingere, quò debet, vt in lingua, cùm vel ob laxitatem allabitur dentibus, vel ob ſtricturam non attingit illos. Huc pertinent coalitus, cum foramina non ſunt, vbi eſſe debebant, vt in ἀτρήτοις, &c.

§. 3. *Luxationes* Græcis ſunt ἐξαρθρήματα, ſiquidem ex toto fiant: παραρθρήματα, *ſubluxationes*, cum ex parte.

§. 4. *Herniæ ſeu Ramices* ſunt duûm generum. Alij enim ſunt huius loci, hoc eſt ſunt morbi in ſitu: alij ſunt, ſed pertinent ad morbos in numero. De vtriſque agitur heic, ne diſcerpantur fruſtrà, quæ nominum ſocietas coniunxit.

§. 5. Herniæ in ſitu ſunt: 1. ὀσχεοκήλη, cum in *ſcrotum* incidit omentum aut inteſtinum. 2. βουβωνοκήλη, cum idem accidit loco illi, qui *vtrinque circa ſcrotum* eſt, vbi bubones, tumores, aliàs fiunt. Fœminarum eadem ratio eſt. Herniæ in numero ſunt: 1. σαρκοκήλη, *ramex carnoſus.* 2. ὑδροκήλη, *ramex aquoſus.* 3. φυσοκήλη, *ramex flatulentus.* 4. στεατοκήλη, cum *materia collecta pinguedine non eſt diſſimilis.*

§. 6. Ita ratione loci affecti, præter ὀσχεοκήλην, & βουβωνοκήλην, 1. eſt ὀμφαλοκήλη, cum *in vmbilico tale* quid accidit. 2. βρογχοκήλη, cum *circa laryngem.* Eodem modo, ratione partis exeuntis. 1. fit ἐντεροκήλη. 2. ἐπιπλοκήλη. 3. ἐντερεπιπλοκήλη. 4. ὑδρεντεροκήλη, ὑστεροκήλη, &c. Ita in vmbilico mirifica finxerunt nomina, quæ non afferam.

§. 7. Præter has ſunt, 1. πωροκήλη, quam, ſiquidem à σαρκοκήλη diſtingui debet, puto eſſe *ſcirrhum grandularum,* vtrinque circa pudenda iacentium. Hunc ego habui prorsùs indolentem, per aliquot annos, quem tandem Natura ipſa curauit. 2. κιρσοκήλη, quæ eſt ἀνεύρυσμα vaſorum ſcroti. Atque hæc ad primum modum pertinent.

§. 8. Ad ligamenta non proportionata pertinent, οἱ ἀγκυλόγλωσσοι dicti, cum (ceu dixi) lingua breuior ſit, ob ligamenti inferioris progreſſum nimirum verſùs anteriora, vt opus ſit inciſione. Et hac ratione fit ὁ τραυλισμὸς ἢ ψελλισμὸς, cum lingua non ſatis vibrare ſe poteſt ad expreſſionem literarum quarundam. Noſtris *das Ziſpeln.* Contrarius effectus eſt, cum lingua longior totum palatum implet, vnde fit, vt ſubinde ingeminent τὸ *Ba*, vnde etiam eſt τὸ βατταρίζειν Græcorum, & τὸ *Balbutire* Latinorum. Nimirùm ita ego diſtinguo hos duos affectus, non ignarus, quanta ſit confuſio apud alios.

§. 9. Τοῖς ἀγκυλογλώσσοις proportione reſpondent οἱ ὑποσπαδιαῖοι, cum liga-

mentum penis strictius est, & subinde conformat penem tentum in arcum, & impedit (vt dicunt) quò minùs semen rectà in vterum ire possit.

§. 10. Vtrisque his iungo *Contractos* hodiè vocatos, siue pertineat res ad ligamenta, musculósque interiores, cum brachium, verbi gratia extendi non potest: siue ad exteriores cum flecti non potest. Quod ad priores, certum esse potest ex Celso *lib. 5. cap. 18.* affectum ipsum esse ἀγκύλην. Sed & Paulus *lib. 4. cap. 55.* ἀγκύλας habet, & ἀγκυλώσεις. Ad Hippocr. si camus inueniemus in Gloss. Gal. τὸ ἀγκυλοῦν τὶ μέρος, *partem quæ* ἀγκύλην habet, quo loco verti non posse, *quæ ansam* habet, manifestum fit ex Gal. expositione, εἴρηται ἐπὶ κυρτώματος. Nàm τὸ ἄρματος in vitio hærere, ne monitione quidem opus est. Tum verò τὸ κύρτωμα nihil habet commune cum *Gibbositate*: sed est idem quod ἀγκύλη ad Gal. si nos conferamus, non tantùm in spuriis, *Medico & Defin.* offendemus: sed & in legitimis, *3. Art. 69. 11. Simpl. cap. de Pingued. 7. κ. Ven. 6.* licet ferè cum aliis loquatur. Sed satis de extensione: quod flecti non potest membrum, ὀρθόκωλον dicitur, *Artic. lib. c.* quamuis corrupta si vox, vel in ὀρθόκωλον, vel in ἰρόκωλον. Vide Foësium.

§. 11. His iam addere oportet τὰς συμφύσεις, *coalitus*, cùm foramina non sunt, vbi esse debent, in ano, in sinu pudoris, in vtero. Dicuntur ita affecti, ἄτρητοι, *imperforati.* Sed & aliæ partes connasci possunt, vt palpebræ, digiti, pulmo cum pleurâ, ventriculus cum diaphragmate, &c. Addo ego affectus, in quibus ἡ σύμφυσις planè tollitur, vt in procidentia ani, vteri, oculi fortè. Mucronatam cartilaginem non posse planè persuasus sum.

CAP. XXIX.

§. 1. Post *morbos Organicos*, superest λύσις τῆς συνεχείας, *solutio continui* seu *vnitatis*, quam dicunt esse morbum communem tàm similaribus, quàm dissimilaribus seu organicis. Hoc ita accipio.

§. 2. *Morbus* hic vel in ossibus est, & dicitur ἀγμὸς *fractura*, & habet sub se alia quoque nomina, de quibus alibi: vel in partibus mollibus, & dicitur τραῦμα ἢ τρῶμα, *vulnus*, & ἕλκος, *hulcus*, seu, vt vulgò omnes, *vlcus*. Vtrobique partes Organicæ à se inuicem discedentes, hiatum faciunt, solutâ & perditâ vnitate seu continuitate illâ, quæ per naturam erat.

§. 3. Rursùs, cum in partibus mollibus, inter fibras ipsarum, insinuat se humor aliquis, fit *dolor*. Humor is, vel tantillus est, & facit *intemperiem nudam* suprà dictam: vel satis copiosus, & facit *intemperiem cum affluxu substantiæ*.

§. 4. Hinc adeò fit, vt *solutio continui* sit, modò morbus organicus, modò intemperies. *Harum alterutra* cum adest, est in *similaribus* tantùm, cum *Vulnus* aut *Vlcus* est (semper enim multæ partes dissociantur, cutis, Musculi, Venæ, Nerui, Ligamenta) est in *dissimilaribus* tantùm: cum superuenit *Intemperies*, in vtrisque. Hoc qui melius quid attulerit, huius anni Pontifex max. esto. Hac habitâ hypothesi, partiar totum in *dolores*, qui sunt Intemperies: & *solutiones continui*.

CAP. XXX.

§. 1. IN GENERE *de Dolore* acturis præscire necessarium est, τὸ πόνος, *dolor*, vocem accipi heic pro solo illo symptomate ita dicto, quod est in læsa actione.

§. 2. Huius quot & quæ sint causæ apud Gal. in obscuro est. Ego, dimissis ambagibus, litem nunc ita definio. Duæ sunt causæ. *Intemperies*, & *Continui solutio.* Quo loco id obseruandum. Continui solutio alia est sensilis, veluti cum quis luculentum vulnus accipit: alia non est, veluti cum quis Intemperie alterutra laborat. *Sensilis* retinet nomen generis, & habet quatuor causas proximas. Harum prima est ἀνάβρωσις, *Erosio*, ab humoribus acribus. 2. τομὴ, *sectio*, à telo siue cæsim fiat, siue punctim. 3. θλάσις, *contusio*, à re graui, aut etiam, si quis ex alto cadat. 4. τάσις, ἢ ῥῆξις, *Tensio*, seu *ruptura*. *Insensilis* dicitur *Intemperies*, & habet tot differentias, quot dictæ sunt in morbo similari.

§. 3. IN SPECIE, *Capitis dolor*, aut κεφαλαλγία est, recens, non diuturna: aut κεφαλαῖα, vetus & diuturna: aut ἡμικρανία, vetus item, sed in alterutro latere tantùm. Nulla harum fit in ipsa Cerebri substantia alba: sed in meningibus. Dolor ipse aut grauatiuus est, aut pungitiuus, tensiuusve.

§. 4. *Oculorum*, cur aliquando tam immanis: aliquando remissius, aut nullus? Præsupposo esse ab illa seri parte, quæ alimento ad oculum vehiculum præbet. Hæc cum ἄποιος est, vt ferè in sanis est, delacrymationes tantùm facit: cum salsuit, magis, minùs dolorifica est. Intelligo, cum sine inflammatione res est.

§. 5. *Aurium* cur tàm immanis? Intelligo iterùm, citrà inflammationem propter tensionem Tympani, à flatu, in locum angustum contruso. Accidit, quia Tympanum est germen nerui auditorij.

§. 6. *Dentium* dolor quam familiaris est penè omnibus hominibus: tàm obscura est, apud veteres causa. Distinguo cum Bonamico, Dentes considerantur, vel quâ dentes sunt, seu ossa: vel quà cauitatibus illorum immittitur membrana, è Cerebri meningibus delapsa, vnà cum neruo tertiæ coniugationis. Primâ consideratione, nec sentiunt dentes, nec dolent, ossa enim sunt: secundâ, & sentiunt & dolent, sed non antequam alteratio ad membranam interiorem perueniat. Hinc dentes impunè secantur, limâ atteruntur, &c.

§. 7. καρδιαλγία & καρδιωγμὸς dolor est oris ventriculi, quâtenus ἡ καρδία etiam hæc pars dicebatur olim. Fit à bile, vel in ventriculo genita, vel ex Hepate infusa. Hic affectus habet duos socios. Alterum *ardorem stomachi* hodie dictum, cum ab eadem bile ebulliente, perpetua in illa parte molestia potiùs sentitur quàm dolor. Alterum cum rosio ab eâdem bile (nisi si Erysipelas iam sit) tàm est vehemens, vt ægri in magno angore sint, & ob id subinde se iactent. Hinc ἀλύκη dicitur affectus, & ῥιπτασμὸς & ἄση, in quibus vocibus consule Foësium. Ex his facilè distingues dolorem ventriculi ipsius à frigida intemperie, qui dictus fuit suprà θλῖψις, ἀνατροπὴ σπασμός.

§. 8. In *Iliaco* & *Colico* dolore maximæ sunt ambiguitates, tàm de loco affecto, quàm de causis, signisque quas ingredi nunc non libet.

CAP. XXXI.

§. 1. **Δυσεντερίας** esse *difficultatem intestinorum*, dicit nobis vox ipsa: eandem in rei veritate esse *vlcus intestinorum*, ex Medicis libris scitur. Scitur & illud, non nisi vnum esse morbum, eúmque simpliciter dictum, cui vox competit: præter autem hunc esse tres alios, qui cum additione, vocantur *Dysenteriæ cruentæ*, de quibus seorsim agendum est, quod non aliâ ratione huc faciant, quàm ob symptomatis similitudinem.

§. 2. Ergò quod ad rem, Dysenteria propriè & simpliciter dicta, est, vt dixi, *vlcus intestinorum*, cuius signum est sanguinis cum stercoribus egestio, pauci omninò & in stillis. Verùm enimuerò sciendum est, *sanguinem* se ostendere, non statim initiò, sed in ἀκμῇ demùm. Ab initio autem adesse duo pathognomonica. 1. *Dolorem immensum*, ob quem (credo) Celsus, relictâ appellatione Græcâ, *Tormina*, vocauit. 2. *ξύσματα*, *ramenta*, *4. Aphor. 20.* quæ sunt particulæ *Crustæ intestinorum* ab Anatomicis dictæ, quas dum abradit humor acris ad omnem dysenteriam propriè dictam constituendam, necessarius fit dolor ille immanis. Hæc Gal. *lib. cap.* ex aliorum sententiâ vocat *σώματα πιμελώδη*, *corpora pinguedine similia*. Ab vtrisque discernendæ sunt *αἱ ἐφελκίδες*. *3. Caus. sympt. 3. R.* quippe, quæ sunt *αἱ σάρκες* Hippocr. *eodem Aphor. loco.*

§. 3. Hanc non meliùs posse describi, quàm ponendo iuxta Diarrhœam, dixi alibi. Vt enim diarrhœa quædam est Critica, quædam Symptomatica: ita Dysenteria. Vt in Diarrhœâ multæ sunt partes mandantes, Cerebrum, Hepar, lien, vterus, &c. ita in dysenteriâ. Ex quo intelligitur, dysenteriam non minùs esse *ῥευματισμὸν*, quàm diarrhœa est.

§. 4. Ex dictis apparet, Quid respondendum sit illi qui quærat fortè, sitne in dysenteria hac affectum Hepar? Non in omni, sed in quadam, in biliosa, inquam, in qua nisi succurras Hepati alterantibus, deduces hominem ad tabem.

§. 5. Sed, súntne affecta tenuia, an crassa intestina? Ex canum Anatomiâ decepti sunt veteres adeò, vt dicerent, Si dolor sit suprà vmbilicum, tenuia sunt affecta: si subter, crassa. In homine enim Colon sub ventriculo est, superius omnibus tenuibus. Quare opus est duobus aliis signis. 1. Cum dolor præcedit deiectionem sat longo temporis spatio, est in tenuibus. 2. Cum ramenta, fortè etiam sanguis exactè mista sunt excrementis, est in tenuibus. Contrà si sit vtrumque in crassis.

§. 6. Heic *Tinasmi* (ita enim scribo) meminero, quem Galenus ait esse *vlcus Recti intestini.*

§. 7. A dysenteria verè & simpliciter dicta, venio ad dysenterias cum additione & impropriè dictas, *Dysenteriæ cruentæ*, quippe, quæ *continui solutiones* non sunt, sed morbi *conformationis in viis laxis.*

§. 8. Differunt à dysenteria, non genere tantùm morbi: sed & tribus aliis. 1. Dolor ille insignis, qui in Dysenteria est, in harum nulla est. 2. Sanguis heic, non paucus est, & in stillis: sed satis copiosus, magis, minùs pro ratione circumstantiarum. 3. Idem sanguis in dysenteria est ille, qui ad nutritionem intestinorum attractus est: in his ex Hepate est, quod affectum est, præbént-

que inteſtina inter tantùm. Volo autem hoc ita intelligi, in dyſenteria quadam eſt Hepar affectum: in prima ſpecie quidem harum per accidens, quatenus plus gignit, quàm debebat: in duabus alteris inſigniter laborat.

§. 9. Hæ contingunt tribus de cauſis. I. eſt, cum certis quibuſdam temporum periodis vacuatur per aluum ſanguis laudabilis, vel quia præciſa eſt pars aliqua, iámque corpus non indiget tanto alimento, quanto anteà, ideò natura partem ſuperfluam vacuat: vel, quia quis à vitæ genere negotioſo tranſiit ad otioſum: vel, quia habitus calidior tranſit in contrarium.

§. 10. II. Eſt, cùm propter imbecillitatem, aut, quod idem eſt, frigidam & humidam Hepatis intemperiem, ſanguis generatur non niſi crudus & ſemielaboratus, qui exiens per anum, ſpeciem præbet aquæ, in qua recens mactatæ carnes ſint ablutæ, vt veteres comparabant.

§. 11. III. Cum propter contrariam Hepatis intemperiem, ſanguis deiicitur craſſus & ſplendens.

CAP. XXXII.

§. 1. *In Phthiſi* ſequor eos, qui ſub hac voce habent illam quoque, quæ ab vlcere pulmonis eſt, φθόη Atticis dicta. Signum primum eſt, extenuatio corporis, ferè cum febre hecticâ. Ad extremum cùm ventum eſt, capilli defluunt, aluus fit fluida, &c. Malum eſt valdè contagioſum etiam ad diſtans. Non tantum enim veſtes & lectos afficit: ſed & tabulata conclauis, ſpondas, &c.

§. 2. Hoc loco meminero etiam *Empyematis* propriiſſimè dicti, quod poſt pleuritidem, peripneumoniam, anginam accidit, cùm ad ſuppurationem veniunt.

In librum GALENI *de Ossibus* ἀγλωττον, à CL. HOFMANNO elaboratum, & speciminis ergo publicatum Francof. 1630.

HERCVLIS *ex solo totum ceu pollice corpus*
Censuit artificis ingeniosa manu:
Sic postquam expliciti nobis non parua GALENI,
Autore HOFMANNO, *portio visa fuit.*
Confestim Medici plausus sonuêre theatri,
Parsque grauis testis totius vna fuit:
O quæ lustra dabunt opera indiuisa GALENI!
Quando reuiuiscent enthea scripta senis!

ALIVD.

VT *tegula vna olim Capitol I aurata nitorem,*
Ædis & excelsæ prodidit omne decus:
Sic quas HOFMANNVS *poliitque, deditque* GALENI
Particulæ ostendunt, Quale sit illud opus!
Hic vir vel viuet, vel vox est falsa Poëtæ,
Dignum laude virum Musa vetat morier.

Hisce

HOFMANNO viridem, & immarcessibilem senectutem, & in elaborando, inimitabilique industriâ expoliendo GALENO, typis elegantiss. diuulgando, Fortunam apprecatur Respicientem, beatumque illum diem videre optat, quo vniuersa GALENI opera, eodem nitore fulgentiâ, publicæ exponantur luci.

Vvernerus Rolfinck, Phil.
& Medic. D. &c.

FINIS.

CASP.

CASP. HOFMANNI
REIECTANEA PATHOLOGICA,

QVA

DE MORBIS FORMÆ ET MATERIÆ,
à Fernelio, Argenterióque per somnum visis.

Ad Clarissimum Virum, Dominum D.

THOMAM REINESIVM,
MEDICVM ALTENBVRGENSEM
in Misniâ.

Nn



CASP. HOFMAN THOMÆ REINESIO, CIVI SVO, S. P.



QVOD Socratem dixiſſe ferunt, cùm interrogaretur, Numquid ægrè ferret Ariſtophanis, τοῦ τρυγοδαίμονος, conuicia, publicè in theatro iactata? Non magis quàm ſi in ſplendido aliquo conuiuio liberius quid de me iactaretur: id Ego cogitaui mecum, mi REINESI, cum tua illa ab aliis in me ſparſa ludicra, *in Variis tuis doctiſſimis* legerem. Vtut enim aliàs perparum commune mihi ſit cum homine, oraculi etiam iudicio, ſapientiſſimo: hoc certè eſt, quod innocens vapulo à malis. Scilicet, in hoc mundo ita comparatum eſt, vt quò quiſque animo ignauior eſt, eò elatior ſit, eò linguâ procacior. Quo ipſo ſoleo me excitare, & ad generoſum contemtum erigere, tantùm abeſt, vt animo deficiam in VERITATIS indagine: quin imò ſtimulum ſentio mihi ſubiici, vt contentiùs ambulem in ſtadio iſthoc meo. Quid enim? Potuit homo paganus tantoperè aſpernari canis iſtius latratus, vt nec incandeſceret: ego Chriſtianus non poſſim concoquere leuidenſia illa, & vix reſponſo digna crimina? Nec refert, quod hac ratione quaſi in ſcenam protractus ſum, licentiâque data omnibus proteruiùs inſultandi mihi. De ſociis enim malorum hoc metuendum eſt, non de bonis: quippe, qui nec ipſi mali quid faciunt, nec ſi ſcæui quid aſpergatur ab iſtis, vllatenus inquinantur. Quò minus magnâ in re ponendum mihi fuerit, ſi omninò ſequiùs quid poſthæc accidat. Nempe enim confiſus ego rectè factorum conſcientiâ, prorſus vt Athenienſis ille olim, progredior aliquando eò, vt gaudeam fieri mihi iſta ab hac hominum fæce, quantumuis bene veſtitâ, & ob id, vt eleganter Græci, ἐπιπολάζουσι. Huc me perpellit vetus, neſcio cuius verſus: (*An ex Ariſt. 1. prior?*)

Εἷς Θεός ἐστι Θεῷ δ' ἐν σύμφυτον ἀλήθεια.

Ita enim res habet, vt explicat ille, Nemo Deo Opt. Max. propinquior eſt, niſi qui VERITATEM ſectatur: nemo ſpem melioris euentûs abiicere debet, ſi propter hanc in odio ſit Diaboli, eiúſque aſſeclarum. Nec iam exſpecto à te audire, A quo, aut quibus autoribus ſint iſta? Scio enim & dixi, nec repeto infauſtum nomen, vel ideo, quia de CHRISTO, ſeruatore noſtro, habemus, MENDACIVM eſſe ſobolem huius tam belli genitoris. Aſſeclas huius nec

honore nominis digner. Et quantilla sunt, quæ crepant aduersum me? Ea ipsa verò fiunt mihi leuiora tuo beneficio, cùm inspicio Hellenismum, quem tribuis istis, cuius tam periti sunt, quàm ego Arabismi. Non ignoro affectare non rarò tale quid: verùm accidit illis, quod simiis cùm altas scandunt arbores. Sed sint vel Athenis docti sub Cratippo: quâ fronte audent me vocare ἰδιωγνώμονα? si Argenterius quidam essem, meritò ferrem: nunc quia

Μῆτι θρύω τῶν παλαιογόνων,

quod Pindari verbum esse nôsti, quàm alienum est à me conuitium? *Veterem* igitur *sapientiam* quia *profiteor*, & quidem voce si opus sit, alacriore: súmne propterea δύσκολος? súmne ideò φορτικὸς? Vester, ô tales, hic honos est, qui ne conuicti quidem tacere scitis, exemplo malorum luctatorum, qui humi etiam prostrati, tamen non dimittunt τὸν συμπαλαίοντα. Ego verò quei possum prodere *Veritatem*, & amplecti *Mendacium*? subitò & ad nutum vestrum? Quei possum non seriò agere, ne videar fingere? quia ἀμεταπτώτως sum in re propositâ? Quei possum tacitus prætermittere παρακλήσεις vestras? tanquam diffidens causæ meæ? In hac animorum vtrinque contentione si aliquando modestè renideam, ineptiis id volentibus: éstne piaculum tantum? & sine exemplo? Certè Socrates (at qui vir!) vocabatur ab hac consuetudine εἴρων! Hinc Galenus scribit, Σωκράτης λέγεται μιγνύναι ἀεὶ τὴν σπουδὴν ἐν μέρει παιδιᾶς. Nec quisquam bonorum hodiéque reprehendit illum, quod liceat tale quid versanti ἐν μέρει τῆς θεραπείας: multóque minus ἰξὼ διαμυκτηρισμὸν appellare audet. Vnde ergo, dicas fortè, totum illud commentum? Iam innui. Ab vno illo Comici, VERITAS ODIVM PARIT. Quod D. Hieronymus ita extulit: *Veritas est res amara, &, qui eam profitentur, amaritudinem sentiunt.* Non descendo ego nunc ad particularia. Cùm primitùs sententiam Arist. *de vsu lienis* in publicum proferrem, Hercules tuam fidem, quàm fremuerunt οἱ φιλογάληνοι sibi ipsis dicti! Quid lucrati sunt? Pudorem. Hoc probatum videbis olim, cùm lucem aspexerunt (si modò aspicient vnquam) χρυσωμάτια *meæ Physiologicæ*. Cùm superuenirent longo pòst tempore *Com. in lib. Gal. de Vsu part.* quàm superbè in os se mihi oggesserunt quidam è Comitibus Archiatrorum! præsertim; cùm ADRASTEIAN illis ostenderam, tanquam caput Gorgonis! Quid ego? Ne moui quidem me? Cùm enim *Mendacium* præ *Veritate* amplecti vellent; cùm pertinaciter spernere oblata bona pergerent: perrexi ego quoque in proposito contemnendi tam contemptibiles animas. Si enim, dicebam, cum vitiis vestris tam bene vobis conuenit, vti abiicere nolitis familiarissimè recepta: non equidem inuideam mirer magis! Fuit non nemo inter amicos, qui famam meam palàm iam forcillatam, vt prisco vtar verbo, palàm mihi tuendam esse censeret. Vilis enim animi esse contemtum negligere: magni cætera omnia. Sed & distichon hoc submisit alius, postquam monuisset, Non sinerem vilescere canos meos:

In solâ libeat, Caspare, senescere Spartâ:
Namque alibi, vt video, rarus honor senibus.

Ego verò respondi, Ite, ite, nubes, quà ventus iucumbit. Scio enim vnde omnia sint, à DEO, inquam, qui tacitè in aurem mihi, DISCE PATI! Cuius voluntati vt libenter pareeam, faciat imprimis ἡ πλουθυγίεια (si modò per πλοῦτον intelligi finis τὴν αὐτάρκειαν) quâ gaudeo abundè, in hac tam graui

ætate, temporibus his difficillimis! Sed & ex Philosophiâ Stoïca didici, *Non ferre vllum ictum, illæsam felicitatem. At cui aliquando cum commodis suis rixa oritur, tacitè callum per iniurias ducere, nec malo cedere. Sed & vbi ceciderit, de genu pugnare.* Sordeant igitur, dixi, qui sordere volunt. Nam qualis vir, talis sententia. Porrò verò satis mihi esto, cum Hippocr. esse ἀσχυγχυτον ἢ ἀπείρ-γον, & susque déque habere τὰς τῶν φοινίκων συνθήκας, quæ nihil aliud sunt, quàm perfidiæ occultandæ latibula. Interim, non mediocriter me solantur bonorum virorum, quibus τὸ λαμπρὸν ἀληθὲς ob oculos fulget, de me iudicia, per literas expressa. Quas literas si *complementa* vocare volent οἱ συνεχτροφμοι illi, qui non cogitant, vel quid ipsi de aliis dicant, vel alij contrà de ipsis mussent: dabo illis testem viuum, CL. DD. PAVLVM-MARQVARTVM SLEGEL, P. P. nunc in Illustri Salanâ, qui ex decennali suâ peregrinatione per Germaniam, Belgium, Angliam, Galliam, Italiam, redux, ea retulit, quæ pudor meus referre prohibet. Sed & non parum recreat me vocatio illa, quam nôsti, honestissima; cum appenso salario tam luculento, vt *Ambitioni* iuxtà & *Auaritiæ* gulam frangere possit. Tantò magis, quod illorum quidam ambire hanc possint, sed repulsam auferre: quidam nec petere ausint. Omnium maximè sustentat me conscientia (quà maius nullum virtuti theatrum est) rectè atque ordine obiti officij. Vnde etiam non metuo fulmen illud, *Maledictus, qui opus* DOMINI *facit fraudulenter.* Multò minùs vereor ne accidat mihi, quod Episcopo cuidam accidisse Buchananus in Scotiâ refert. Accusatus nimirum fuerat, quod ter singulis diebus missaret, ídque eâ ætate, quâ alij ne ternis quidem mensibus semel. In hac meâ innocentiâ si omnino cogat audire carmen Hesiodi antiquissimum.

Δαιμονίη τί λέληκας; *Item,*

Ἄφρων ὅσκ' ἐθέλει:

Non id multùm refert. VIS enim contra IVS, tantùm potest, quantùm nox aduersùs Solem.

Nam, Sole exorto, nox intempesta fatiscit.

Hæc ego volui nunc familiariter, mi suauissime Reinesi, hac à te mihi præbitâ occasione vti intelligas, Nihil me mutare in cultu Veritatis, quantumuis tumultuentur contrà me hostes ipsius. Huius mei instituti testem esse volo opellam hanc, REIECTANEA vocatam, à Stoïcis, vt vel ex Cicerone nôsti, ἀπὸ προηγμένα, *quasi quæ existimationem non mereantur*, dicta. Hæc tibi inscribo, & rogo, Mihi quidem perpetues amorem tuum: Diuæ autem illi constantiam. Bene vale, & bene age sub initium huius anni 1639. quem Tibi, bonísque omnibus faustum & felicem esse iubeat DEVS Opt. Max. cui laus & gloria in omnia sæcula.

HOFMANNE *veritatis acer assertor,*
Seu Pergamenus siue eam Stagirites,
Viditque, posterisque iam reuelauit.
HOFMANNE *felix veritatis inuentor,*
Quam nemo vidit, hactenúsque produxit,
Non Pergamenus, ipséme ve dictator.

Rei sophorum, finis orbis extremus.
Perge, ô beate, perge porrò sinceram
Falso fugato veritatem apricare,
Nil imperiti voculas gregis curans.
Liuor bene actæ semper est comes vitæ,
Idem fatiscit quando temnitur vultu,
Magnâve mente. quomodo ad iubar Phœbi
Furuum tenebræ sinciput suum occultant.
HOFMANNE *perge temnere improbas voces*
Nasúmque vulgi, veritate nascendis
Partáque proditáque, tempori nostro
Ne Pergamenus desit aut Stagirites.

HERM. CONRINGIVS Philosoph. & Medic. D.
huiúsque in Acad. Iul. P.P.

QVIS *nouus hic nobis pro* VERO SIMPLICE *miles?*
Quis gradus in pugna? quis status? arma VIRI?
MATERIÆ MORBOS & FORMÆ *Gallicus Aiax*
Cuderat, & facti grande σοφῶς tulerat.
Ast hominem vanis (fas sit modò dicere verum)
HOFMANNVS *vidit ludere phantasiis.*
Vidit, & ingemuit: MONTANE, PLANERE, SONERE,
Pugnâstis, fessis mittite, ἔφεδρος ero.
Fecit: difflati, ceu stridula farfara, Galli,
Allobrogésque, volant fumus, & vmbra, logi.
Quisquis in hunc posthàc incurrerit Hectora, risus
ENTELLVS, *caueæ totius vnus erit.*

εὖγε καὶ δεξιῶς!

Ciui suo amicissimo Id. Febr. anno cIↃ.IↃc.XXXIX.
Altenburgo Misenorum.
THOMAS REINESIVS, D. Physicus Reip.

SEMIDEOS *steterat, cœnum qui vendidit, inter:*
Noricus ALCIDES *vidit, & ingemuit.*
Scilicet hæc solis VIRTVTIBVS *aula dicata est.*
I, pecus, i nostro, turba cacata, loco!
Protenus applausus fuit, & vox vna deorum:
HIC DEVS *est,* ALTER *desinat esse* DEVS!

Alteri parenti suo fecit meritò CHRISTOPHORVS
ADAMVS RVPERTVS Hist. P.P.

FINGERE *si licuit vobis cum vatibu',* AMICI:
DICERE *mî verum, Vah,* HOMO *sum! liceat.*

HOFMANNVS f.



PROOEMIVM.

I.



QVEMADMODVM omnibus sæculis laudatum fuit symbolum illud Pythagoricum, διὰ τῆς λεωφόρου βαδίζειν. *Ito, qua multi eunt*, vt Itali pingunt: ita semper fuerunt κενόδοξοι καὶ φίλαυτοι, quibus volupe fuit, nullâ honestâ satis de causâ διὰ τῆς λεωφόρου μὴ βαδίζειν, *non ire viâ regiâ.*

2. Illud vt procul dubio intelligendum est cum restrictione Senecæ, *Insistendum esse maiorum vestigiis, si rectè illi præcesserint:* ita ius hoc arbitrandi sumserunt sibi & olim hodiéque, quibus

Non dij, non homines, non concessêre columnæ.

3. Talis in Medicinâ, ætate Galeni, fuit Thessalus quidam Trallianus, quem *1. Meth. 2.* acri ob id sale defricat, tales fuêre nobis superiori sæculo IOAN. FERNELIVS & IOAN. ARGENTERIVS de quibus fortassis non immeritò vsurpem id, quod de Thessalo suo Galenus ex Cercida Iambographo,

Καθῆσθ' ἐφ' ὑψηλοῦ θρόνου
Ἐν κριομύξοις αἰθράσι.
Sedere sublimi in throno
Inter blenosos arietes.

4. Hoc in præscriptorum morborum vnico exemplo probare nunc institüo: sed ita, vt, amoliendæ inuidiæ gratiâ, tela pleráque promam ex eorum pharetrâ, qui ante me pugnam illam depugnârunt. Erunt autem dicenda quædam in genere primùm de vtroque seorsim.

IN GENERE.

Θέσις FERNELII.

5. *In parte similari tria spectantur, inquit* 1. Pathol. 7: *Materia, Temperamentum, & Forma. Horum trium naturalis constitutio & symmetria sanitas est* (partis similaris) *proinde morbi etiam tres existunt, quod* alio opere *pluribus demonstraui.* Hoc opus procul dubio est *de Abd. rer. causis*, in cuius *lib. 2. cap. 8.* hæc sunt verba: *Tria quidem hac, Materiam, Speciem atque Temperamentum in vniuscuiusque rei naturalis constitutione contineri, multis suprà rationibus confirmatum est.* Confirmantur verò, & latius deducuntur etiam ibidem, *cap. 9.*

Ἀντίθεσις.

6. Heic ego primùm omnium præscribo Montani, *3. Meth. 8.* iudicium.

Fernelium in his abesse ab omni Philosophiâ. Addo, quia res Galeni agimus, admiratione dignum esse, illum habuisse Galenum pro tam infante, qui nesciuerit, Materiam & Formam necessariò heic requiri? Imò scire debebat, præter Temperamentum, non habuisse heic formam aliam! Sed habuerit:

7. Non vt tria sunt in vnaquâque parte similari, quæ constituunt illam: ita tria sunt agentia. Non enim de constitutione heic agitur: sed de actione. Quin vnum solum est, *Temperamentum*, pro cuius variatione variant actiones quoque, non in diuersis tantùm, sed & in specie conuenientibus partibus. Planerus *de Morb. mat.* θ. *6.* Hæc si latè deducta voles, lege Erastum *à* θ. 21. *vsque ad* θ. 46.

8. Non vt tria sunt, quæ constituunt: ita singula illa participare possunt συμμετρίας, καὶ ἀμετρίας. Quin vnum solum est, *Temperamentum*, quod potest: reliqua duo quia substantiæ sunt, tàm non possunt, quàm non potest vlla substantia recipere magis & minus. Idem Planerus θ. 4.

9. Non si tria insunt in re: ita tria etiam agunt seorsim. Quia notum est pueris, qui etiamnum in Physicis exercentur, actionem non esse, vel Materiæ vel Formæ: sed Totius, ex materiâ & formâ constituti: Mont. *lib. cap.* Sonerus *in* θ. *de mat. morb. 35.* Erast. θ. *26. & seq.*

10. Quid autem? cum Materia de omnium confessione sit παθητικὴ: quomodo simul agere potest? Cùm sit mera potentia, merum subiectum, quei possit aspirare ad hanc dignitatem? Forma licèt ab omnibus dicatur principium actiuum: tamen ex se nihil agit, verùm definit & determinat tantùm cuiusque partis actiones. Plan. θ. 7. & 8. Son. θ. 42. Reusnerus, *de scorb. Ex. 3.*

11. Ex his intelligere potest Fuchsius *3. Instit. 4.* tam latè abesse hos morbos ab ἀκριβολογίᾳ Philosophicâ, quàm latè abest ipsius à solidâ doctrinæ laude. *Mont. 3. Morb. 2.*

12. Ergo nihil prorsùs agunt Materia & Forma? Non quidquid quoquo modo concurrit ad læsionem actionis alicuius, id subitò est morbus. Ideo incidunt isti homines in damnatum à Galeno errorem, *lib. de Diff. morb. 5. D.* symptoma esse morbum, & morbum esse causam. Quin nesciunt, symptoma symptomatis causam esse posse, *lib. de Diff. sympt. 4. G. & N.* & mox *cap. 5. E.* Son. θ. 24.

13. Sed agant: nisi probatum sit, morbos illos sine aliis morbis consistere posse, nihil actum fuerit, *3. Meth. vlt. E.* Id. θ. 34.

14. Quo verò modo concurrunt? Vt totum, quod agit, sit. Pertinent igitur ad essentialem partis similaris constitutionem, quâ bene habente, sanitas est: quâ læsâ, morbus. Vnde intelligitur, quemadmodum sanitas est perfectio, adeóque ἐπουσιῶδές τι, quo est in actu secundo, & nullatenus accidens: ita morbum non esse simpliciter accidens. Non igitur satis est ad destructionum horum morborum, præcipuè materiæ, quod non pertineant ad essentialem partis constitutionem, sed accidentalem. Quin ne hoc quidem certum est, quod omnis morbus sit qualitas, cùm Pacius *Com. in 1. Meth. vlt. f. 235.* valdè verisimiliter doceat, non esse genus vniuocum, sed vocabulum ab vno, Interim, τῶν ποιῶν τι esse, non ambigo

IN SPECIE,

DE MORBIS MATERIA.

Θέσις FERNELII.

15. *Materia immoderata,* inquit Pathol.l. c. *mollis est, aut dura, laxa, aut adstricta, tenuis aut crassa, rara aut densa. Et hæc ipsius vitia morbi sunt*, ab intemperiebus (vult dicere) diuersi. Hoc dilatans in Abd. l. item c. *Quas recenset* (inquit) *Aristoteles qualitates secundarias à primis ortas, quosque affectus corporeos nuncupare solet, nos optimâ ratione videbimur materiæ vires & qualitates nominare. Eiusmodi sunt durum & molle, &c.*

Ἀνάθεσις.

16. Heic quis non primâ statim fronte indignetur, Fernelium constituere se nouum in Philosophiâ regem, & temerè mutare limites à priscis positos? Primò enim non considerat materiam, vt olim illi, vt (inquam) substantiam quandam, omni formâ, tam substantiali, quàm accidentali destitutam: sed tanquam rem compositam, certis qualitatibus & accidentalibus præditam, quibus contrà distinguatur à formâ & temperamento cuiusque partis? Plan.θ.*de Morb. for.*1. Pacius *in Meth. fol.* 392.

17. II. *Affectus* dictos *corporeos*, seu *conditiones materiales* audaciâ insignitâ abrumpit à temperamento, & nouo vestit nomine, vt admirabilis videatur. Quod vt intelligatur, ex Gal. hoc sciendum est, distinguere illum τὴν οὐσίαν καὶ τὸν τρόπον τῆς οὐσίας, *substantiam à modo substantiæ*, quod hoc familiari exemplo ostendere soleo. Piperis & Arsenici eadem substantia est, quatenus temperamento sunt calida & sicca: at modo substantiæ tantoperè differunt, vt piper quidem sit condimentum alimenti, arsenicum autem venenum. Quid ita vero? Piperis *modus substantiæ* talis est, vt vinci à calore nostro possit: arsenici, vt non possit. Victoria hæc consistit in eo, quod in pipere quidem partes elementorum crassæ & terreæ ita sint domitæ & subactæ à partibus tenuibus & aëriis, vt calori nostro cedant: in arsenico autem non sint, adeoque calor noster sit illis inferior. Et hinc est, quod medicamenta in eodem gr. calida, frigida, &c. non agant idem. Hic *modus substantiæ*, hic *affectus corporeus*, hæc *conditio materialis* apud Galenum est pars temperamenti, & pertinet ad qualitates secundas, vt calor, frigus, ad primas.

18. Hoc alij ita efferunt. Vox *temperamenti* aliquando accipitur pro qualitatibus tantùm primis prædominantibus, cum dicimus, aliquid vel calidum vel frigidum esse, & sic de cæteris: aliquando pro totâ misti substantia. Illud dicere solemus, *A manifestis qualitatibus*; hoc *à totâ substantiâ*, seu *occultis qualitatibus*. Pacius. *in* 2. *Meth. fol.* 394. Plan. θ. 12. & 53. Erast. θ. 53. Son. θ. 39. qui posterius significatum firmat *ex* 3. *temp.* 4. *B.* 1. 25. *p. E.* 5. *Loc. aff.* 7. *M.* 3. *Caus. sympt.* 1. *C.* 1. *Meth.* 6. *D.*

19. Alij ita. Differunt κρᾶσις & μῖξις. Illud qualitatibus elementorum debetur hoc corporibus ipsis. Hæc vt cogitatione separare possum: sic reipsâ distincta nõ sunt. Nam vnum idemque, verbi gratia, piper, & hanc habet primarum qualitatum κρᾶσιν, & hanc primorum corporum μῖξιν, quibus in vnum coalescen-

tibus fit corpus h. m. temperatum, &, vt sic dicam, informatum, vt agere possit, Plan.θ 9.10. & 11.

20. Alij ita. Temperamentum est duplex. Aliud est primarum qualitatum: aliud primorum corporum, quod *modum substantiæ* dicimus. Valles. 1. *Controu.* 6. Augenius, 2. *Epist.* 1. *ad Ant. Lobbetium.* Hic modus substantiæ est *proprietas misti,* quam *ex* 4. *Simpl.* 15. deducit Erastus, θ. 17. *& seq. & iterum* θ. 66.

21. Alij ita. Differunt, exsuperantia qualitatum & ipsum temperamentum, Quò fit, vt res quædam easdem habeant exsuperantes qualitates: diuersum tamen habeant temperamentum. Plan. θ. 12. qui dicit, Piper quidem agere, per exsuperantem qualitatem: arsenicum autem per Temperamentum. Idem se explicat θ. 53. Gal. in curatione solis agit alterantibus, cùm solæ primæ excellunt: multis verò cùm præter primas, secundæ quoque & tertiæ sunt efficaces. Tunc enim (inquit) actio, quæ ex omnibus craseos qualitatibus prodit, dicitur esse à totâ substantiâ. Nimirùm ex commistione omnium in re aliquâ qualitatum exsultat certa quædam & mirifica qualitas, quæ huic tantum, non alij conuenit, quæque (vt hoc addam de meo) experientiâ cognoscitur, 13. *Meth.* 6. *G.* Hunc sensum in veneris apud Pacium quoque, *Com. in* 2. *Meth. fol.* 394. necnon I. Alexand. *Notis in* 3. *Temp.* 1. *item* 4. *Simpl.* 9. *&* 15.

22. III. Falsum est, secundas qualitates in mistione mansisse integras. Imò verò, quemadmodum primæ sunt refractæ: ita etiam secundæ. Vt verè dici possit, mistionem hanc Fernelianam non esse Hippocraticam, qui vult ὅλα δι᾽ ὅλων κεράννυσθαι: sed Empedocléam, quæ fit ex magnis portionibus, veluti murus ex lapidibus quadratis. Plan. θ. 13. & 17.

23. IV. Falsum etiam est, qualitates tactiles mutatas constituere nouos morbos. Accipiamus mollitiem & duritiem. Durities, verbi gratia, fit tribus modis apud Gal. 5. *Simpl.* 4. vide Mass. 3. *Pract.* 2. *fol.* 273.

24. V. Falsum non minùs est, Conditiones materiales dictas ab ipsâ esse materiâ, quasi in sint ipsi materiæ: imò emerserunt ex qualitatibus primis cum primis corporibus mistis. Nimirùm, vt dictum est, materia ipsa, quatenus materia, vacat qualitate omni, neque vllam, vel substantialem, vel accidentalem formam habet: quicquid autem habet, à mistione accipit. Id. θ. 9. & 16.

25. Heic aliquis, Non refert ad actionem materiæ, siue ex se habuerit, siue aliunde acceperit. Respondet Son. θ. 36. Ex se, absque facultate agendi primaria, conditiones materiales nullam obtinent vim actiuam: quia (ita se explicat θ. 38.) non sunt termini actu spectati, non sunt vltimæ dispositiones, quibus vti possit anima immediatè, neque quidquam agunt, sed vel diriguntur ad vltimas, vel ad eas consequuntur.

26. Cui ego ex θ. 37. suggero, satis hoc esse, vt materiæ adscribi possit facultas agendi, si hoc præstet. Siue enim primario fiat, quod fit, siue consecutione quâdam, perinde est. Dico igitur. Non agit materia, sed (vt ita dicam) modificat actionem. Et hoc est, quod ipsus dicit: Calor aliud agit in materiâ dulci, aliud in acri, aliud in molli, aliud in durâ. Sed quo modo *Aliud*? Non specie diuersum: sed quod caloris est, quâ calor. Ita ignis aliud agit in ligno, aliud in paleâ, aliud in ferro, aliud in aliis sed nihil aliud, quam quod ignis est, quà ignis.

27. Hinc suppetias eo eidem θ. 36. *& seq.* Quæritur, cùm plura symptomata

se inuicem sequuntur, & res deuenit tandem ad conditiones materiales, annon illæ alliquando primò & per se lædant actiones? verbi gratia. Ventriculi humiditas facit laxitatem; laxitas causatur malam πέψιν; mala πέψις imperfectam chylificationem: heic, annón laxitas est causa immediata malæ actionis? Non est, inquam ego. Non enim agit, sed moram iniicit actioni, non minùs quam acini vuarum, aut semina Cerealia, si integra deuorentur ab homine. Et hic est *modus* ille, de quo loquor, *hoc aliud illud*. Hoc ipsum verò immediatè pendet ab humiditate, quæ sola heic agit.

28. Hoc fusè & doctè explicat Pacius, 2. *Meth. fol.* 190. *&* 391. Alteratio propriè non est nisi inter primas qualitates, in quibus etiam solis est terminus motus, illius dico, qui morbus est. Alteratis primis, alterantur etiam secundæ, & est alteratio illa non nisi consecutiua seu symptomatica. Hæc Galeni sunt *de diff. morb.* 2. *B. de diff. Symp.* 1. *C.*1 *Loc. aff.* 3. *C.*2. *Fac. nat.* 8. *O.*

Θέσις FERNELII.

29. *Temperamentum*, inquit 2. Abd. 9. *accidens omnino cum sit, in substantiarum genere esse non potest. Materia verò illi substernitur, à quâ pars vel laxa, vel adstricta est, &c.*

Ἀντίθεσις.

30. Hoc videmus esse falsum, inquit Mont. *3. Morb.* 8. Materia enim per se in actu non est. Ergo nihil ei potest accidere. Sed neque dici potest, loqui illum de materia secunda, separat enim à temperamento, cui demum substerni ait.

31. Prætereà implicat contradictionem, *temperamento subiici materiam*, & *Temperamentum esse accidens.* Materia enim soli formæ subiicitur: forma autem substantia est. Id: *ibidem.*

32. Habet etiam hoc absurdi, Morbos ex intemperie quidem esse accidentia: materiæ autem dictas, substantias. Idem.

33. Licet concedatur, Laxitatem, adstrictionem, & huiusmodi alia esse morbos: non sunt tamen materiæ, sed compositi ex materiâ & formâ. Idem.

34. Si temperamentum est accidens materiæ, laxitas autem, densitas, &c. sunt pariter accidentia: sequetur, non secundas tantùm qualitates esse morbos materiæ, sed & primas. Idem.

35. Vana insuper est deductio Non, qualitates tantùm elementorum, sed & corpora misceri: ideò dari morborum genus materiæ proprium. Corpora enim fiunt talia vel talia, non ratione materiæ tantùm, sed & ratione qualitatum actiuarum, ad quas sequuntur secundæ illæ, quas conditiones materiales vocant. Idem.

Θέσις FERNELII.

36. *Cor calido, siccoque temperamento est*, inquit, ibidem, *neque admodum dissimiles sunt pulmones: at materia distant, absuntque longissimè vt quæ illi densa, grauisque sit, his rara atque leuis. Haut secùs renes frigidum nacti temperamentum, cor verò calidum summo discrimine disiunguntur. Vtriusque tamen materia compacta est, atque densa.*

Ἀντίθεσις.

37. Falsum est, partes quasdam conuenire temperamento, differre materiâ. Fiunt enim partes tales vel tales, non solùm ratione materiæ, sed & qualitatum.

Et fieri potest, vt conueniant quidem partes temperamento, differunt autem plurimùm modo mistionis Modus hic non pendet ex solâ materiâ sed ex qualitatibus etiam, vt dixi. Nam quia corpora elementorum aliter mista sunt in cordis constitutione, hinc densitas ipsius: quia aliter in pulmonibus, hinc raritas ipsorum. Hanc ipsam diuersitatem sequitur temperamenti diuersitas, quod temperamentum est proximum & immediatum illud, cuius interuentu forma inest suæ materiæ. Hinc fit, vt quantùm hæ duæ partes differunt formis, tantùm etiam differant temperamentis. Sed neque dici potest duarum illarum partium idem esse temperamentum, diuersam materiam. Propriam enim vnicuique rei materiam dat illi temperamentum. Plan. θ. 19. & 20.

38. Falsum pariter est, partes quasdam conuenire materiâ, differre temperamento. Licet enim tàm in corde, quàm in renibus sit densitas, vt dici posse videatur conuenire materiâ; tamen densitas non est ipsa materia, sed est qualitas quædam secunda, adeóque accidens quoddam materiæ, quod inuenit ex actione calidi & frigidi in humidum & siccum, à quibus densitas & raritas. Id. θ.21.

39. Nimirùm, tanta heic est ἀοξισία vt eadem qualitas secunda (verbi gratia crassities) fieri possit à diuersis qualitatibus, tàm caliditate, inquam, quàm frigiditate. Quod si fiat, vbi tùm diuersitas materiæ est? Rursus, fieri potest, vt eadem qualitas prima (verbi gratia caliditas) sit in duabus partibus, quæ ipsæ tamen temperamento non conueniant, tu puta, vt in vtrâque sit idem gradus. Ita cor & pulmones calidæ quidem partes sunt: sed magna cum diuersitate, illud quidem calore proprio: hi autem aduentitio. Id. θ. 27. & 28.

40. Quo loco vt id obiter aspergam. Quâ fronte dicere potest ὁ θαυμαστουργὸς, renes esse frigidos. Nam substantia sanguinea aliud suadet. Sed neque controuersiâ caret, an serum, quod trahunt sit frigidum?

41. Hoc est, quod θ.6. dixi, & inculcat etiam Montanus, 3. *Morb.* 9. Fit, inquit, hoc, non ratione tantùm materiæ, sed & qualitatum agentium. Pendet igitur vel similitudo, vel dissimilitudo temperamenti ex materiâ simul & agente, siue ex proportione agentis ad patiens. Si vrges secundas qualitates, seu conditiones materiales, dicetur tibi, pendere ex temperamento primarum.

Θέσις FERNELII.

42. *Vitiata materia partis robur infringi, hinc docere velim, quod nonnullis ventriculus neque acetum neque sinapi, neque piper, neque quidquam acre & mordax, alius omnia facilimè tolleret. Deinde, quod odoribus alij oblectentur, alij citrà offensionem ferre nequeant.*

Ἀντίθεσις.

43. Fiunt hæc: sed non euincunt, ipsam per se materiam hoc facere, sed materiam, quatenus aliis qualitatibus affecta est. Hæ qualitates constituunt dictas ἰδιοσυγκρασίας, quæ differentias quasdam introducunt τῶν δυνάμεων tam ποιητικῶν, quàm παθητικῶν vnde actio est vel generalis, qualis in plerísque omnibus est: vel specialis, qualis in hoc indiuiduo, quod hoc, vel illud non fert. Plan. θ. 31. & *seq.* Paulo aliter proponit Erastus θ. 47. & *seq.*

44. Non pertinere ad materiam (ita neque ad formam) argumento sit, quod sine contrarietate ista non fiant. Atqui neque materia, neque forma contrarium habet Id. θ. 36.

45. Perquam mirum eſt, hominem iſtum architectari heic voluiſſe nouos morbos, ideò quod materia ſit inepta ad patiendum! Nam vel hoc ipſo ſe prodit, vt ſorex, cum agnoſcit pro imbecillitatibus & defectibus, ſiue à naturâ illi ſint, ſiue poſteâ contracti. Imò verò ne materiæ quidem ſunt, ſed temperamenti. Son. θ. 49.

46. Ἀσύστατα ſunt, partem aliquam (totius corporis eadem eſt ratio, eſſe benè temperatam, & tamen ſubiici defectibus talibus. Perpetuum enim dogma eſt, temperamentum benè ſe habens exceſſu omni carere. Mont. 3. *Morb.* 10.

Θέσις FERNELII.

47. *Permultos videas optimo temperamento, qui neque calorem, neque frigus, neque vllam exſuperantiam ferunt hâc ſolâ ratione, quod molli, raro, laxoque ſunt corpore.* Et contrà. Huic tubicinem ſubiicit Argenterius, *de Gen. morb.* 4. *Quoſdam ſudoribus diſfluere, ad ſolam cutis raritatem.*

Ἀντίθεσις.

48. Sit ita, vt Fern. dicit: non tamen ritè inde colligitur, alias affectiones incidere corporibus propter temperamentum, alias propter materiam, ſeu conditiones materiales, cum ſecundæ illæ qualitates non minùs ad temperamentum pertineant quàm primæ. Plan. θ. 38.

49. Sit ita, conditiones iſtæ non efficiunt morbos per ſe conſiſtentes; ſed pendent ex aliis ſe prioribus, quorum Symptomata dici poſſunt. Son θ. 43.

50. Ego vero repetam etiam Montani illud, ἀσύστατα eſſe, optimo præditum eſſe quem temperamento, & tamen tàm procliuem eſſe in tales, affectus. Addo ex eodem, externas illas iniurias non eſſe aliàs, quàm quæ ſunt ab exceſſibus primarum qualitatum, Tum verò alterationes iſtas non eſſe morbos, ſed cauſas morbi.

51. Quin Fernelius cædit ſeipſum, cùm fatetur, Nimiam laxitatem poſſe eſſe vel ab ipſa natiuitate, vel ab otio, quemadmodum duritiem, vel à bono ſemine, vel à conſuetudine. Vbi enim heic morbi materiæ? & annon delabitur ad temperamenti vitium?

52. Quo loco non poſſum non meminiſſe erroris Montani *l. iam cit.* Morbos hos poſſe dici morbos inſtrumentarios. Rectè enim Son. noſter θ. 46. *ex l. de diff. morb* 7. B. & iterum *de Cauſ. morb.* 7. F. oſtendit, non quorumvis pororum oclusionem facere obſtructionem: ſed conſpicuorum, quales ſunt in vaſis interioribus.

53. Idem telum conficit tormentum illud Medicorum de colore flauo corneæ, quæ in quibuſdam poſt icterum manet, vel in tota illa tunica, quæ etiam viſionem lædit: vel in poſteriore parte tantùm, quæ non lædit illam. Non enim eſt obſtructio, vt poſt d, Montanum Pacius quoque vult, *in* 2. *Meth. fol.* 392. non eſt etiam intemperies cum affluxu ſubſtantiæ, quò mihi aliquando inclinabat animus, ſed eſt ſymptoma vitiatæ nutritionis, vt rectè Son. noſter θ. 50.

54. Fulcrum Argenterij nimis quàm debile eſt! Niſi enim cauſa efficiens adſit viſcerum (certè vnius ex his) diſcraſia calida: quid poſſit ſola hæc concauſa.

Θέσις FERNELII.

55. *Quamquam Galenus locis quibuſdam omnem corporis actionem tempera-*

mento refert acceptam : *paßim tamen* in lib. Meth. *fatetur, virium substantiam consistere in tribus : in spiritibus, carnosâ substantiâ, & ipsis solidis partibus, quorum singulorum qualitas & quantitas seruanda sit. Heic quid est substantia, quam similaris materia.*

Ἀντίθεσις.

56. In hac scenâ mihi personam sumam, iubebóque Galeni amicos ante omnia solicitos esse, quo modo clientem suum tam sibi, quàm rerum naturæ consentire doceant? Mihi ita videtur. De viribus loquens *in lib. Methodi*, ad quos aduersarius nos adstringit, aliquando in vniuersum de toto corpore loquitur: aliquando de singulis partibus.

57. Prioris sensûs loca sunt, *li.9.cap.3. A.l.11.c.5.l.12.c.5.B.* quibus locis vires collocat in trium partium principum robore, cùm partes illæ ita affectæ sunt, vt spiritus (qui sunt primum & proximum animæ instrumentum) debitâ mensurâ subministrare possint.

58. Posterioris, *l.11. c.1. D.* & mox 3. A. vbi in tribus consistere ait. ἐν πνεύματι, ἐν σαρκοειδεῖ οὐσίᾳ, καὶ τοῖς στερεοῖς. Item *l. 12. c. 5.* vbi in duobus tantùm ἐν πνεύματι, καὶ τῇ τῶν στερεῶν σωμάτων κράσει. Quem ideo ex altero illo integrandum esse putem, addendámque τὴν σαρκοειδῆ οὐσίαν, sanguinem scilicet vti intelligo, quippe qui carnis propria materia est. Quam etiam ob causam puto, per tria illa intelligere illum tres partes Hippocraticas: *Spiritus, Humores & Partes solidas.*

59. Hæc qui considerabit facilè se expediet tricis illis: facilè etiam contemnet inanem hanc machinam. Alios si audire etiam volet, ad Mont. visere potest. 3. *Morb.* 1.1. Plan. θ. 47. Son. θ. vlt. Erast. θ. 51.

Θέσις FERNELII.

60. *In medendi præceptis, partis, quæ vsum habet toti corpori communem cuiusmodi est ventriculus & iecur, robur seruare iubet; à relaxantibus abstinet, quod partis substantiam, statúmque optimum dissoluant : adstringentia verò, quorum vis est ad corporis substantiam & stabilitatem, commendat.*

Ἀντίθεσις.

61. Laxitas, neque morbus est, neque causa morbi. Non illud: quia non lædit primariâ ratione, sed interuentu humiditatis. Non hoc: quia est qualitas secunda. Solarum verò primarum actio est. Ergò symptoma est tantùm, & id quidem tertij generis. Plan. θ. 41. *& seq.* Son. θ. 34. *& seq.*

62. Vt id Galeni præceptum sit hoc: non tamen subleuat aduersarium. Non enim Galenus tanquam morbum curare iubet, sed tanquam symptoma. Quin non est curatio, sed præseruatio. Mont. l.c. Son. θ. 59.

63. Sed qualia sunt, vel adstringentia, vel relaxantia illa? Hæc quidem calida & humida: illa autem frigida & sicca. Mont. *l.c.*

Θέσις FERNELII.

64. *In lib. de San. tu. duras frictiones artus corroborare docet, quod eorum substantiam atque materiam compactiorem, firmiorémque reddant.* Loci afferuntur ab aliis ex *l.* 2. *c.* 3. & 12.

Ἀντίθεσις.

65. Substantia heic appellatur partis ipsius corporatura, contradistincta à formâ. Hæc corporatura est materia secunda, cuius qualitates pendent à primis. Plan. θ. 46. Inde fit, vt, absumtâ humiditate, quæ partes flaccescere faciebat, siccitas maneat in suis terminis Son. θ. 60.

Θέσις FERNELII.

66. *Quæ immoderatè laxant, inquit Galen.* 2. ad Glauc. *soluunt robur : quare & partis virtutem. Quæ autem suprà modum refrigerant, exstinguunt calorem natiuum, qui virtutum substantia est.*

Ἀπόδειξις.

67. Quâ fronte audet relaxantia ad materiam referre, refrigerantia ad temperamentum? Imò dicit Galenus hoc, quod ego iam aliquoties : Qualitates secundas, non minùs ad temperamentum pertinere quàm primas, tum videlicet cum harum non est proportio ad illas. Plan. θ. 49.

68. Hinc intelligitur, quem morbum faciat haustus olei, verbi gratia tepentis. Laxat, inquiunt. Imò humectat, humectationem excipit laxitas. quæ symptoma est. Atqui oritur tunc indicatio constringendi? Ita in iis, qui sudoribus diffluunt, densandum. Ista omnia præstantur à qualitatibus primis.

69. Intelligitur etiam, quis morbus sit, si qui ossa habeant penè cerea, articulos laxos nullíque motui pares, &c. Si qui contrà fortitudine cum leonibus certent. Ibi vitium est in intemperie humidâ : heic omnia benè habent, & in excellenti gradu. Quin, vt non semel dixi, mollities est symptoma tertij generis. Plan. θ. 50.

70. Sunt qui Hipp. quoque huc traducunt, quod ille *initio* 2. *sect.* 6. *Epid.* iubeat λεπτῦναι, παχῦναι, λεπτῦναι, παχῦναι. σκληρῦναι, &c. Verùm hi latissimè falluntur. Agit enim Hipp. de morbis organicis. Plan. θ. 51.

71. Trahitur huc crinibus Galenus quoque, partim, quod 4. *Simp.* alia medicamenta dicat agere primis & manifestis qualitatibus, alia totâ substantiâ. Quod ad prius, est id, quod suprà dixi §. 25. quod ad posterius, dicendum fuerit de eo *in seq. disp.* Videri potest Mont. 3. *Morb.* 12. Plan. θ. 52. & 53.

Θέσις ARGENTERII.

72. *An putamus*, inquit, de Gen. morb. 4. *sensum exquisitum & obtusum ex temperie nasci? A quâ, quæso? calidâ, an frigidâ? Non à calidâ : longè enim calidiores inueniuntur, qui tamen hæc non patiuntur : Non à frigida quis enim id ausit? Quod struthiocamelus ferrum coquit, estne à calore? Leo enim longè calidior est.* Addit Son. θ. 49. ex Galeno, 3. κ. τόπ. 1. 22. exquisitam audiendi subtiliatem. Item, cùm oculi ex ventriculo patiuntur quid suffusioni simile.

Ἀπόδειξις.

73. Vt ordiar ab hoc extremo, non magis concludit, quàm ridiculum illud in scholis iactatum, *Baculus stat in angulo. Ergo cras pluet.* Sed neque credo Argenterium hoc voluisse. Ita enim omnes morbi per consensum essent morbi materiæ. Sed sit imbecillitas ad resistendum : quid commune habet hæc (vt ita dicam) non resistentia cum morbis materiæ?

74. Sibilos ab exquisitiore aurium sensu esse scribit Galen. *l. c.* & confirmat Solenander, 1. *Cons.* 3. historiâ Musici sui. Ego verò hactenus credere non potui. Quin dico, vbi sunt à pituitâ sunt, in imis ossis petrosi cauernulis flatuescente. Hæc verò quid ad morbos materiæ?

75. De struthiocamelo nota est fabula, vt Pacius appellat : sed quid facit illa huc? Videtur enim morbis formæ propior esse. Sed sit vel ideo, quia falsitas est πολύ λογφος quaei nouit acriculus leonem esse calidiorem. Vno verbo, quod alius homo, aliud animal concoquit hoc illudve, non pertinet alio, quàm ad

ἰδιοσυγκρασίας, Plan. θ. 49. Erastus θ. 52. ait vidisse stuthionem auidè ferrum deglutientem: at vtrum concoxerit, & quo modo, dicere non potest.

76. Acris ventriculi sensus pertinet eodem, præcipuè ad *modum substantiæ.*

Θέσις ARGENTERII.

77. *Vnde est apud Medicos tenuitas partium in medicamentis, cùm sit in calidis, siccis, frigidis, humidis? Cur Galenus ingenij bonitatem à tenuitate petit? Vnde est saporum & colorum in herbis discrimen? Vnde caloris varietas in vuea? Vnde perspicuitas crystallini, quin gemmarum color, splendor, alia?*

Λύσις.

78. Omnia hæc, quatenus huc pertrahuntur, sunt λαπίσματα, in quibus frustra tempus teras. Quamobrem ἄλις ταυτὶ δῆς.

DE MORBIS FORMÆ.

Θέσις FERNELII.

79. *Totius substantiæ nomine*, inquit, 1. Pathol. 7. *& insitum spiritum, & diuinum illius calorem, facultates, ipsamque formam complectimur. Morbi sunt, qui partium substantiam primùm & per se oppugnant*, &c. *Tota rei substantia*, ait iterum 2. Abd. 10. *perfectio est & integritas, quâ res vnaquæque consistit, Hæc quoties immutatur*, &c. Paulò pòst bis ait, *Totam substantiam præcipuè contineri in calore, insitoque spiritu.*

Λύσις.

80. Heic cui non statim ob nares venit Charonéus fætor manans è barathro ignorantiæ? Vt enim materiam longè aliter concipiebat, quàm omnes omni æuo sapientes: ita formam censet esse corporeum quid, &c. Plan. θ. 1.

81. Quod verò intolerabilius est, quemadmodum materiam seorsim ponebat à qualitatibus, quibus imbuta est, & sine quibus nihil est, nec quidquā agit: ita formam illam diuinam è quatuor diuersissimis rebus componit. Id. θ. 2.

82. Et quomodo, sine turpitudinis notâ, omissis duabus posterioribus partibus, concludere potest in calorem & spiritus? Son. θ. 17. Sed benè habeat: dicit, formam consistere in perfectione & integritate rei. Atqui res consistunt suis formis, in materiâ ritè, concinnéque præparatâ. Nihil ergò aliud fuerit illis, quàm compositum ex materiâ & formâ. Hac ratione quo modo sibi constat? Erastus θ. 11. & seq. & iterum θ. 6.

83. Quam verò ineptè loquitur, cum dicit, Totam substantiam, quæ est forma, constitui ex formâ & reliquis tribus. Possúntne per rerum naturam dici de re eâdem? Son. θ. 21. & 36.

84. Imò, tota oratio indigna est homine literato. Quo enim modo forma, quæ principium est simplicissimum, simul esse potest compositum quid, corporeúmque? Si enim sit ex corpore seu spiritu, per se erit extensa, diuisibilis, per se subsistens. Id. ib. & mox. 38. & seq.

85. Ita facultates, cum sint alicuius facultates, cuius sunt? Spirituum? Caloris? Formæ? solidarum partium? Breuiter, omnium horum facultates non sunt diuersæ à rebus ipsis; quin ratione tantùm differunt. Quare facultates corrumpi non possunt, nisi corrupto fundamento; quod est forma. Id. θ. 22.

86. Ergóne animam intelligit per formam? Non poteſt, cùm morbus non ſit animæ, ſed animati. Eraſtus θ. 45. Forſan, per tria illa intellexit rem eandem, quæ in Spiritu tanquam in ſubiecto ſint? Videtur; quamuis nec veterum quiſquam ita docuerit, nec ipſe in veſtigio conſtans ſit. Id. θ.23. & 24.

87. Quid igitur tandem eſt forma, quam heic quærit? Nuſpiam ſatis ſe explicat, niſi quod ſubſtantiam eſſe dicit eámque aſtralem & cœleſtem, quam ex Ariſtotele etiam probare vult, ſed fruſtrà. Id. θ.25. & ſeq. Eraſtus θ. 13. & 17.

88. Sed ſit ita: hæc ſententia non confirmat morbos formæ, ſed euertit. Si enim talis eſt forma, diuina, inquam, eſt in mortalis: quomodo ſubiecta erit morbo? Id. θ. 36.

89. Si mihi quoque interfari licet, dico 1. Formam hanc aſtralem nihil aliud eſſe, quàm *cauſam Continentem Stoïcam*, de quâ ex Alexandri *l. de Miſt.* dixi alibi. 2. Spiritum quidem inſitum habere oppoſitum in adiecto: diuinum autem Spiritus illius calorem, eſſe eandem cauſam Stoïcam. 3. Spiritum hunc & calorem hunc, non differre re ipsâ, ſed χέσει tantùm vt alibi deduxi. 4. Hunc ipſum Spiritum, calorémve, eſſe facultatis vehiculum, facultas ſine ſuo fundamento inimaginabilis eſt. 5. *Formam in miſtis* Galeno nihil aliud eſſe *quàm temperamentum.*

90. Sed, miſſis his, conſideremus rem preſſius. Vtrique principio, materíæ & formæ, in ſe conſiderato, & ſeorſim, hoc commune eſt, quod vtraque deſcribitur negatione. Materia eſt quiddam corporeum, quod vacat omnibus accidentibus. Forma eſt incorporeum quid, cui deſunt omnia ea quæ materiæ conſortium affert illi. At conſiderata vtraque in compoſito, ſunt partes ipſius eſſentiales. Rurſus, vtrique hoc peculiare eſt, quod materia quidem habet rationem puræ-putæ potentiæ: forma autem actus ſeu ἐντελεχίας. Iam, vt formæ integritas pertinet ad ipſam rei ſubſtantiam: ita accidentium formalium mutatio ad peius, non debet reuocari ad ipſam ſubſtantiam, quaſi ipſa forma labem patiatur cum ex ſe, & ſua natura impatibilis ſit. Vnde fit manifeſtus error Fernelij Plan. θ. 4.

91. Rurſus, cum duplex ſit in humano corpore (de hoc enim ſolo agimus) forma, alia quatenus animatum, alia quatenus miſtum: vti debetur ſanitas & morbus? Non certè animæ: quia nihil ex ſe patitur. Ergò corpori ita miſto vt humanas actiones edere poſſit. Vnde idem Fernelij error fit manifeſtior in primis ideo, quia è cælo petit animam. Son. θ. 40. *& ſeq.*

92. Rurſus in corpore ita miſto (ſecluſa anima) eſt λόγος τῆς τί ἦν εἶναι Græcis dictus. *Quidditas* barbaris, quæ iterum habet materiale & formale quid. Hoc pertinet ad primas qualitates, quarum eſt agere: illud ad ſecundas, quarum pati. Ex vtroque fit Temperamentum, quæ eſt forma miſti qua miſtum, adeóque tota natura, & tota ſubſtantia, quæ agit. Vnde iterum patet nuditas Fernelij, qui formale ſeparat à materiali. Idem θ. 43. *& ſeq.*

93. Heic quam defenſionem parat ſibi Fernelius? Eam, quæ ſubruit totum negotium. *Omnis ſubſtantiæ* inquit, l. c. *mutatio, aut procreatio, aut corruptio eſt: qualitatis verò alteratio eſt: Corruptio* (nam generationi heic locus non eſt) *antequam conſummata ſit, illa demum eſt morbus ſubſtantiæ: at ſi conſummata & perfecta ſit, interitus eſt.*

94. Huic paucis, ſed verè reſpondet Pacius, *in Meth. fol.393.* Si mutetur forma, compoſitum corrumpitur, non ægrotat. Fuſiùs Sennertus noſter, *Inſtit.*

Pp

lib. 2. cap. 4. Essentia rei intendi ac remitti non potest, & nulla pars essentiæ est, quâ peremta & sublata non ipsa tollatur tota. Est enim sicut numerus, quæ aut tota est, vbi est, aut nulla est, &c. quæ videat, qui vult.

95. Distinctiùs immortalis Scherbius *in Pathol. MS.* Corruptio formæ aut est in fieri, aut in facto esse, siue in termino ad quem. Si hoc; cadauer est, cui frustrà medicinam feceris. Et quod de toto dicitur: id de parte etiam dici debet, cum sphacelo seu gangræna laborat. Tum verò quæ indicatio est? Scinde: vre. Hoc verò in toto locum non habet. Si illud; non est propriè corruptio, sed alteratio præuia ad corruptionem. Quemadmodum enim in generatione forma non adest subitò, sed materia longo tempore alteratur. donec formæ recipiendæ fiat idonea, quæ ipsa receptio fit ἐν τῷ νῦν, tùm videlicet cum omnia adsunt & ouum, verbi gratiâ, iam non amplius est ouum, sed pullus: ita in corruptione sunt gradus quidam, qui ipsi non sunt corruptiones, sed alterationes, quæ fiunt à manifestis qualitatibus.

96. Hoc declaretur domestico exemplo. Vinum, dum vappescit, est reuocabile: cum vltra vappam est, & iam ferè acetum, aut vix, aut rarò: cum acetum iam est, prorsus irreuocabile est. Ita in febribus Cor semper incalescit magis & magis, vsque dum calor sit in ἕξει, hoc est habeat calorem siccum, qui interficit. Et hic calor corrumpit formam: sed alterationes intermediæ sunt motus à qualitatibus manifestis.

97. Hò, inquiunt quidam, hoc inimaginabile est. Non enim perit heic qualitas, sed substantia. Perit, inquam, sed per alterationes, quæ fiunt à manifestis qualitatibus. Et in statu secundum naturam annon substantificæ mutationes fiunt ab istis qualitatibus? annon ventriculus chylificat calore? annon Hepar sanguificat calore? Et vicissim in statu, præter naturam annon ventriculus & Hepar desinunt chylificare & sanguificare vel debilitato, vel prorsus peremto calore?

98. Si omninò concedimus (aiunt) in iis, quæ agunt manifestis qualitatibus: non concedimus tamen in iis, quæ agunt totâ substantiâ, verbi gratiâ cantharidibus & lepore marino. Concedatis & heic oprtet. Sensus enim docet, & cantharidas & leporem marinum facere exulcerationes. Erastus ℘. 58. Ita Mithridatium & Theriaca, & alexiteria alia annon calefaciant? Hac de re inferius iterum.

99. Verumenimuerò nihil dùm actum sit, nisi in secretiora illorum inuadamus. Heic illud discriminis est, quod heic inuolutiores sint nec distinctè, articulatéve proponant argumenta, vt in superioribus. Quamobrem ab iis, qui in vestigia nouatorum istorum inquirunt, modò tria proponuntur argumenta, modò quatuor, modò plura, quæ videbimus.

100. I. Pendet ex primo illo de morbis materiæ, quod est ℘. 5. *Si enim pars non minus ex forma constituitur, quam ex materiâ, quemadmodum sunt materiæ morbi: ita etiam formæ erunt.* Mont. 3. d. Morb. 16. Plan. ℘. 47. Son. 9. 3.

101. Heic Montanus, Atqui morbi materiæ non dantur. Ergò neque formæ. Ex solo enim temperamento sunt morbi. Hoc ita induco. Galenus omnium partium actiones refert ad temperamentum. Quâ re agit Cor, quod agit? quâ Cerebrum? quâ aliæ? *Temperamento.* Et hoc seruit Mothodo medendi, cui omnia ista parantur. At forma quid, indica. Atqui, inquiunt, hæc pyrus est,

quia fert pyra: hoc pomus quia poma. Hoc rustici etiam norunt, & proportione respondet indicationi illi, Heic morbus est, Ergò pelli debet. Profectò, forma ista infert extremam agendorum ignorantiam.

102. Repeti potest & illud. Non si ex tribus componitur res, propterea triplicem actionem habet.

103. Sed sit forma principium quoddam agendi: non ideò etiam patiendi est. Omnis enim actio est inter contraria. At formæ nihil est contrarium. Prætereà, forma hac ratione erit diuisibilis, quod (his quidem terminis) concedi non potest. Son. §. 67.

104. Si omnino aliquid est suprà temperamentum, *Anima* scilicet, non ob id laborat, aut, si ita vis, pars hoc modo temperata, qua anima vtitur pro instrumento. Son. 16. Hoc sensu Plan. §. 45. temperamentum facit συναίτιον.

105. II. *Est, ex actionibus tàm naturalibus quàm animalibus, quas ait esse substantias, læditque læsâ formâ.*

106. Hoc totum est falsarium. Omnes enim hæ actiones apud Galenum sunt ex temperamento, vt cum alibi, tum *1. Præs. puls. 4.* manifestè docet Mont. *lib. 1.* Erast. §. 58. Hoc latè deducunt Son. §. 69. & Plan. §. 45. qui inter alia venustè ait, χαλεπὸν εἶναι πλάσαι, quo modo forma cælitus delapsa per se aliquid agat.

107. Sed annon partes singulæ suum trahunt alimentum, alterant, &c. ídque familiaritate substantiæ? Non. Omnium partium idem est alimentum sanguis. Hunc trahunt partes, & in se substantificè alterant, non formæ alicuius specificæ virtute, sed primarum qualitatum. Formæ autem partes heic nullæ sunt. Mont. *lib. cap.* Annon Rhabarbarum trahit bilem, Agaricus pituitam, & sic de aliis, proprietate substantiæ? Non astrali quadam, quam isti somniant: sed eâ, de quâ §. 17. *& seq.* actum est, & de qua agitur iterum mox.

108. III. *Petitur ex naturâ causarum morbificarum. Cum enim inter has sint, quæ totâ substantiâ lædant, quidni morbos introducant totius substantiæ* seu formæ? Mont. *lib. cap.* Son. §. 6. Plan. §. 51.

109. Negatur consequentia. Nam talia quoque agunt manifestis qualitatibus, vt non ita pridem dixi de cantharidibus & lepore marino. Mont. *lib. cap.* Son. §. 71. qui id probat *ex 3. Simpl. 18. A.*

110. Ergóne frustrà distinguit Galenus inter ea, quæ manifestis qualitatibus agunt, & ea, quæ totâ substantiâ? Neutiquam. Est enim deceptio in modo loquendi. Cum dicimus agere aliquid manifestis qualitatibus, de primis tantùm intelligimus: cum occultis, seu totâ substantiâ, de secundis quoque, vnà cum modo substantiæ Id 16. v. supra §. 17.

111. IV. Ex curandi ratione sumitur. *Cùm enim contraria contrariis genere curentur, isti autem morbi non curentur calidis, frigidis, &c. sed medicamentis totâ substantiâ agentibus quis non videt sequelam?* Mont. *l. c.* Plan. §. 51. & 63. Son. §. 11.

112. Respondeo, morbi quidem ipsi venenati, vt sic dicam, curantur aliter quàm intemperies: causæ autem illorum expelluntur totâ substantiâ agentibus. Quare dicendum est, posterius hoc pertinere ad præseruationem, non ad curationem. Mont. *l. c.* & ampliùs *cap.* 34. Son. §. 81. & 82. qui paulò antè §. 75. Fernelium sibi ipsi in his non constare docuerat.

113. Et hoc est, quod suprà §. 21. ex Planero dixi. Hoc est, quod Mont. *l. toties c.* de differentià inter piper, & medicamentum septicum: Hoc pariter est, quod d. Plan. §. 11. docet & impresserat ei rei vnguem Scherbius, Temperamentorum similitudinem aut dissimilitudinem non consistere in qualitatibus: sed in actione & passione. Et hanc (vt se explicat) qualitatibus adscribimus, cum modica est, lentáque: at cum insignis & subitanea toti substantiæ.

114. Dico, *Toti substantiæ*, quo modo me explicui. Alioquin enim verum est, quod idem Plan. §. 59. ait, mollem & ad libidinem confictam esse opinionem, substantiam agere in substantiam. Quis enim Philosophorum vnquam hoc ausus est? Quin omnes vnanimiter docent, in qualitatibus, non in substantiis esse contrarietates. Erast. §. 59.

115. V. Iubet Fernelius *inspicere quorundam morborum ideam; quæ est, non posse curari solis alterantibus, verbi gratia cum dicimus, In febri quadam computruisse humores, certè non idem dictu est; atque incaluisse. Hoc enim si esset, sola refrigeratio sufficeret: at illud quia est, etiam purgatione opus est. Hæc differentia intemperiei & putredinis in solidis est conspectior. Intemperies enim tam euidens non est: putredo autem oculis obuio est.* Plan. §. 61. Son. §. 12.

116. Distincta hæc quidem sunt, ait Son. 9. *vlt.* sed non propterea distincti morbi. Calor præter naturam reuerà est morbus: putredo mors est, & interitus. An hoc nimis liberale est? Ita enim fiet, vt nulla ex putredine humorum febris curari possit. Ideo dicam, quod modo innui. Distincta quidem sunt hæc: sed faciunt, non diuersos morbos, verùm diuersas indicationes. Id enim, quod incaluit, alterari debet: quod computruit, è corpore educi per purgantia medicamenta. diuretica, & alia. Paulo aliter Erast. §. 67.

117. Hanc responsionem præfero illi, quam Plan. §. 64. meditatur, Putredinem non tam morbum esse, quàm vel causam, vel Symptoma. Tantò magis quod non videam distinctionem, quando sit, vel causa, vel Symptoma? Quin toto animo resilio, cum θ. *seq.* intueor explicationem, causæ quidem de continente Stoicâ: Symptomatis autem de effectu! Causa enim illa à Galeni mente alienissima est: effectus autem hic quomodo admitti potest, siquidem putredo est causa intemperiei?

118. Interim ambabus amplector, quod idem Autor §. 66. & 67. de morbis venenatis, pestilentibus, malignis, Non inducere diuersos morbos: sed diuersa contraria. Neque enim quibuslibet contrariis curantur quilibet morbi: sed alij aliis, prout qualitas peccans est, illa, dico, quam vel occultam solet vocare vir doctus, vel mirabilem, vel ineffabilem, vel insolentem, vel aliter, vt §. 112. dictum est, & quam Galenus à temperamento procedere dicat, inueniríque experientiâ.

119. Tandem his nugis prætenditur etiam Hippocr. & Galeni autoritas. *Ille enim videtur agnosse morbos formæ cum* τὸ θεῖον *admittit* II. Prog. 4. *cùm* νοσερὰς ἀποκρίσιας, ibidem. *Hunc aiunt voluisse morbos hos, cùm meminit qualitatum extranearum*, 2. ad Glauc. 2. V. *Item* hunc 2. Nat. hum. 4. *causam morborum epidemiorum proprietate substantiæ describit. Imò etiam, cùm quædam lædere ait totâ substantiâ, vt in* §. 107.

120. Τὸ θεῖον Hippocr. quid sit, tam est obscurum, vt meritò ridendus sit,

qui pro certo affirmare velit, ſenem noſtrum ad hos nouatores reſpexiſſe! *αἰτο-σεχὶ ἀποκρίσεις* ſunt hodie vocatum *Contagium*, ſeu *fomes peſtilens*, qui inter ea eſt, quæ totâ ſubſtantiâ agunt, vt quidem Galenus accipit. Eódem pertinent qualitates extraneæ, adeóque ipſa tota ſubſtantia.

121. Hinc clarum fit, quanto in errore ſit Iul. Alexandrinus, *Antarg. f. 9.6.* & alij, qui contendunt. *Morbos hos formæ notos fuiſſe Galeno, ſed deſcribere noluiſſe, quod methodo tractari non poſſint.*

122. Si ſcire cupias vbi, afferent tibi loca illa omnia, quibus agnoſcit actionem totius ſubſtantiæ, quam opponit actioni manifeſtarum qualitatum. Ea ſunt, præter illa §. 118. *3. Temp. 8. E. 1. Simpl. 3. B. 4. eiuſdem 15. cap. 6. eiuſdem cap. de Abrot. E. 5. eiuſdem procem. B. Ibid. 17. 18. 19. 9. eiuſdem cap. de Aphroſ. 6. Santu. 3. F. 8. κ. τόπ. 8. G. 13. Meth. 6. G. 6. in 6. Epid. 5. M.* & fortaſſis alij.

123. Quibus ego. Error primus & maximus eſt, licet in eo hæreant viri magni, putare idem dictu eſſe agere totâ ſubſtantiâ, &, formâ agere. Toti enim ſubſtantiæ tribuit Galenus actionem: at formæ vbi tribuit? & qui poteſt? Hinc erudiri poſſunt, qui dicunt, parùm referre, ſiue formæ morbos dicas, ſiue totius ſubſtantiæ. Eraſtus ℈. 61.

124. Alter eſt, quod Galenus actionem totius ſubſtantiæ tribuit temperamento: at vos, ô tales, ſeparatis ab illo.

125. Tertius eſt, quod formam corrumpi poſſe putatis, quod ne Fernelius quidem conceſſit, vt vidimus ſuprà.

126. Inquiunt, Quâ ratione tota ſubſtantia referri poteſt ad temperamentum? Hoc eſt illud, in quo explicando deſudarunt omnibus ſeculis docti, ceu vidimus in ℈. 17. *& ſeq.*

127. Breuiter, Actio qualitatum eſt, aut ab vnâ ſolâ, duabuſve rei alicuius verbi gratiâ à caliditate, & ſiccitate piperis: aut eſt in complexu omnium ſimul, vnà cum modo ſubſtantiæ, vt in arſenico, ſepticis venenis, theriacâ, morbo Italico, &c. Et hoc poſterius eſt agere à totâ ſubſtantiâ, quam Galenus etiam totam temperiem vocat, proprietatem ſubſtantiæ, contrarietatem eiuſdem, modum ſubſtantiæ: quibus quid cum formâ commune eſt?

128. Vt intelligas, Res aliqua, non calida tantùm eſt, ſed & ſubſtantiæ, vel tenuis, vel craſſæ, quarum illa facilè vincitur, hæc difficulter, aut prorſus non. Hoc poſterius quâ fronte vel formam appellabis, vel occultam proprietatem? Ita differentia eſt in modo & tempore actuationis. Aliud enim ex iis, quæ craſſarum ſunt partium, ſubitò inflammat linguam & fauces, vt arum & laureola noſtra: aliud aliquandiu pòſt. Rurſus, horum aliud non actuatur vſque dum ad renes & veſicam venerit, vt cantharides: aliud non niſi cum ad pulmones. Iam enim vtrumque ita ſino, vt à Galeno accepimus. Omnia hæc exulcerant, ideóque morbos notos introducunt: at quod difficultatem facit, eſt modo actuationis.

129. Hæc pulcrè dicuntur, ait aliquis illorum, ſed quæ nihil ſolidi habent. *Omnis actio fit inter contraria, quæ ſub eodem genere comprehenduntur: ſed agentia à totâ ſubſtantiâ, dum morbos inducunt, & in noſtrum corpus agunt, corpus noſtrum ſibi ſimile reddere conantur. Ergò in ſibi contrarium agunt, & proinde non qualitates primas afficiunt, ſed ſibi quid ſimile producunt.*

130. Ego verò in os tibi dico, Tantùm à soliditate abest hæc tua argumentatio, quantum abest res tota à verâ & solidâ Philosophiâ. Quis enim, vt non ita pridem ex Planero dixi, vnquam ausus est affirmare, substantiam agere in substantiam? Verum igitur est effatum tuum de contrariis, quæ reuerâ talia sunt. At formæ cum nihil contrarium sit, quo modo dicere potes, quod dicis? Prætereà, vt pariter dixi, is agere manifestis qualitatibus, calefacere, refrigerare, exulcerare, &c. experientia docet: quam audebis ne negare?

131. Tum verò ille, *Licet concedam tibi venena agere etiam manifestis qualitatibus: tamen non concedo agere hoc, quatenus totâ substantiâ agunt. Nam propositio superioris argumenti firmissima est.* Imò, inquam plumâ leuior est.

132. *Dari*, addit, *medicamenta à totâ substantiâ agentia, & dari tales morbos, tam clarum est, vt qui negare ausit, reprehendendus potiùs sit quàm refutandus.* Non ego hoc nego: sed hoc, *Totam substantiam Galeni* esse eandem cum *formâ Fernelij.*

133. Tandem vrget idem *morbos totius substantiæ, præcipuè pestem.* Non ego nego, dico iterum: Sed à formâ esse nego. Tota enim substantia apud Galenum pertinet ad temperamentum, vt toties dixi.

134. Totum negotium concludere libet verbis suauissimi olim Soneri nostri, *s.* 75. *Discant*, inquit, *hinc tyrones nostri, quantâ cum cautione in talium nouatorum scriptis versari debeant! Nihil enim firmum heic est, & constans, quod ipsum commune est symptoma omnium falsorum dogmatum.*

FINIS.



APPROBATIO DOCTORVM.

NOS subsignati Doctores Medici in saluberrima Facultate Medicinæ Parisiensi, testamur nos legisse Opuscula Medica quædam CASPARI HOFMANNI, Doctoris Medici & Professoris Altorfini, quorum sequuntur tituli : I. *Adrastea Galeni.* II. *Exercitationes Iuueniles contra Parisanum & alios.* III. *Ant-Argenterius.* IV. *Tractatus de principatu membrorum aduersus A. Buccium, Lud. Buccaferream, & Iulium Cæsarem Claudinum.* V. *Conciliatio doctrinæ de Anima, Aristotelis & Galeni.* VI. *Pathologia parua.* VII. *Reiectanea Pathologica.* In quibus omnibus nihil est quod veram & geminam Hippocratis doctrinam non sapiat : dignissima itaque illa censemus quæ typis mandentur, publicóque bono in lucem edantur. In cuius rei fidem subsignauimus, die 1. Decembris, 1646. Lutetiæ Parisiorum.

MOREAV. PATIN.

PRIVILEGE DV ROY.


LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlemens de Paris, Roüen, Thoulouse, Bordeaux, Dijon, Aix, Grenoble, Rennes & Mets, Baillifs, Seneschaux, Preuosts desdits lieux ou leurs Lieutenans, & autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre bien amé GASPAR METVRAS, Marchand Libraire en l'Vniuersité de nostre bonne ville de Paris, nous a fait dire & tres-humblement remonstrer, qu'il luy a esté mis és mains le manuscrit d'vn Liure intitulé CASPARI HOFMANNI, *Doctoris Medici, & in Altorfina Academia publici Professoris primarij, Pro Veritate Opellæ tres.* I. *Adrastea Galeni.* II. *Exercitationes Iuueniles contra Parisanum & alios.* III. *Ant-Argenterius, eiusdem Hofmanni Tractatus de Principatu membrorum aduersus, Augustinum Buccium, Lud. Buccaferreum & Iulium Cæsarem Claudinum, eiusdem Hofmanni, Conciliatio doctrinæ de Anima, Aristotelis & Galeni; Pathologia parua, & Reiectanea Pathologica,* pour iceluy faire imprimer : mais craignant que le faisant imprimer, quelques autres Libraires ou Imprimeurs fissent le semblable, à sa perte & dommage, nous a tres-humblement requis sur ce nos Lettres necessaires. Pour ce inclinans liberalement à la requeste dudit exposant, pour aucunement le recompenser des frais & mises qu'il luy a conuenu & conuiendra faire pour l'impression dudit Liure, Auons permis & permettons audit METVRAS, & à ceux qui auront droict de luy, & non autres, d'imprimer ou faire imprimer ledit Liure en tels volumes & characteres qu'il verra bon estre durãt le temps de sept ans prochains & consecutifs, à compter du iour & datte que ledit Liure sera acheué d'imprimer. Faisant defenses expresses à tous Libraires, Imprimeurs, ou autres, de quelque qualité & condition qu'ils soient, d'imprimer ou faire imprimer par autres

Libraires ou Imprimeurs, tant de noſtre Royaume que dehors, iceluy tronquer, alterer, abreger, ou extraire ledit Liure, vendre ny debiter en aucune ſorte que ce ſoit d'autre impreſſion que de celle qu'aura fait imprimer ledit METVRAS, ou autres ayant droict de luy, ſur peine de confiſcation des Liures & exemplaires qui ſeront trouuez auoir eſté imprimez & mis en vente, contre & au preiudice des preſentes, ſoit en public ou en particulier, & de deux mil liures d'amende, appliquables vn tiers à Nous, vn tiers au dénonciateur, & l'autre tiers audit expoſant ou ayant droict de luy: à la charge d'en mettre deux exemplaires en noſtre Bibliotheque, & vn en celle de noſtre tres-cher & feal Cheualier & Chancelier; & voulons & nous plaiſt qu'en mettant vn extraict des preſentes à la fin ou au commencement de chacun exemplaire dudit Liure, elles ſoient tenuës pour bien & deuëment ſignifiées & venuës à la connoiſſance de tous, comme ſi expreſſément & particulierement elles leur auoient eſté notifiées. Et pour ce que de ces preſentes l'on pourra auoir affaire en diuers lieux, Nous voulons qu'aux Vidimus d'icelles, ſignez par l'vn de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, foy ſoit adiouſtée comme au preſent original. SI VOVS MANDONS, & à chacun de vous en droict ſoy commettons, que de nos preſentes grace, congé & permiſſion, & du contenu cy-deſſus, vous faſſiez & laiſſiez ledit METVRAS, ou ceux qui auront droict de luy, ioüir & vſer plainement & paiſiblement, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire; & au premier noſtre Huiſſier ou Sergent, de faire tous exploits de ſaiſies & arreſts ſur ce requis & neceſſaires pour l'execution des preſentes, ſans demander placet, viſa, ny pareatis: CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques faites ou à faire, Clameur de Haro, Chartre Normande, priſe à partie & Lettres à ce contraires, auſquelles nous auons dérogé & dérogeons par ceſdites preſentes. DONNÉ à Paris le dix-ſeptiéme iour de Decembre, l'an de grace mil ſix cens quarante-ſix; Et de noſtre Regne le quatriéme.

Par le Roy en ſon Conſeil,

OLIER.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 8. Feurier 1647.


15/

